

D. JOHANNIS SOPHRONII KOZAK,
*Horazdejovicensis Bohemi, Medici & Philosophi,*

# TRACTATUS
DE
# HÆMORRHAGIA,

PARTES DUÆ:
In PRIMA, Causæ recensentur
omnis Generis HÆMORRHAGIÆ;
In SECUNDA, Omnium Curandi Rationalis Methodus dictatur.

*In gratiam Medicinæ Studiosorum,*
*& Ægrorum, meditatus & publicatus.*

M. DC.  LXVI.


ULMÆ,
Apud BALTHASARUM Kühnen/ Reip. ibid. Typogr. & Bibliop.

*tem Medico, est materia, de qua in hoc Tractatu, Tuo nomini dicato & dedicato, Generose & Nobilissime Domine, Philosophari constitui. Tu justò quidem cogitare posses, me vel non satis idoneum esse ad eam plenius explicandam, quàm jam factum est ab aliis, me & doctioribus, & celebrioribus tum Philosophis, tum Medicis; vel me in præsenti scripto, non nisi dicta dicturum; aut ex aliorum scriptis descripta & compilata, sub titulo falso, alienos labores, aliisq; debitos honores, mihi imprudēter arrogaturum; sive me furtivis pennis, secus implumem exornaturum; Qualis ingeniorum pruritus & pestis, suavis quidem, sed exitialis, per totum grassatur orbem; cum magno sapientiæ & sapientum dispendio; sed à talis scabiei contagione me omninò mundum esse, Nobilissime Domine nosti, quia me nosti; Testis est & tibi & mihi veritas. Imò deficientibus aliis testimoniis, ipsa dæmonia, & furiæ infernales, quæ continuo excubant in specula, si quid fortè in scriptis dictis, factisq; meis deprehendere possent, quod dente suo lacerarent, id de me clamant, sub variis monstruosis titulis; Quorum non sono quidem, sed*

*sensu,*

*ſenſu, me ab omni furto litterario, furtiq; ſuſpicione abſolverunt, me nullos authores legere accuſantes. Quaſi lectionis intermiſſio, vel librorum defectus, eſſe oporteat indubitabile ſignum defectus intelligentiæ & judici in animis omnium mortalium; & quaſi quis ſine libris ſapiens fieri non poſſet. Cum tamen ſciamus, ſi ſcire volumus, quod à principio non libri ſapientum, ſed ſapientes librorum fuerint authores; quamvis in ordinaria artium propagatione, ſpiritus & litteræ; Spirituales, & Animales; Sapientes & Litterati; mutuis inter ſe negotientur officiis; id exigente temporum & ætatum conditione. Sed hodie fit, idem quod ſemper fuit, & erit; nempe quod ſervilia ingenia liberis præferri cupiant; vel littera ſpiritui exæquari; Nec mitiores ſunt hodie Chriſtiani in Chriſtianos, quàm olim fuerũt Iudæi in Samaritanos. Et ſicuti judicabantur Prophetæ à Sacerdotibus horum & illorum tunc; ita nunc ſpirituales à litteratis. Non tamen credendũ eſt quod talia ingenia ſpargunt, Spirituum Divinorum nobiſcum omninò ceſſaſſe commercium; vel cælum nos deteſtari omninò ideò ſaltem, quod cum*

*terra communicemus; vel habitemus, ubi Sathanas habitat; vel homines simus animalibus vestiti corporeitatibus. Ita quidem est quod carnis contagium, quod ad spiritum usq; penetravit nostrum, hiatum constituat inter Deum & nos, localem & temporaneum; quoad nostrum scire, & posse; Tamen si volumus, etiam & possumus hic consortes esse, vel fieri Divinæ Naturæ; quales ante nos fuerunt mille viri; inter quos agricolæ, & opiliones, & piscatores. Non enim animos omnium hominum enecavit in totum maxim⁹ mortuorum; quamvis vulneraverit, divitiarum, honorum, voluptatum temporanearum libidine. Non omnibus ex nobis, est terrori ex æquo Rex formidinis; & bestia illa apocaliptica multiceps; Sunt adhuc in hoc mundo inter omnes populos, sectas, scholas, Ecclesias, si non omnes, aliqui tamen quamvis pauci; si non summi, aut medii; infimi tamen ordinis; si non cogniti omnibus, Deo tamen non ignoti ab uno illo vivificante Spiritu dependentes; quibus sua secreta communicat Dominus; qui scilicet audent admovere animum profunditatibus sensui impervestigabilibus.*

*Arce-*

*Arcebat nos quidem ab aditu Paradysi Cherub ille ancipiti gladio armatus, arboris vitæ custos; sed non amplius; Cœlestis ille liber, aliquandiu septem Sigillis obsignatus, resignatus jam est, & patet omnibus ejus interiora contenta legere & intelligere cupientibus; ab eo scilicet quam nos voto & juramento, sive Sacramento Baptismi & Eucharistiæ, in nostrum constituimus Caput, Doctorem, & ad Cœlum Ducem. Nemo est hodie Christianorum, qui ignorare oporteat aliquos cœlestis scenæ Thesauros; invitamur omnes & singuli à Spiritu, imò & jubemur quærere, scrutari, affectare Regnum cœlorum, & eos, qui in ejus archivo abditi sunt Thesauros; cum adjectis promissis, quòd sumus acquisituri omnia, quæcunque fuerimus affectaturi; ex animo credulo & syncero. Ideò nec est illicitum, nec difficile, multò minùs impossibile acquirere mysteriorum scientiam; si saltem non detrectaverimus deponere opera, quæ sapientiæ sunt abominationi, nobis impedimento, ad acquirendum, imò & ad quærendum sapientiam; scilicet Fastum, Superbiam, Hypocrisin, Philautiam, aliosque dæmoniacos affectus, qui sunt in no-*

*bis. Talibus enim Diva illa associari nec vult nec potest; imo & eos renuntiare docet, qui ejus sunt avidi affinitatis. Non itaq; librorum paucitas, aut lectionis intermissio, est causa sola ignorantiæ; sed eorum potius excessus: Hæc vitia eradicare ex nobis ipsis, virtus est, difficile & impossibile est; non autem mysteria scrutari; Vitia quæ nobiscum nata sunt, vel nobis innata, quia turpia sunt valdè, quamvis occulta, nam ea nemo scit in alio, nemo ignorat in seipso, quamvis operire saltem quærat potius, quàm eradicare. vel evitare; ad quod inserviunt externæ litteræ, Historiæ & Exempla, ita ut illi, qui præ cæteris verborum lenociniis, & gestuum fucis exculti sunt humanitûs; doctius quoque sciant imponere rudi populo, ut non videat abominationem; vel ut non cognoscat videns; A talibus profunditatibus Satanæ nos dehortatur sapientia, cui nomen id soli competit ex vero. Quod antiqui illi Medicorū Principes, Galenus, Hippocrates, Avicenna, alii deniq; Philosophi, Chaldæi, Arabes, Græci, Latini, &c. multa præclara & laude digna, paucisque imitabilia, scripserint de Sanguine; de ejus*

*generationis Causis, Officinis, Accidentibus; de ejus Motu, Quiete, Excremẽtis, Emunctoriis, Vasis continentibus; de ejus Apostasia; Naturali, violenta, symptomatica, salutari Hæmorrhagia vel suppreßione; aliis deniq; ad medicum usum & praxin, requisitis cautelis; id nemo negabit; atq; meritò est reprehendendus imo & puniendus omnis ille, qui primos artis Inventores & Doctores, eis debito honore defraudare præsumat, temerarius, & eo se ipsum, vel alios exornare. Tamen quod antiqui Medici omnia de Sanguine sciverint, & nobis retexerint, quæ de eo sciri poßunt, vel debent ab omni Medico, putare; species est idololatriæ; nemini enim est imputandus honor soli Deo debitus. Errat & omnis ille, qui ideò se Sapientibus adnumerare oportere existimat, quod scripta & scita Antiquorum ei ad unguem nota sint. Non enim ex littera, sed à Spiritu; non ab hominibus, sed à Deo, est exoptandum & sperandum Sapientiæ semen, ejusq; futurum incrementum. Nec ideò omnia sunt admittenda, quæ antiquitatis authoritate pollẽt; nec etiam omnia despicienda, quæ hodie audimus vel legimus nova; quod vel in sono,*

 *vel*

*vel in sensu, ab antiquorum dissentiant dogmatis. Fortaßis, imò sine dubio pro nobis reservavit Deus & pro posteris nostris aliqua, si non antiquis præstantiora, tamen illis æqualia, antiquis tamen ignota. Ideò temerarii sunt omnes illi, qui sine judicio omnia aspernãtur quasi falsa, quæ ipsis nova sunt; vel qui pro veris saltem admittunt, tum antiquos, tum eorum sectarios; identidem sine judicio. Non exigit à nobis præsens Seculum, etsi exigat, nequaquam tamen ei parendum est, quod & elapsis temporibus dissuasit suis discipulis Antiquitas; nempè ut in verba Præceptorum juremus æquè viri ac infantes. Nam idem ipse Galenus, à parente suo edoctus, cavit; docens, Eum qui se alicui sectæ addixerit, cæcum & surdum esse, vel fieri oportere. Omnes Philosophi veri & synceri, uti libertate scrutinii gaudebant ipsi, ita & quidem agere suos hortabantur discipulos; quamvis eos donec adhuc extra maturitatem ingenii fuissent, sibi credulos manere exoptassent. Nihil certè turpius, & homine christiano indignius excogitari potest, quàm Rationalem dici velle, Rationis autem usum aspernari, vel eâ uti*

*nolle,*

*nolle, nescire, non posse. Hujus juris & privilegii Philosophorum, imô & Christianorum omnium, sedulus hucusq; fui, & manebo donec vixero studiosissimus; quia veritati Cœlesti & Propheticæ est maximè congruum & conforme. Nam qui nos exhortatur ad fidem; exhortatur unâ operâ ad intelligentiam: Qui dixit, scrutamini scripturas; addidit quoq;: Videte, ne Lumen id, quod in vobis est, Tenebræ sit; Nisi cognovisset rem in plerisq; sic se habere, sed in occulto; nequaquam ea effatus fuisset, verissimus omnium humanarum cogitationum & actionum testis judexq;. Errant itaquè omnes illi, nec sine crimine calumniæ errãt, qui me à Galenicis excludunt, & solis Paracelsistis adnumerant; atq; has vel illas præconceptas in scholis humanis opiniones mihi exprobrant; cum tamen ego nunquam subscribere velim mendacio, nunquam esse veritati contrarius; Qui verba loquitur, non res; ille mihi tamen nunquam dux erit ad sapientiam. Nec Lectores meorum obligo, ad quæ ipse obligari nolo; Cui enim Deus largitus est judicium; ab eo quoque exigit judicii usum; nisi quis implicari velit condemna-*

*demna-*

D. JOHANNIS SOPHRONII KOZAK,
*Horazdejovicensis Bohemi, Medici & Philosophi,*

# TRACTATUS
DE
# HÆMORRHAGIA,

PARTES DUÆ:

In PRIMA, Causæ recensentur omnis Generis HÆMORRHAGIÆ;
In SECUNDA, Omnium Curandi Rationalis Methodus dictatur.

*In gratiam Medicinæ Studiosorum, & Ægrorum, meditatus & publicatus.*

M. DC.  LXVI.

ULMÆ,
Apud BALTHASARUM Kühnen/ Reip. ibid. Typogr. & Bibliop.





*Generoso, Nobilissimo & Doctissimo Domino,*


# D. GUSTAVO RASCHIO;

*Generosi, Nobilissimi & Excellentissimi Domini,*

DN. CHRISTOPHORI LUDOVICI RASCHII, S. R. M. Sueciæ, GUSTAVI ADOLPHI Magni, Suecorum, &c. Regis; quondam ab Intimis Aulicis & Bellicis Consiliis Adsessoris Primarii, Equitis Aurati; ad Inferioris Saxoniæ, Westphaliæq; Exercitus cum potestate, Legati, Filio;

*Paternarum virtutum hæredi æmulo;*

à DEO T. O. M. Salutem.



*Ntiqua, & innumeris Codicibus trita, sed mysteriis adhuc multis referta, scitu tamen utilis & necessaria omni homini, maximè au-*

*tem Medico, est materia, de qua in hoc Tractatu, Tuo nomini dicato & dedicato, Generose & Nobilißime Domine, Philosophari constitui. Tu justò quidem cogitare posses, me vel non satis idoneum esse ad eam plenius explicandam, quàm jam factum est ab aliis, me & doctioribus, & celebrioribus tum Philosophis, tum Medicis; vel me in præsenti scripto, non nisi dicta dicturum; aut ex aliorum scriptis descripta & compilata, sub titulo falso, alienos labores, aliisq; debitos honores, mihi imprudēter arrogaturum; sive me furtivis pennis, secus implumem exornaturum; Qualis ingeniorum pruritus & pestis, suavis quidem, sed exitialis, per totum grassatur orbem; cum magno sapientiæ & sapientum dispendio; sed à talis scabiei contagione me omninò mundum esse, Nobilissime Domine nosti, quia me nosti; Testis est & tibi & mihi veritas. Imò deficientibus aliis testimoniis, ipsa dæmonia, & furiæ infernales, quæ continuo excubant in specula, si quid fortè in scriptis dictis, factisq; meis deprehendere possent, quod dente suo lacerarent, id de me clamant, sub variis monstruosis titulis; Quorum non sono quidem, sed*

*sensu, me ab omni furto litterario, furtiq; suspicione absolverunt, me nullos authores legere accusantes. Quasi lectionis intermissio, vel librorum defectus, esse oporteat indubitabile signum defectus intelligentiæ & judici in animis omnium mortalium; & quasi quis sine libris sapiens fieri non posset. Cum tamen sciamus, si scire volumus, quod à principio non libri sapientum, sed sapientes librorum fuerint authores; quamvis in ordinaria artium propagatione, spiritus & littera; Spirituales, & Animales; Sapientes & Litterati; mutuis inter se negotientur officiis; id exigente temporum & ætatum conditione. Sed hodie fit, idem quod semper fuit, & erit; nempe quod servilia ingenia liberis præferri cupiant; vel littera spiritui exæquari; Nec mitiores sunt hodie Christiani in Christianos, quàm olim fuerũt Iudæi in Samaritanos. Et sicuti judicabantur Prophetæ à Sacerdotibus horum & illorum tunc; ita nunc spirituales à litteratis. Non tamen credendũ est quod talia ingenia spargunt, Spirituum Divinorum nobiscum omninò cessasse commercium; vel cœlum nos detestari omninò ideò saltem, quod cum*

*terra communicemus; vel habitemus, ubi Sathanas habitat; vel homines ſimus animalibus veſtiti corporeitatibus. Itaquidem eſt quod carnis contagium, quod ad ſpiritum usq; penetravit noſtrum, hiatum conſtituat inter Deum & nos, localem & temporaneum; quoad noſtrum ſcire, & poſſe; Tamen ſi volumus, etiam & poſſumus hic conſortes eſſe, vel fieri Divinæ Naturæ; quales ante nos fuerunt mille viri; inter quos agricolæ, & opiliones, & piſcatores. Non enim animos omnium hominum enecavit in totum maxim⁹ mortuorum; quamvis vulneraverit, divitiarum, honorum, voluptatum temporanearum libidine. Non omnibus ex nobis, eſt terrori ex æquo Rex formidinis; & beſtia illa apocaliptica multiceps; Sunt adhuc in hoc mundo inter omnes populos, ſectas, ſcholas, Eccleſias, ſi non omnes, aliqui tamen quamvis pauci; ſi non ſummi, aut medii; infimi tamen ordinis; ſi non cogniti omnibus, Deo tamen non ignoti ab uno illo vivificante Spiritu dependentes; quibus ſua ſecreta communicat Dominus; qui ſcilicet audent admovere animum profunditatibus ſenſui imperveſtigabilibus.*

*Arce-*

*Arcebat nos quidem ab aditu Paradysi Cherub ille ancipiti gladio armatus, arboris vitæ custos; sed non amplius; Cœlestis ille liber, aliquandiu septem Sigillis obsignatus, resignatus jam est, & patet omnibus ejus interiora contenta legere & intelligere cupientibus; ab eo scilicet quam nos voto & juramento, sive Sacramento Baptismi & Eucharistiæ, in nostrum constituimus Caput, Doctorem, & ad Cœlum Ducem. Nemo est hodie Christianorum, qui ignorare oporteat aliquos cœlestis scenæ Thesauros; invitamur omnes & singuli à Spiritu, imò & jubemur quærere, scrutari, affectare Regnum cœlorum, & eos, qui in ejus archivo abditi sunt Thesauros; cum adjectis promissis, quòd sumus acquisituri omnia, quæcunque fuerimus affectaturi; ex animo credulo & syncero. Ideò nec est illicitum, nec difficile, multò minùs impossibile acquirere mysteriorum scientiam; si saltem non detrectaverimus deponere opera, quæ sapientiæ sunt abominationi, nobis impedimento, ad acquirendum, imò & ad quærendum sapientiam; scilicet Fastum, Superbiam, Hypocrisin, Philautiam, aliosque dæmoniacos affectus, qui sunt in nobis.*

*bis. Talibus enim Diva illa associari nec vult nec potest; imo & eos renuntiare docet, qui ejus sunt avidi affinitatis. Non itaq; librorum paucitas, aut lectionis intermissio, est causa sola ignorantiæ; sed eorum potius excessus: Hæc vitia eradicare ex nobis ipsis, virtus est, difficile & impossibile est; non autem mysteria scrutari; Vitia quæ nobiscum nata sunt, vel nobis innata, quia turpia sunt valdè, quamvis occulta, nam ea nemo scit in alio, nemo ignorat in seipso, quamvis operire saltem quærat potius, quàm eradicare. vel evitare; ad quod inserviunt externæ litteræ, Historiæ & Exempla, ita ut illi, qui præ cæteris verborum lenociniis, & gestuum fucis exculti sunt humanitûs; doctius quoque sciant imponere rudi populo, ut non videat abominationem; vel ut non cognoscat videns; A talibus profunditatibus Satanæ nos dehortatur sapientia, cui nomen id soli competit ex vero. Quod antiqui illi Medicorũ Principes, Galenus, Hippocrates, Avicenna, alii deniq; Philosophi, Chaldæi, Arabes, Græci, Latini, &c. multa præclara & laude digna, paucisque imitabilia, scripserint de Sanguine; de ejus*

*generationis Causis, Officinis, Accidentibus; de ejus Motu, Quiete, Excremẽtis, Emunctoriis, Vasis continentibus; de ejus Apostasia; Naturali, violenta, symptomatica, salutari Hæmorrhagia vel suppressione; aliis deniq; ad medicum usum & praxin, requisitis cautelis; id nemo negabit; atq; meritò est reprehendendus imo & puniendus omnis ille, qui primos artis Inventores & Doctores, eis debito honore defraudare præsumat, temerarius, & eo se ipsum, vel alios exornare. Tamen quod antiqui Medici omnia de Sanguine sciverint, & nobis retexerint, quæ de eo sciri possunt, vel debent ab omni Medico, putare: species est idololatriæ; nemini enim est imputandus honor soli Deo debitus. Errat & omnis ille, qui ideò se Sapientibus adnumerare oportere existimat, quod scripta & scita Antiquorum ei ad unguem nota sint. Non enim ex littera, sed à Spiritu; non ab hominibus, sed à Deo, est exoptandum & sperandum Sapientiæ semen, ejusq; futurum incrementum. Nec ideò omnia sunt admittenda, quæ antiquitatis authoritate pollẽt; nec etiam omnia despicienda, quæ hodie audimus vel legimus nova; quod vel in sono,*

*vel in sensu, ab antiquorum dissentiant dogmatis. Fortassis, imò sine dubio pro nobis reservavit Deus & pro posteris nostris aliqua, si non antiquis præstantiora, tamen illis æqualia, antiquis tamen ignota. Ideò temerarii sunt omnes illi, qui sine judicio omnia aspernãtur quasi falsa, quæ ipsis nova sunt; vel qui pro veris saltem admittunt, tum antiquos, tum eorum sectarios; identidem sine judicio. Non exigit à nobis præsens Seculum, etsi exigat, nequaquam tamen ei parendum est, quod & elapsis temporibus dissuasit suis discipulis Antiquitas; nempè ut in verba Præceptorum juremus æquè viri ac infantes. Nam idem ipse Galenus, à parente suo edoctus, cavit; docens, Eum qui se alicui sectæ addixerit, cæcum & surdum esse, vel fieri oportere. Omnes Philosophi veri & synceri, uti libertate scrutinii gaudebant ipsi, ita & quidem agere suos hortabantur discipulos; quamvis eos donec adhuc extrà maturitatem ingenii fuissent, sibi credulos manere exoptassent. Nihil certè turpius, & homine christiano indignius excogitari potest, quàm Rationalem dici velle, Rationis autem usum aspernari, vel eâ uti nolle,*

*nolle, nescire, non posse. Hujus juris & privilegii Philosophorum, imò & Christianorum omnium, sedulus hucusq; fui, & manebo donec vixero studiosissimus; quia veritati Cœlesti & Propheticæ est maximè congruum & conforme. Nam qui nos exhortatur ad fidem; exhortatur unâ operâ ad intelligentiam: Qui dixit, scrutamini scripturas; addidit quoq;: Videte, ne Lumen id, quod in vobis est, Tenebræ sit; Nisi cognovisset rem in plerisq; sic se habere, sed in occulto; nequaquam ea effatus fuisset, verissimus omnium humanarum cogitationum & actionum testis judexq;. Errant itaquè omnes illi, nec sine crimine calumniæ errāt, qui me à Galenicis excludunt, & solis Paracelsistis adnumerant; atq; has vel illas præconceptas in scholis humanis opiniones mihi exprobrant; cum tamen ego nunquam subscribere velim mendacio, nunquam esse veritati contrarius; Qui verba loquitur, non res; ille mihi tamen nunquam dux erit ad sapientiam. Nec Lectores meorum obligo, ad quæ ipse obligari nolo; Cui enim Deus largitus est judicium; ab eo quoque exigit judicii usum; nisi quis implicari velit condemna-*

demna-

*demnationi servi illius ignavi & meticulosi, sed nequam. Vanum & mendax est terriculamētum mundi, opinio illa communis, quæ minatur ruinam veritati, ex dissidio sententiarum vel judiciorum; vel libero judicii usu. Rationi est obsequendum, non sensui; veritati, non multitudini. Fraus ea mundi est, quâ insidiatur libertati nostræ, nos libertate nostrâ spoliaturus; Astutia est, non sapientia, sibi, sed non veritati quærere discipulos; & multitudine confessorum niti, non autem rationum soliditate. Si seriò rem consideraverimus, experiemur ipsi, mensas nostras plenas esse vomitu & recrementis; nec aliter nos posse acquirere sapientiam, si eam quærere proposuerimus; quam si nos divulserimus ab uberibus antiquitatis & multitudinis; & solidioribus cibis quam vulgares sunt, pasci voluerimus. Turpe est viro, mammas tractare quas mulgent infantes. Nec igne, nec aquâ carere potest mundus; nec sensu, nec ratione; nec spiritu, nec carne, aut litterâ. Quamvis verò hæc ab invicem dissideant maximè; tamen mundi bases sunt; ita ut uno amborum sublato, ruere oporteat & alte-*

*alterum, sive utrumque. Non itaq; artibus est metuenda ruina inde, unde totius mundi pulcritudo constat, & incrementum capit; nempè ex varietate vel dissensu donorum. Ecce quot contrarietates nascuntur ex aqua & aëris homogeneitatibus? Quot species saporum, odorum, colorum scaturiunt ex una telluris gleba? Ex uno eodemq; pabulo generantur pecudum, bestiarum, volucrum, piscium carnes, vellera, pili, setæ, cornua, ungues, pennæ, rostra, aculei, excrementa varia; Atq; tunc dicitur Mundus benè habere, dum magnam alit multitudinem animalium specierum; Solitudinis est quidem magna homogeneitas, sed deformis & inutilis mundo. Corpus nostrum non totum vel solum est caput, oculus, pes, sanguis; Exteriora ejus dissident ab invicem, & interiora; non tantum conformatione, sed & officiis. Oculus tamen ideò non aspernatur pedem, quod cœcus sit hic, ille videns; Certè magna est multæ varietatis, etiam dissidii & utilitas & necessitas. Quid nocet itaq; & judicia humana dissidere, si materiæ dissidentes non peccant. Si saltem dissidio desit invidia, calumnia, odium, hypocrisis, dolus.*

*Ha*

*Hæ furiæ Infernales solæ corrumpũt & optima quæq;. Osculo acquisivit iram Judas; sed Magdalena misericordiam; quamvis hæc pedes, ille autem & faciem Domini exosculatus fuisset. Nec nos igitur peccabimus, in pietatem, in veritatem, in bonos mores, in Artis authoritatem, si quid de Sanguine, de ejus Generationis Ubi & Modo; de Motus & Quietis Intermissione, vel Continuatione & Reciprocatione; de Hæmorrhagiæ proritandæ vel supprimendæ utilitate aut damno, aliis deniq; materiis diversi, heterodoxi & paradoxi; ab Antiquitate & communi Scholarum consuetudine dissidentis scripserimus; Si saltem sententiam nostram publicâ utilitate, & talibus rationibus obsæpiverimus, quas nulla fraus & sophistia, invidia & calumnia enervare possit, etiamsi eas oppugnare voluerit, aliquibus arietibus orvinis. Humana, quæ merè humana sunt, suspecta nobis debent esse erroris omnia, donec ea libero & maturo judicio probaverimus. Judicii autem regula non est petenda à sensu, ab antiquitate, ab utilitate, vel necessitate præsenti; sed à veritate & justitia: ab animo*

*mo nullo præconceptæ opinionis onere gra-
vato, nullo metu, pudore, vi, aut dolo ca-
ptivato. Quælibet ætas & hominis, & mun-
di habet peculiarem occupationem; non
ſaltem diverſam, ſed & contrariam. Qui-
libet autem ſuum penſum ſic tractare debet,
ut placeat Deo, non autem hominibus; Deus
enim cuilibet noſtrum uti peculiare corpus
aſſignavit, ita & peculiare officium; Ut al-
ter alteri prodeſſe poſſit, ad virtutis & ſapi-
entiæ ſtudiũ ſtimulare debemus tardiores;
non autem impedire, ſedulos & electos ope-
rarios; Nemo autem pro altero, ſed quisque
pro ſe ipſo eſt rationem redditurus Deo in
die judicii, in quo in animos habebitur in-
quiſitio. Sapientis non eſt opinari, putare,
dubitare, metuere; qui hos in ſe ſentit defe-
ctus, tàntum abeſt à ſapientia, quantum illa
vitia á veritate. Quicquid ex fide non eſt
peccatum eſt, inquit ſcriptura. Aliud eſt æ-
grè quid poſſe, vel non ſine lacrymis, vel fa-
mæ, vel opum, vel valetudinis, vel vitæ ja-
cturâ; aliud omninò non poſſe. Sapientiam
autem ſolis verbis docere, non eſt ſapere, ſed
decipere; Sapienter autem vivere, loqui,
docere; eſt extra errorem, & erroris me-*

*tum*

*tum versari Inscrutandis mysteriis; in explanandis allegoriis; in affectanda perfectione; in praxi amoris Divini, prætendimus quidem impossibilitatem; sed quare magis hic, quàm in acquirendis opibus, & honoribus, & voluptatibus mundanis? Hac in re sumus venatores strenui; in illa meticulosi admodum, segnes & pigri. Ex uno latere nos terrent exempla Prophetarum, Christi, Apostolorum, Martyrum; Ex altero nobis alas addunt Pompæ mundanæ. Cum tamen nusqum sit tutior quies, quâm sub umbra sapientiæ. Imperfectionis est argumentum loqui de veritate; sed intus eam ignorare; vanum est sperare humanitùs, quæ non nisi Divinitus mentibus nostris illabuntur; vel à littera; quod non nisi conferre vult spiritus. Nova quidem audire, & videre; amat præsens seculum, uti olim Athenienses; sed non vera; Probabilibus & verisimilibus contenti sunt moderni Doctores. Ridet ut vanos, temerariosq; conatus eorum, qui veritati insidiantur nudæ; quæ tot est implicata nugarum tricis; & sophisticata innumeris verborum lenociniis & fucis. Nulla tamen est altitudo vel profunditas, quæ nobis*

*bis Christianis esse possit vel debeat inaccessa & horribilis ita ut eam scrutari non possimus, si saltem velimus; Non enim amplius hostes sumus Dei, vel ille noster; quales fuimus aliquandiu; filii jam Dei sumus & domestici, ideo privilegiorum quoque cælestium consortes; Aut si nondum sumus; fieri tamen possumus si saltem ex animo affectaverimus. Divinitatis proprium est omnes profunditates scrutari, omnia scire, omnia posse, nulla autem velle nisi bona; Nec aliquæ à nobis occultari poterunt, postquam consortes facti fuerimus Divinæ Naturæ; Quid si neminem talem agnoscamus nisi nos? nec alius aliquis Divinæ naturæ consors, nos ipsi æquales? Satis est pro nobis in nobis de nobis certiorari, donec advenerit dies qui revelabit omnia. Deus qui nos vivificat, spiritus est; spiritus quoque est & ille qui nos mortificat; nos autem adhuc inter vivos & mortuos peregrinamur, donec exuerimus & id quod est mortale. Entia illa quæ nos morbos, vel morborum causas in nobis nominamus; Vel meras intemperies, accidentia, manifestas vel occultas qualitates appellamus; Substantiæ revera sunt, & spiri-*

 *tus;*

*tus; sed infernales; hujus mundi virtutes, Dominia, Principatus, Magistratus; sed tenebrarum. Sunt dæmonia, Angeli Satanæ; Impuri & maligni spiritus. Ideo ægros curare, non est accidentia accidentibus permutare; sed dæmonia frænare, ligare oppugnare, expellere. Timor pudor, angustiæ, fames, sitis, & aliæ animi corporisq; passiones; Plagæ sunt, flagella, vincula, catenæ & sagittæ sunt ignitæ, spirituum infernalium præsentiæ in nobis infallibilia indicia. Nec saltem id sentiendum est de homicidio, furto, superbia, invidia; sed & de Epilepsia, Apoplexia Paralysi, Peste, Surditate, & Loquẽdi impotentia, de Hæmorrhagia, omnibus & carnis & sanguinis passionibus: sive de ægris & ægritudinibus omnibus. Aliter autem nos docet judicare morbos divina, aliter humana sapiẽtia; Aliter Apostoli & Prophetæ, aliter Gentiles Philosophi; sed & horũ quidam propiꝰ accedũt ad sapiẽtiam Divinam, quàm moderni Sophistæ. Ex sententia spiritus Prophetici, non nobis est pugna adversus carnem & sanguinem; sed adversus dæmonia & mundi Principes. Non nobis Medicis christianis cum qualitatibus, cum humoribus,*

*bus, cum vaporibus res est; sed cum ipsissimis spiritibus orcinis; sicuti & olim Apostolis. Hi enim sunt legislatores, & moderatores omnium motuum, signaturarumq; sensibilium; donec perfecerint quod volunt & possunt; scilicet nos per dolum, per vim occultam, vel manifestam suis mancipaverint legibus, & nomina nostra catalogo terrestrium entium inseruerint. Talibus virtutibus, ut nobis inimicis, rebellare, & resistere nos jubet & docet Deus, ad finem usq; ad mortem usq;. Quis primos Medicinæ Doctores docuit, in sanguine hospitari & vitæ & mortis thesauros? Homines hic per sanguinem & vivificari, & mortificari? Quis primus fuit author Phlebotomiæ, in eum scilicet finem instituendæ, ut nos liberaret à morbo, vel morbi insultu? Quis dicere, vel negare ausit, eam plura posse, quam nos unquam de ea audivimus vel legimus? in hoc Tractatu recito ego Generosissime Domine Hæmorrhagiæ causas; ejus deniq; curandæ modum; non quidem ad methodi scholasticæ regulam; tamen ad normam rationis; quam qui sequitur, raro dextro successu & eventu destituitur. Doceo hic Generosissime*

*Domine, quomodo posset supprimi Hæmorrhagia, sine vulnere & ulcere omninata; tamen à crudeliori causa, quàm vulnus & ulcus esse possit; Doceo unde incrementum capiat sanguis in multitudine; sed sine augmento ponderis? quomodo sanguis se ipso & auctior fieri possit, & vehementior, & quietior, absente omni talis mutationis externo principio; quod nempe iisdem terminis contineri nequeat post, quibus prius. Ignem esse dico, qui irritat sanguinem ad motum ad incrementum, ad eruptionem. Sed ita occultum, ut citius perficiat opus, quàm id incepisse sentiatur. Spiritum esse dico mortificantem ex ordinibus terrestribus in nos elevatum, per consensum voluntatis nostræ: quod patravimus cum voluptate, sed plectimur vehementi admodum passione doloris & angustiæ. Huic spiritui sero paratur omnis Medicina, nisi occurratur statim in principio primo ejus impetui. Non per consolidationem læsæ continuitatis: sed per confluxum sanguineæ massæ, cohibetur Hæmorrhagia ab intrinsecis causis proritatæ molestiæ. Non præsupponit Hæmaptoisis, vel alius aliquis Hæmor-*

*rhaicus*

*rhaicus fluxus, erosionem venæ, solus subitaneus impetus insensibilis substantiæ, in sanguinis tamen centro hærentis; sanguinem ad diffluxum cogit, & eruptionem per arteriarum, vel venarum orificia, proritat. Anatomia, vel artificialis sectio corporis humani, ejus partium & contentorum contemplatio; nequaquam potest demonstrare, aut pervestigare ubi, vel substantiam causæ sanguinem, jam vehementius, jam remissius perturbantis, attollentis, deprimentis: Sola Ratio, Intellectus & judicium id potest; Ut autem scias, Generose & Nobilissime Domine, quod mihi illa occulta substantia nota sit, quamvis eam nec ipse sentire, nec alicui demonstrare queam; audi quæso sequentem narratiunculam; quæ integrum sensum cognitionis & sententiæ meæ complectitur. Pictor quidam occupatus picturâ tabellæ, in quâ repræsentare voluit, ex more, judicii novissimi processum; dubitavit quam formam affingere posset cacodæmonibus, ipsis maximè affinem, vel omninò congruam; Inter eas cogitationes occurrit ei globus hominum, in quo reus accusatus furti, trahebatur*

*tur ad ſubſellia judicis; Huic ſe immiſcuit pictor, prioris propoſiti oblitus. Coram judice autem ſtans, audivit furem ſe reum fateri ſceleris, & accuſare dæmonem, quod illius fraude pellectus fuerit patrare facinus; Hoc rei reſponſo exhilaratus pictor, putavit enim ſe rem deſideratiſſimam audiſſe; ideò redivit cum fure ad carcerem, ei aliquot oblatis nummis, petiit ut ſibi ſignificare vellet, quânam formâ aut facie ipſi occurriſſet dæmon, eum ad facinus patrandum pellecturus? Reſpondit fur ſe nunquam diabolum vidiſſe: Pictor replicavit; Imò coram judice faſſus es, te ab eo ſeductum fuiſſe ad patrandum facinus, ob quod cras vitam laqueo finies. Fateor id quidem reſpondet fur, me id dixiſſe; ſed non ex propriâ viſione, ſed communi loquendi formulam ſequutus. Ecce ſic nobiſcum converſantur quotidie dæmonia, ut ea quidem non videamus, tamen ſequamur; & ex nomine, non quidem ante, vel in fieri, ſed poſt factum ſaltem, cognoſcere diſcamus. Nolumus voluptatem carnis noſtræ nominare dæmonium, quamvis ſciamus eam ipſiſſimum dæmonium eſſe; nec ita tur-*

pem

*vem esse credimus ante partum, quàm convincimur esse post partum; quamvis evitare potuissemus pœnitere facti; si ut meruit, tractassemus dæmonium citius, donec scilicet adhuc in potestate nostra fuit; Nec solam Hæmorrhagiam à dæmoniis excitari judico; sed & omnes morbos, de quorum ordinibus singulatim sumus tractaturi; si nobis vitam fata ulterius concesserint. Sub Tui autem nominis umbra hunc Tractatum publicandum censui, non ut ego Te adversus calumniatores & insidiatores, famæ fortunæq; meæ, pro clypeo uterer; Bonam conscientiam mihi hac in necessitate suffecturam scio: quale præsidium Tu quoq; Generose & Nobilissime Domine, magni facis; Sed ut haberem aliquid pro me, quo Tibi gratum animum pro multis in me collatis beneficiis demonstrarem. Chartaceum quidem hoc monumentum est, animi mei in officia Generositati Tuæ propensionis; ad quæ me Amore & multis beneficiis constrictum & devinctum esse fateor: attamen testis mihi erit coram mundo, quod quoad vixero, semper Tuorum beneficiorum sim futu-*


*rus & mansurus, ad aras usq; memor; Imò si tibi soli placuerit, hic brevis & vilis Tractatus; majoris Tuum favorem æstimabo, quam mille malevolentium iras & contumelias, quibus displicent omnia, quæ eorum palato non sapiunt; quia non congruunt Animo: à talium hominum consortio liberet me Dominus; Te autem, Generose & Nobilissime Domine, & mihi & pluribus aliis, diutissimè custodiat sospitem Spirituum Monarcha. Dabam Bremæ, 24. Julii, Anno 1665.*

Generosæ Nobilitatis
Tuæ,

*Devotissimus & officiosissimus*

J. S. Kozak, Author.





*IN*

# HÆMORRHAGIAM

*VIRI*

*Nobilis & Excellentissimi,*

## DN. JOHANNIS SOPHRONII KOZAK,

*Acutissimi judicii Philosophi, plurimæq; Experientiæ & Celebritatis Medici.*

---

I.

### Kling-Gedicht.


Err Kozak fähret fort sich Himmel an zu schwingen/
durch seinen hohen Fleiß/und viel-belobte Kunst/
Er fragt/wie mancher/nicht nach eitlen Ruhmes Dunst/
Die nur nach eitler Ehr mit ihren Schrifften ringen:



Nein das thut Kozak nicht; Er schreibt
von solchen Dingen/
die der Welt nutzlich seyn; vom Blut
und dessen Brunst/
wie/ wo/ und wann es werd gezeuget/
und was sunst
für Nutzen dessen Fluß und Schaden könne bringen/
Wann es aus Nasen/Mund/Gold-Adern sich ergeußt/
Jetzt wenig/ bald zu viel auß der Bärmutter fleußt:
Warum/wann/auf was Weis dasselbe zu
bezwingen.
Herr Kozak fahre fort / zu geben an
das Licht/
was dieses kluge Werk von Fiebern uns
verspricht/
Daß deines Nahmens Ruhm noch ferner
mög erklingen.

Dem Herrn Authori zu schuldigen
Ehren schreibet diß wenige

PETRUS Rommel/
*Ulm. Dr.*

II. Sca-

❧] [❧.

II.

*Scazon.*

GAlene quondam seculi tui lumen,
Artisq; Machaoniæ decus mirum
Hippocrates, divisq; mixte jamdudum
Hermes colendi Antistitis juventutis
Concreditæ vobis piæ, vel inserti
Cœlestibus qui manium beatorum
Estis choris, superstites vel adhuc magna
Cum laude, cum frequentiaq; floretis,
Quid obstupescitis, Kozakium vestras
Negligere leges & statuta præcepta
A Seculis jam plurimis Scholis vestris
Recepta? Quid miramini novos ausus,
Et scripta seclo valde digna prudenti,
Quæ transeunt longè scholasticas metas?
Quid judicatis, antequam Viri mentem
Ceperitis sententiis receptis jam
Gravidi? Quis unquam doctiore penna? Quis
Profundius miranda multa naturæ
Mysteria hac sagacitate reclusit?
Quid sanguinis substantia, & quis ortus sit,
Quæ qualitates, unde largius manet,
Ubi quiescat omnium capax centrum
Morborum, & optimũ modum, dies, horas

Venas

Venas ſecandi commodas, & abſtruſa
Quæcunq; continet libellus hic præſens,
Quæſo, quis unquam verius? Quis exactè
Magis iſta tam feliciter queat fari?
Rationibus quis certioribus niti
Sperabit unquam poſſe ſe, nec anguſtis
Ex regulis ſcholaſticis, nec hauſtis ex
Sententiis vel illius, vel hujus, nec
Probabili, quod dicitur, nota fultis,
Causisvè, vulgò quæ feruntur, occultis?
Secede livor, & fluentium annorum
Erroris ardor obſtinatè ſervandi,
Non ingenii monumēta tanta clauduntur
Arctis in artis regulis, nec anguſtis
Excelſa mens & ſeculo ſuo major
Poteſt teneri includierq; cancellis.
Vir magne, Vir profundiore doctrina
Laudande, ſupra ſeculi tui captum,
Qui mente magna, quiq; liberâ pennâ
Animi ſagacis ſenſa prodis excelſa,
Pecusq; ſemper obſequens, pecus ſervum
Erectus odiſti, Diisq; non æquis
Didiciſſe credis ex alius effatis
Qui pendet, ut diviniore reſponſo,
Quid ipſe poſſit neſcius, renate orbi
Noſtro Æſculapi, abſtruſa qui revelare

Cona-



Conaris alta mente sensibus nullis
Objecta, fructum percipito operis tanti,
Intraq; clarus perpetis domum famæ,
Pluresq; dona seculo ingenii fœtus,
Nec invide diutius bonum tantum
Comunibus mortalium bonis. Nunquam
Mentem retardet entheam invidum no-
men,
Livorq; semper pessimus boni judex.
Habet hæc & ætas judices graves, æquos,
Et rarioris arbitros renascentis
Sapientiæ. Sic floreat tuo ductu
Medicina, quondam cura dulcior regum,
Rediviva. Sic dignissimam polo mentem
Serus dies redonet ordini Divûm!

*Eâ, quâ debebat, reverentiâ adjecit*

Abrahamus Claessen,
Amstelodamensis.

---

III.

*Excellentissimo Viro,*

Dn. Joanni Sophronio Kozak,
Medico & Philosopho.

*Laudis honor taceat, cum tot monumenta loquantur,*
*Erecta ingenio, docta trophæa tuo.*

*Fama*



*Fama tuas pleno laudes ebuccinat ore,*
*Materie vinci se tamen ipsa dolet!*
*Officium Medicina facit, si cætera desint*
*Elogia ad laudem sufficit aucta salus.*
*Nec morbus, nec mors jam vi grassantur apertâ,*
*Te sine sed tacitâ pectora fraude necant.*
*Præteritum vertunt in præsens secula, priscis*
*Par Tibi quo detur gloria temporibus.*
*Hic licet extorrem, civem Te reddit Olympi*
*Religio in terris vix habitura parem.*
*Excelsum Pietas ipsis caput inserit astris*
*Et Lauris umbram florida Palma facit.*
*Plura locuturi vis carminis obmutescit,*
*Et laus est virtus & decus ipsa sui.*
*Te laudare tua nihil est nisi demere laudi,*
*Te non laudari, est laus tua, posse satis.*

Gerard. Bohkelmann.



INDEX



# INDEX CAPITUM PARTIS I.



PAR

# PARTIS II.





AD INGE-



*Ad*

# Ingenuos Lectores

## Præfatio Prima.

OMnes qui hucusque de Entibus Mundanis ſive Terreſtribus, ex eorum ſenſibilibus ſignaturis Internis & Externis, Senſuum tamen judicio perviis, Philoſophati ſunt, aut hodie adhuc Philoſophantur; Illorum Sapientiæ argumenta & documenta, conformia fuerunt & ſunt objectis externis. Hæc autem ſunt mortua, fallacia, omnibus momentis, omnibus in locis omnigenæ mutationi imò corruptioni obnoxia; Ideò & Sapientia talium ſapientum Vana eſt, & diffidiorum, dubitationum, errorum, fallaciarum plena; Præſertim ſi credendum eſt Apoſtolis, qui non humanitùs didicerunt ea quæ ſciverunt, ſed Cælitùs. Philoſophi qui ſua humanitus diſcunt, illi quoque humana

mana humanitus docent; Verbaque tantum sunt, non res, quibus occupantur, vel rerum imagines. Quapropter à tali Philosophia nos viros, judicio adultos, & infallibilia affectantes, dehortantur Divina Oracula. Est quidem & humana sapientia una excellẽtior quàm altera; Platonica, quàm Aristotelica; Hic enim Philosophus, nihil tractavit in schola sua, quod non fuerit sensibile; ideò etiam docuit, nihil esse in intellectu, quod non fuisset in sensu. Plato autem sensit; nobiscum nasci, vel nobis innasci, eas quas successu temporis acquirimus rerum notiones. Non habent certè, ideò nec docent sapientiam sanctorum, vel adultorum illi, qui à sensibus tantum doceri postulant; atque humanitùs omnia doceri & posse & debere autumant; Sapientia enim Sanctorum sub Mysterio abscondita est; Quotque passibus excellunt sensus sua sensoria; tot quoque, imò pluribus, excellit Ratio quoque vel Intellectus, sensus omnes. Quantóq; viliora & prophaniora sunt objecta sensuum, tantò nobi-

*Sapientia Sanctorum.*

nobiliora & ſanctiora, ſed occultiora, ſunt objecta Rationis vel ſapientiæ; non omnis tamen, ſed illius ſolùm quæ cælitus in mentes illabitur humanas. Innumerus numerus eſt ſpecierum Entium terreſtrium, quæ tamen non ſunt entia revera, ſed entium ſaltem imagines, ex quarum formis cognoſcuntur quidem Entia, quod ſint, ſed non quid ſint; Apparentia autem, vel ſenſibilia hæc entia, iterum invicem diſcrepant; Nam alia ſunt Imagines rerum immediatè; alia non niſi imagines imaginum; ſive alia ſunt rebus illis quarum ſunt imagines affiniora; alia longiori intervallo, vel omninò, à rebus ipſis diſcrepantia: Si ſcilicet aliquod eſt diſcrimen inter principia & principiata; interque horum prima, media & ultima. Qui autem noſtrum vix capax eſt imaginum rerum, quæ ſunt inter ordines numerabiles ultimæ, mediæ aut primæ; ille tanto minus eſt capax principiorum ipſorum. Raró ſenſus penetrant altius quàm ad ordinem rerum ſenſibilium, ultimum, vel medium; qui ad primum

*Entia ſenſibilia non ſunt res, ſed rerum imagines.*

*Imagines imaginum.*

*Principiorũ & principiatorum, primorum, mediorum, ultimorũ diſcrimen.*

usque pertingit, mutat nomen prius, & Ratio dicitur; sed congrua saltem rebus quas contingit. Et sapientia saltem est inferorum, terrestris, animalis, humana, diabolica; Ita enim eam appellat Scriptura: Nam est plena & errorum, & terrorum: Ignis hic sensibilis, quem cognoscunt omnes ex nomine saltem, est inter omnia sensibilia violentissimus, ideò cælestium maximè repræsentativus; nequaquam tamen Res ipsa. Ideo Philosophus ex hujus ignis sensibilis sensibilibus signaturis & proprietatibus, de Ignis Æterni, qui solus reverà ignis est, circumstantiis philosophaturus, & similis homini idola mortua pro Numinibus vivis adoranti; Res ipsæ in suis Centris immobilibus consideratæ, sive Æternæ illæ & cælestes, res tantum sunt. Mundus hic ex nihilo factus, nihili, & minus nihilo reputatur in consilio vel judicio Sanctorum: Igitur & sapientia mũdana res admodum vilis est. Vox audita in aere, non est revera vox, sed Echo, vel vocis imago & umbra; quamvis æque sit audibilis ac vox communi-

*Ignis Elementaris hic sensibilis non est ignis, sed ejus imago.*

*Æterna res tantum res.*

muniter dicta: Nam ſonus ab animali editus vix res eſt, multo minus igitur ſonus ab animali non editus. Qui autem cognoſcit affectus animi ſine voce, vel externis indiciis; Illius cognitio realis eſt; quam qui de affectibus ex voce, ex littera, ex geſtibus judicare ſcit, aut neceſſe habet. Ignis Elementaris, eſt inter ea quæ ſplendida dicuntur, vel lucida, ſplendidiſſimus; ſcilicet inter mutationi obnoxia ſublunaria. Tamen obſcuratur à Sole. Sole nihil datur in tota hujus mundi ſenſibilitate ſplendidius; attamen obſcurabitur, vel obtenebrabitur & ille, ad exortum Luminis Lucis illius æternæ, quam incolunt jam ſancti, noſque incolemus ab hinc eorum collegio aggregati. Aquam igni contrariari ſentimus; Sed non ſentimus ſpiritum contrariari carni, quamvis hæc contrarietas ſit multo major illâ; Spiritus enim nunquam & nullibi poteſt reconciliari carni; ſed aqua poteſt reconciliari, imò reconciliatur ſæpe igni. Senſibilis mundus hic igitur, non ita res eſt quàm rei imago; Et tamen habet

*Ignis & Solis [sensi]bilitas.*

*Mundus hic non ita rerum quàm imaginum eſt compendium.*

bet suam necessitatem, habet suam utilitatem, aliquandiu saltem; postquam abolitus fuerit, abolebitur quoque ejus & necessitas & utilitas, res autem splendebunt â facie ad faciem, imaginum tunc nullus usus erit, imò ne memoria quidem. Sapientiæ quoque divinæ & mundanæ, Cælestis & Terrestris, par est ratio; nam hæc nec in considerationem quidem veniet inter cælites. Habet quidem & Mundana vel Humana sapientia, sua discrimina, pro diversitate temporum vel ætatum variantia; Nam Sapientia quæ à sensibus, vel sensibilibus objectis sapere docet vel discit, qualis est Philosophia Peripateticorum; primæ ætati convenit; Quia ea ætas Rationum capax non est; non quidem ob Impossibilitatem, quæ esset in Animo, sed propter eminentiam umbrarum animum illius ætatis circumdantium. Platonica autem, quia mentem â sensibus divellere, & in se ipsam redire docet; Virilem decet ætatem; Hæc primum sentit impetum lucis; nequaquam tamen adhuc lucis ipsius capax est;

*Philosophia Peripatetica, Platonica, Sceptica & Prophetica discrimen.*

eſt; Quia Sceptica, quæ eſt Media inter illas duas, conſtituit hiatum inter objecta utriusque illius ſapientiæ, ſuis dubitationibus; nec enim acquieſcit prioris, neque poſterioris rationibus; Ecce quam vana ſunt mundanæ ſapientiæ fundamenta; Eſt iterum novum quoddam Sapientiæ genus, hodie pauciſſimis quidem cognitum; ſed ſi quibus, inter Chriſtianos aliquibus, maximè; Idque dicitur Propheticum: Hoc litterarum quidem & verborum adminiculis, humanitùs diſcitur & docetur; non tamen ex toto, ſaltem ex parte tantum: Nam hujus Sapientiæ Doctores & diſcipuli non nituntur humanis tantum teſtimoniis, vel authoritatibus; ſed interno quodam aſſenſu, & nemini præter eum qui eum intùs ſentit, apprehendibili aſſecuramento. Ideò & hæc ſapientia, quoad nos conſiderata, externis ſenſuum ſenſibilium impedimentis circumſepta, non omninò libera eſt ab errorum, umbrarum, imperfectionis, ſuperſtitionis, terroris, dubitationis impetu; Quamvis inter eas quæ in hoc mundo

*Sapientia Chriſtiana imperfecta.*

humanitùs discuntur & docentur, sit verissima, vel veritati ipsissimæ proxima. Ideò Paulus eam nominat Speculativam tantum, Ænigmaticam, & ex parte. Si autem hæc, quamvis inter omnes verissima, magnis tamen & multis imperfectionibus implicitos relinquit discipulos & Doctores: quantò majoribus vel superstitionibus vel erroribus, & terroribus obnoxii erunt & Sceptici, & Platonici, & Peripatetici. Qui non nisi ex imaginibus imaginum, suas deducunt conclusiones. Si Entia concreta dicta, non nisi inter imagines sunt recensenda; ad quos ordines rerum referenda erunt ea quæ Abstracta dicuntur? Si Substantiæ Imagines tantum sunt, quantò viliora sunt ipsissima accidentia. Si Voces primæ intentionis dictæ, sive entium sensibilium significativæ, umbræ sunt; Quanto viliores judicandæ erunt voces intentionis secundæ, quæ sunt signa signorum, & umbræ umbrarum? Si longè distant à veritate rerum, qui vident res quas tangunt, vel tangunt quas vident; quantò longius dista-

diſtabunt ab ea illi qui fabulis credunt, & commentis humanis, quæ omninò falſa ſunt; Si mundus hic integer, Terra dictus, cum omnibus ſuis Imperiis, Dominiis, Principatibus & Virtutibus vel Magiſtratibus Tenebrarum, cum Cœlo, ejusque excelſis ordinibus collatus, Nihili & minus Nihilo eſt æſtimandus, ex ſentẽtia judicii magni illius Dei: Quàm vilis, & quàm vana eſt conditio Hominum Animalium, Terreſtrium, Carnalium, quamvis ſuperbientium; Hi enim nihil habent extra in corpore, nihil intùs in animo, quod ſit naturæ vel Spiritus Divini conſors; Terra ſunt intùs, terra extrà; Quamvis ex littera, ex auditu, vel ab externis cæleſtium imaginibus, aliquas notiones hauſerit cæleſtium Entium; Imagines quidem cæleſtium, rerum ſunt ipſarum Imagines, verè exiſtentiùm; Sed indè nata cognitio cœli, nullum certum amorem conciliare poteſt in homine; intùs cæleſtis entitatis conſortii vacuo. Sed quo magis vileſcunt hæc ſenſibilia in animis mortalium, Cæli talem qualem cogni-

*Mundi vilitas.*

*Hominis animalis vanitas.*

tionem habentium; tantò major cupido in eos derivatur cælestium & cognitionis & amoris; quamvis cælestia post uti prius, maneant insensibilia & indemonstrabilia, nobis in carne agentibus. Non tamen omninò spernenda sunt hæc mundana; nam habent aliquandiu hæc quoque suam Utilitatem & Veritatem, cæli significativam & assecurativam, quamvis valdè imbecillam. Sed affectanti veritatem cælestem, non est acquiescendum in ultimis, nec in mediis, imò ne in primis quidem cælestium entium Elementis: Hæc sunt Utilia & Necessaria ob carnis communiónem, temporaneam; Sed illa, ob spirituum amicitiam assequendam in æternitate. Quæcunq; nobis narrarunt Parentes, Præceptoresque nostri Infantibus, de statu Animæ nostræ; de conditione Vitæ præsentis; de Beatitudine Honorum, Opum, Voluptatum mundanarum; de Elementorum qualitatibus, de Morbis, de Morte, & de Vita vel conditione mortuorum ab hinc, &c. ea nos syncera credulitate ab eis audivimus,

*Mundanorum utilitas.*

*Infantiæ miseria.*

vimus, didicimus, credidimus, & credimus; parique Relligione eadem nostris quoque narramus liberis & discipulis; Scimus quidem non omnes majores nostros ex æquo sapientes fuisse; Scimus quoque de nobis ipsis, quod ignari omnino fuissemus sub statu illo, vel judicio omni destitutos, vel ejus saltem usus scientiâ, potentiâ aut libertate. Tamen quæ tunc sub tali misera conditione didicimus, ea sine judicio quoque, & tandem sub ætate Virili confitemur, profitemur, credimus, & credenda tantum docemus; Quasi satis fiat Veritati & perfectionis Legi, vel Christianæ libertatis integritati, credere, loqui, & docere, sperare vel metuere, quæ in communi creduntur, docentur, timentur, sperantur; sine intellectu, & judicii examine eorum veritatis; Ideò eam temeritatem, & superstitionis vanitatem luimus quotidie indifferenter & Doctores & discipuli, metu, curis, anxietate animi, dubitationibus, suspicionibus, fraudibus, violentiis, calumniis, convitiis, injuriis mutuis. Tales enim

*Virilis ætatis sanitas.*

*Ignorantiæ damna.*

fructus

fructus sunt Tenebrarum in nobis, & Animorum effectus, omnis judicii expertium. Quæ sapientia potest excusare errores in ætate virili, qui in infantibus condemnabiles fuerunt, quamvis tunc excusabiles maneant, per defectus certos. Quis immunes custodiet à pœnis & plagis viros, quibus obnoxii fuerant & infantes. Quæ prudentia nos Medicos tuebitur à morbis immunes; si nos prius vel æque, vel magis noxii fuimus ægris, quam ipsi morbi, vel dæmonia. Nam opera nostra, non nostro scire, sed tantum velle, vel intentioni paria sunt; & secundum hanc judicabuntur & verba, & facta, & scripta, & molimina nostra: non autem ab eventu; sic enim judicant homines alii alios, suaque & aliorum. Quid si hominum hic nullus sit adeò prudens, aut potens, ut nostros reprehendere sciat, aut possit conatus internos; quia multos vel omnes nostræ ætatis excellimus vel Sapientes, vel Potentes, prudentiâ, eloquentiâ, actu, authoritate, &c. Tamen nequaquam ideo tuti sumus ab interni metus vel terro-

*Fraudis damnata.*

terroris plaga hic, multo minus futuri ab hinc à ſenſu pænarum, quas minantur Judicii æterni aſſeſſores omnibus, doloſis, mendacibusque hypocritis; & vel verborum, vel geſtuum lenociniis ſcelera ſua interiora operientibus. Non falſa ſunt quæ ſcribo, vel Commenti humani ſteriles umbræ; ſed ipſius Scripturæ ſacræ, quam nos Chriſtiani pro regula Vitæ cæleſtis colimus, ipſiſſima, juſtiſſimaque & veriſſima decreta. Quia igitur ego multa in ſcriptis & documẽtis Medicorum antiquorum & modernorum, Dogmaticorum & Empiricorum, quos pro Præceptoribus juventutis meæ honoro & honorabo, reperio, jam & illis quoad ætatem & officium externum par, multa non ſaltem dubia, aut veriſimilia, ſed omninò erronea, falſa, & noxia; præſertim de materia hac ſonantia, de quâ in præſenti Tractatu philoſophari conſtitui; ideò, ſalvo tamen omnium honore, quæ in hac re, in Medicorum ſcriptis & documentis, non ſaltem veritati, ſed & Rationi abſona, judicii mei cenſurâ reperi *Errores Medicorum.*

huc-

*Authoris intentio.*

hucusque, monere Medicinæ studiosos, vel si non hos, actu jam practicos, constitui; Eos pari fide, intentione & sedulitate invitans ad judicãdum mea, quali ego examinavi & aliorum. Neminem hic nominatim vel singulatim refuto; nam neminem offendere cogito; sed saltem omnes à superstitiosa credulitate, non ita quidem discipulos vel Candidatos Medicinæ qui suis Præceptoribus obsequiosi & creduli ut sint oportet, citius quàm & ipsi ad alios judicandum idonei sint; sed solos Doctores dehortor; meo exemplo. Nec etiam ego solus sum vel primus, qui in abditas rerum, maximè autem morborum, causas, inquiro; Omnis ætas, omne seculum, omnes sectæ, habuerunt & habebunt ubique terrarum suos mystas, suos sapientes, suos litteratos, quorum alii affectuum sensibilium, alii causarũ occultiorum, sunt censores præ multis accuratiores. Quantum autem quisq; vel seipsum, vel alios excelluerit, vel excellat, id non multitudo exemplorum; vel confessorum, vel scriptorum, alio-

*Mundus nunquam sine prudentibus.*

rum

rum denique testimoniorum humanorum, sed rationum Sapientiæ illi sub Mysterio latenti congruarum, evincit efficacia: Impossibile tamen est, ut Littera, quamvis dives, sapientiæ integros possit complecti thesauros; Spiritus semper pro se retinet aliqua, quarum littera capax non est: atque sic quisque conatus spiritus suum habet peculiare obstaculum; tum à verbis, tum à litteris. Quod si verò & illi qui multa quærunt, vix pauca reperiunt, nec ea omnia ex voto: Quanto imperfectior est æstimanda Ars vel Scientia eorum, qui non nisi in Inventis aliorum conquiescunt; imo plura vel alia dici posse non judicant, præter ea quæ jam dicta aut scripta sunt. Nec tamen ego mihi tantum arrogo fidei, vel promitto Lectoribus certitudinis, quantum ejus me vel eos habere necessum esset; ita ut ego mihi in omnibus, sine seriori examine judicii credi postulem. Scio enim & fateor mihi in multis quoq; rationes deficere; Invito saltem Ingenuos Lectores ad judicium, & dehortor à turpi crimine Phi-

*Littera imbecillitas.*

Philautiæ & ſuperſtitioſæ credulitatis, maximè viros. Scio tamen me non acquiſiturum quod quæro; Sed non reſpiciam ideò; multorum animos Lectorum lucrabor ſi non omnium; Ægrorum ſi non Medicorum; Studioſorum Medicinæ, ſi non Doctorum. Sapientia cæleſtis labitur in mentes ſolùm, terreſtrium libidine nequaquam occæcatas; quoque magis proficit in nobis vacuitas harum, tantò magis proficit incrementum cæleſtium virtutum. Senſim quaſi aſſurgere debemus à lapſu, & per atomos deſueſcere antiquis terreſtrium conſuetudinibus, ut pari modo cæleſtibus aſſueſcere diſcamus: idquè eſt quod inculcat Salvator per ſimilitudinem Cameli, per foramen acus trajiciendi. Impulſore Spiritu diſcunt, docent, affectant, agunt, loquuntur, judicant, ſcribunt ſua Prophetæ, Philoſophi, Medici, quicunque ſunt Divinæ conſortes Naturæ in hoc mundo. Nam uti donum prophetandi, ita & donum medendi, inter dona Spiritus recenſendum eſt; ex ſententia Pauli, magni illius Gen-

*Impedimenta Sapientia.*

*Medendi ſcientia donum Dei.*

Gentium Doctoris. A littera quidem incipiendum est nobis, vel à sensu, in processu discendi & docendi; sed nunquam in eis conquiescendum; sine spiritu mortua, sterilia, erronea, & terribilia sunt omnia. Quam autem in nobis vel efficit vel perficit cognitionem, vel cognitionis certitudinem spiritus, illa tantum tuta est; Externa eam excitant saltem vel acuunt; non autem augent vel destruunt: Et quamvis contraria sint internis Spiritus moliminibus, nequaquam tamen illis prævalere possunt, etiam violentissima debilioribus; Nulli Sapientes vel Artium Inventores primi, à Præceptoribus externis didicerunt quæ sciverunt, posteritatique sua scita per litterarum monumenta recomendarunt; aut nos erramus, quod Inventores eos appellemus; qui tamen aliorum quoque Præceptorum fuerant discipuli, scilicet mortalium, sicuti & nos sumus. Quis autem docuit Sapientiam Moysen, Abrahamum, Josephum, Salomonem, Danielem, Paulum? plures denique alios: An non Spiritus ille Dominus?

*Inventores artium qui?*

*Sapientiæ Doctor solus.* minus? Ille ipse itaque Dictator & Doctor est Sapientiæ hodie, qui fuit à principio; Scilicet illius, quæ sub mysterio recondita semper manet, sicuti fuit à principio: à Domino, vel immediatè de Cælo, discunt loqui nova, qui nova loquuntur aut scribunt; sed vera. Homines, hominibus humana communicant humanitus; Sed Deus Divina divinitùs. Nos quidem homines multa, vel pleraque, aut excellentia quæque in nobis, imputamus vel Astrali influentiæ; vel Naturæ seminali per traducem propagabili; quæ tamen nulli alii causæ, sed immediatè ipsi Deo imputanda essent, ex requisito ipsissimæ veritatis; Ideoque erramus, imò peccamus graviter, alteri attribuentes, quæ tantum Deo attribuenda essent. Quis est Doctor inter Prophetas, vel Philosophos, qui dona Spiritus naturalibus causis, vel terrestribus appropriandare docuisset? *Naturæ non sunt imputanda, quæ Dei sunt.* Quis est Litteratorum qui nos Naturam à Deo distinguere docuisset, sicuti eam Prophetica sapientia distinguere jubet? Quis est qui Deum ita norit, sicuti ille se

ipsum

ipsum revelavit? Quis est qui dicere ausit, se Naturam aliquando cognovisse quid sit? Quis scit an Natura, vel Essentia illa, quæ per nomen id communiter significatur, sit ex ordine Entium Cælestium, Divinæ Naturæ consortium; vel Terrestrium & carnalium, inter quæ irreconciliabilis inimicitiæ hiatum intercedere docent, divinæ Sapientiæ Professores & Confessores? Si animalis, si carnalis homo non capit ea quæ sunt Spiritus Sancti: multò minus capax erit eorum Spiritus ille, qui animalium, carnaliumq; affectuum in nobis est author & lex; ideoque & indignus titulo spiritus judicatur à Scriptura. Solus Deus, & Spiritus qui ex Deo est, spiritus est vivificans homines, & talia dona, desideria, scientias & virtutes nobis communicans, per quas nos assurgimus lapsi; revificamur mortui; & Deo reconciliamur, ejus priùs aliquandiu hostes. Quapropter Essentia illa vel Spiritus in nobis, propriè Natura dicta, nos huic mundo, vel mundum hunc nobis, in consortium Unionis connectens,

*Natura quid?*

Numen est id astutum valde & violentum, quod se opponit Virtuti Dei, atque nos per eundem hiatum ab eo divellit, per quem ipsum à Deo divulsum fuit à principio: Ideò nos omnes à principio, quousque videlicet animales & carnales sumus, vel manere amamus, mortuis, vel hostibus Dei adnumeramur. Esurire, sitire, irasci, superbire, mentiri, fallere, timere, odisse, &c. actus sunt Naturales; quousque igitur nos talia patramus, vel patrare amamus; eousque manemus in consortio quoque Spiritus illius, qui talium actionum est dictator, legislator, exactor in nobis. Opera spiritus, per alia indicia nos cognoscere docent illi, qui cælestis fuerunt consortes vitæ inter mortales sui temporis. Sed de hoc Spiritu communiter, Natura, dicto alibi prolixius disputabimus. Naturæ nomen mitius quidem sonat in auribus nostris, quam Dæmonii, vel Diaboli, aut Satanæ. Revera tamen unum idemque significat, quamvis aliter quodque sonet. Globus ille cælestis, secundùm cujus Circulos majores

*Natura opera in nobis.*

*Natura à Dæmone non nisi nomine differt.*

& minores, eorumque gradus, & minuta, prima, secunda, tertia, &c. motus astrorum cælestium, situsque locorum terrestriū vel generabilium Entium, secundùm Longitudinem, Latitudinem, Altitudinem, Profunditatem, mensurantur; Inventum quidem dicitur humanum; sed revera est donum Sapientiæ illius quam Jacobus nominat, animalem, humanam, diabolicam. Tamen ob utilitatem præsentem, vel necessitatem, sub titulo Divinæ Sapientiæ in Scholas quoque Christianas derivatus est usus ejus. Si autem Inventio Globi illius vel ejus usus, esset ex necessitate communionis divinæ Naturæ; tum hâc prærogativâ excelluissent Philosophi Gentium, Prophetas & Apostolos; inter quos tamen nullum ex professo audimus fuisse Astronomum, Astrologum vel Geometram; Chaldæi, Ægypti, Græci Idololatræ, excelluerunt hac in arte: quæ nihil ad pietatem conducit, nihil ad cælestium vel divinorum amorem; sed huc tendentes, à proposito avocat, & dehortatur. Hariolos &

*Globi Cælestis inventio est Dei donum.*

Augures generat Sapientia illa, Magos, Necromanticos, Veneficos, non autem Prophetas & Amicos Dei. Sed ne nobis hic quis exprobrare possit temeritatem & polypragmosinen, quod nos hic reprehendamus ea quæ nostri non sunt officii; vel captum mentis nostræ superant; Ecce Medicinæ tantum præcepta & decreta examinabimus, quorum à cunabulis fermè, fueramus discipuli, jam autem sumus Practici; Quis quæso author est, vel fuit, Inventor & Doctor Medicinæ primus? Divina certè Sapientia; hæc enim & pudoris, & timoris, & nuditatis incommodis paravit, docuitque homines parare remedia: sicuti fame, siti, iræ, dolori, morbis, morti. Sed non diu à dolo, à fraude, ab imposturis mansit immune hoc divini Spiritus donum; nam post invidia, auri, honorum, voluptatumque amor, adulteravit & prophanavit divinam hanc & sanctam Artem, ejusque mysteria humanis commentis conspurcavit, ita ut jam non ita domandis aut pellendis dæmoniis, per preces & jejunia, quàm per

*Medicina donum Dei.*

carni

carni jucunda remedia; gulæ, per saporum, odorum, colorum varia discrimina abblandientia, divitiis corradendis per fas & nefas, contulerit Medicis largas admodum libertates, & privilegia. Omnes quidem Medici sentiunt & statuunt, in omni morbo aliquid latere divini; Sed quid id sit, & quomodo ei occurrendum sit, nemo est qui nostrum fuerit hucusque de eo sollicitus; Qui peccaverit contra opificem suum, in manus incidet Medici. Inquit Syrach. Ideò citius est reconciliandus Jehova, quàm consulendus Medicus: Nam ille est qui delet peccata, & suo digito compescit Dæmoniorum violentias, ut mortalibus sint vel fiant innoxia; Sed nulla ars est humana adeò potens, per quam homines se tueri, aut defendere possint, adversum insultus dæmoniorum; nisi ipsa peccatorum fuga & odium; Sed hæc virtus nemini communicatur extrinsecùs, sed à Deo immediatè infunditur, illis tantum, qui illius capaces sunt; scilicet qui mundana syncere & ex toto corde aversantur, quibus abunda-

*Morbi Divinitatis sunt participes:*

re, nulla exigit necessitas, sed sola urget voluptas. Judex enim est Deus omnium actionum nostrarum, maximè autem animorum; Ex horum enim intentione omnia verba, facta, gestus externos metitur, nosque metiri docet & jubet. Natura naturalium, & temporaneorum donorum collator est; Deus divinorum: Non per Belzebub, sed per digitum Dei ejiciuntur Dæmonia; Et quamvis non norint homines distinguere legitimos Medicos ab Impostoribus; Novit tamen eos Deus; imò & ipsa Dæmonia, vel Spiritus ægritudinis authores. Qui pilos capitis nostri numeravit; extra Rationes suas certè non reliquit pilis majora & excellentiora, venas scilicet, arterias, nervos, sanguinem, carnem, affectus & intentiones animi. Si sitire, esurire, curis, metu, pudore affligi, vel vitam hanc mortalem vivere, judicamus esse naturale; ideoque ex talium sensu, præsentiâ, absentiâ, defectu, excessu, non ita dolemus, quàm gaudemus, quousque vivere nos putamus, vel amamus: Quare mor-

*Dei cognitio in Medico necessaria.*

*Naturalia quæ sunt, non sunt præmia, sed pœna.*

re mortem abominamur & horremus, si ſcimus æquè naturale eſſe mori ac naſci; Bene valere, & ægrotare. Dominus omnes affectus carnis quibus hîc exercemur, ad famem & ſitim usque, imò & ad vitam, voluptatemque inter plagas & pœnas numeravit temporaneas, à quibus eripi cupiunt, qui ex hoc corpore eripi cupiunt. Spiritus Dei, qui Deus eſt, honores, divitias, voluptates & beatitudines mundanas, inter præmia virtutum divinarum in nobis, nempe Fidei, Spei & Patientiæ, nunquam recenſuit; ſed inter bona æque malis ac bonis communia; Ideò non debent nec audent affectare temporanea illi, omnibusque mortalibus ſine diſcrimine virtutum communia, qui cœlum affectant, vel divinæ Naturæ primùm, ejus gloriæ ultimò, commercium. Cœleſtis affinitatis in hoc mundo nullum èſt commodum, nulla meſſis; ſed ſeges ſola, lacrymis, tentationibus, horroribus, doloribus variis circumſepta. Si quælibet herba præſentem ipſi teſtatur eſſe Deum? Quid vetat quod non qui-

libet morbus eum ſibi quoque præſentem habeat; æquæ Calculus ac Caducus; æque Hæmorrhagia, ac Apoplexia; Si verò divina cum naturalibus ſic communicant, ſicuti umbræ cum luce, vel veſtes cum corpore? Quare nos nullam Divinorum, ſed naturalium ſolùm habemus Rationem? Quare nos veſtem reſpicimus, corpus non curamus; vel umbras potius quàm ignem & lucem? Atque id agendo evitare putamus crimen ignorantiæ, vel blaſphemiæ? An noſtra Experimenta fallacia; noſtræ opiniones omni aurâ volubiliores, æqui valituras vel prævalituras putamus divinæ ſapientiæ, eorumque decreta expiaturas, vel immutaturas? Si Dei opera ſolius ſunt, morbos pellere, dæmonia ligare & ſolvere, peccata remittere & punire: quare nos mercedem exigimus ab ægris, cum nihil nos egerimus alterius, quàm quod noſtras manus, ſenſus & mentem divinæ mutuaverimus beneficentiæ; fortaſſe & iræ; ut per nos fieret, quod per morbos ſolos minimè factum fuiſſet; An non multi ægri exani-

*Experimentorum ac opinionum Vanitas.*

man-

mantur à Medicis, nobis id minimè ignorantibus; fortaſſe æquè multi & plures, nobis aliud quid ab eis promittentibus & ſperantibus; An neſcimus in humanis ludere divinam prudentiam rebus? Si homines ſciunt occultare ſua ſcelera, ut non animadvertantur; Quare non poſſit Deus occultare ſuas juſtitias, ita ut eas non niſi naturales impetus arbitrentur eſſe mortales. Si Scripturæ credendum eſt, tum nec Aſtra, nec Elementa, nec ignis, nec terra, nec aqua, aut eorum qualitates, primæ vel ſecundæ, manifeſtæ vel occultæ, Malignæ vel Alexiteriæ, ſunt recenſendæ, vel adnumerandæ morborum cauſis; nec vapores vel exhalationes, nec humores putreſcentes aut putridi, &c. ſed ipſiſſimi Angelici ſpiritus, ſunt demeſſores meſſis maturæ, & vindemiatores, lolii, tritici, uvarum terræ; & Spiritus ægritudinis, executores plagarum iræ Altiſſimi; ſive dæmonia monaſtica, Septenaria, Legionaria. Si autem cauſæ ſunt morborum Spirituales; per congrua ipſis quoque inſtrumenta exequuntur juſſa

*Morborum cauſa.*

jussa Domini, vel suos actus determinant in nobis, à mortalibus divellendis & immortalibus aggregandis; Quales enim sunt messores, vel cujus ordinis; tales quoque, vel ejusdem ordinis, sunt eorum falces, cultri, gladii, sagittæ, arcus. Ecce cum qualibus Entibus nobis Medicis res est, ægris nostro consilio vel auxilio profuturis; nisi eorum spem fallere, sumptibus defraudare, nosque ipsos crimine blasphemiæ in Deum cõtaminare velimus. Non enim sunt mortuæ qualitates Elementorum, non cæcæ virtutes saporum, odorum, colorum, ponderum, vaporum, humorum, sensibiliumque calorum vel frigorum impetus, morborum, dolorum, mortis causæ, hujus corporeitatis; Sed Substantiæ Rationales, Substantiæ Spirituales, Essentiæ insensibiles, omnibus mensuris temporaneis & localibus majores, omnibus virtutibus Elementalibus superiores; Quæ nemini parent, nisi Deo soli; nemini nocent, nisi hominibus ad tales plagas à Deo destinatis, illic & tunc; Quid si mortalium nemo vidisset, vel

*Medicis cum Spiritibus res est.*

vel videat adhuc unquam Angelos, vel Spiritus vexatores esse & afflictores hominum: Vel non credat id de eis docentibus? Ideò tamen non labefactabitur Scripturæ veritas, & oraculorum Divinorum certitudo. Revera enim Angeli sunt præfecti custodiendis, affligendis, curandis, cædendis, & quomodocunq; salvandis, aut perdendis hominibus; & omnibus & singulis. Non viderunt Ægyptii eum, qui percussit primogenita eorum; & tamen Moyses inquit fuisse Angelum. Ita & ille qui centum & octuaginta Assyriorũ trucidavit millia Angelus fuit; Qui percussit Herodem; Angelus fuit, quamvis à vermibus erosus fuisset. Non venenatas exhalationes, sed Viros, urbis præfectos, deleteriis armis armatos fuisse docet Ezechiel, qui percusserunt Hierosolymam, vel eam percutere destinati fuerunt. Spiritus ægitudinis & dæmonia, vocant Apostoli morborum causas. A turbine in cœlum asportatum fuisse Eliam de terris audimus; sed non à puro turbine, verùm eo vestitis igneis auriga curru &

*Angeli morborum causa.*

equis.



## *Ad Ingenuos Lectores*
### *Præfatio Secunda.*

NEmo est vestrum Ingenui Lectores, qui nesciat mundum opinionibus regi, & regi velle; Utinam autem Veris regi vellet; Sed, proh dolor, quotidiana attestatur Experientia, plerosque non saltem discipulorum, sed & Doctorum, probabilibus tantum, vel dubiis, imò verè & manifestè falsis, acquiescere; si saltem aliquam speciem veritatis habeant, vel multitudinis applausu, vel Superiorum authoritate, vel antiquitatis consuetudine fucatam. *Errorum causa.* Plurimi enim sunt, etiam inter nos Christianos, qui desperant omninò de possibilitate acquisitionis indubitatæ veritatis, vel Sapientiæ illius, quæ sub Mysterii titulis abscondita est; atquè ideò nec quærunt, quod se nunquam acquisituros credunt: Externi status Ratio est, & privatum commodum, non autem sapientiæ & veritatis amor, quod

quod moderatur judicia & desideria mortalium. Tamen de re unâ, eâque omnibus quoad nomen & formam externam notissima, non saltem diversi soni, sed & contrarii sensus, tumultuantur in scholis omnium sectarum opiniones; Quia Doctor unus alio, uti sibi doctior esse videtur, ita & æstimari vult ab aliis; cum tamen nihil minus sit quod nobis desit, quàm id, quo nos excellere putamus. Non opus est, ut controversas in scholis Theologicis materias allegemus; Medicorum saltem hallucinationes, de Sanguine, nobis hic sufficient; Quia verò me miseret ægrorum, errores Medicorum de Sanguine, symptomatis crudelibus luentium, inanibusq; & frustraneis expensis, tum in medicamenta, tum in Medicos; Miseret me & Medicinæ Studiosorum, qui irreparabile tempus juventuris suæ, inanibus impendunt; experimentis fallacibus seipsos captivantes, & onerantes, ut tandem veritatis omninò fiant incapaces; dum ejus sunt maximè indigi. Dum cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt;

inquit Scriptura. Hujus dicti veritas nullibi determinetur clarius, quàm in quotidiano ægrorum cum Medicis negotio. Multi enim Medicorum æquè causarum morbificarum ignari sunt, ac ægri ipsi, quamvis hi ab ipsis consilia & auxilia, tum petant, tum sperent. Nam si interrogetur hæmorrhagiam patiens, de Sanguine, quid sit, de cujus fluxus molestia conqueritur? vel quid sit Bilis, de cujus vel excessu, vel immoderato motu conqueritur? quæ sit utriusq; ebullitionis causa? quæ via? qui processus, dum hæc vel ille vomitur, cacatur, mingitur? Ad hæc interrogata non aliter respondebit Medicus, quàm æger; vel hic, quàm ille; vel si aliis verbis alteruter; in eodem tamen sensu. Humorem inquiet uterque, & sanguinem & bilem esse in Arteriis & Venis humanis contentum; Bilem quidem ex sanguine nasci; Sanguinem autem ex cibo & potu, beneficio caloris ventriculi in chymum vel chylum mutato, tandem per venas mesenterii ad venas communes delato, vique sanguificâ hepatis, in eam for-

mam

mam quæ ſanguis dicitur, commutato, generatum. Ex Venis autem, vel Vaſis ſuis ordinariis erumpere, dum vomitur, cacatur, vel mingitur; per eorum diabroſin, eroſionem, vel continuitatis ſolutionem, ab ulcere vel apoſtemate cauſatam. Eo ſaltem diſcrepabit ſermo Medici à reſponſo ægri, ſi diſcrepabit, quod hic plura nominare ſciat interna corporis membra; vel membrorum contenta; vel plures comminiſci hæmorrhagiæ cauſas; vel quòd ſibi videatur ſcire certa quædam media vel remedia ſua propriâ, vel aliorum experientiâ comprobata, per quæ læſa continuitas Venarum vel Arteriarum conſolidari, ſanguinisque eruptio cohiberi poſſit; quamvis ex ſimplici ejus cohibitione, majora incommoda immineant patienti, quâm ex ejus fluxu; æger autem ita diſertè de morbis loqui neſciat. Non tamen ſemper reſpondent perſonæ, ſuis titulis; vel officiales, ſuis officiis; Artifici quidem omni in arte ejus credendum eſt, ſed vero, non mendaci; Sunt, uti inter Prophetas, ita & inter

*Artifici in ſua arte credendum eſt.*

Medicos multi, de quibus audiendum eſt, quod Chriſtus dixit de Prophetis; nempe, Cavete vobis à Pſeudo-Medicis; quia his dæmonia obſequi neſciunt nec volunt; melius enim hæc diſcernereMedicos ſciunt quâm ægri ipſi; Hi ab eventu; illa, à virtute judicant eos. Satis hodie videtur factum arti, officio,titulo; ægro medicamenta exhibuiſſe longo uſu, & experientiâ comprobata. Ex pluribus, iisqueprætioſis admodum ingredientibus compoſita; Ex Principum aulis,vel Medicorum antiquorum & celebrium monumentis corraſa. Anus, circumforaneus,balneator,barbitonſor,&viliſſimus quisque, ſine ratione,ſine judicio, ſine conſcientia, ſine omni morbi cauſarum diſcrimine medicans, ſapientiſſimis & prudentiſſimis æquivalet imò præfertur Medicis. Ultra ſenſibilia nec ægri procedunt,nec Medici: Senſus, & horum, & illorum, captivant rationem & judicia. Myſteria, ne illi quidem curant, qui myſteriorum diſpenſatores nominari volunt. Medicina autem in ſua

Maje-

Majeſtate conſiderata, revera eſt Ars Myſtica, myſteriorum plena; in profunditates Satanæ, & inferos humani generis hoſtes, ſua dirigens molimina, & vibrans arma. Ideò ſi cui artifici neceſſaria eſt Pietas, Fides, Prudentia in ejus arte; neceſſaria eſt Medico, ſuo officio & titulo, ex dignitate artis ſatisfacturo. Omnia enim morborum principia occulta ſunt, & in tenebris abſcondita, quamvis ſymptomata ſint ſenſibilia; ſic ſe habent & ſanguinis ipſius cauſæ, materiales & formales, omnium denique vaporum & humorum, nutritivorum & excrementitiorum generationis proceſſus. Sectio cadaverum artificialis, ſitusque & conformationis membrorum internorum & externorum examen vel ſcrutinium, multum ad cognitionem morborum omnium conducere judicat vulgus; quaſi pars affecta, idem ſit quod vapor, vel humor afficiens; Ideò eos qui in hac arte excellunt, prudentiſſimis & Excellentiſſimis Medicis adnumerat; quaſi cognitio à poſteriori præſtantior eſſet, quàm

cognitio à priori; vel Effectuum, quàm Causarum. Sed si Medicina Rationalis, cum Dogmatica, vel cum Anatomica & Empyrica conferatur, tum magna earum apparebit discrepantia; nam in his tribus desunt ea omnia, quæ ad Medicinæ integritatem sunt requisita; sicq; una illa sola prædominatur his tribus, sicuti Domina ancillis, vel Philosophia Sophisticæ. Anatomica enim, nō causarum insensibilium; non seminalium Rationum; non formalium principiorum; non vaporum, impetus facientium; sed tantum affectarum partium, situs, conformationis, connexionis est demonstratrix; magis Chyrurgo utilis, quàm Medico necessaria. Nihil enim cōducit ad cognitionē generationis fui processus vel vaporum vel humorum; sed saltem ad localium motuum, eorum quæ sensibiliter moventur, differentiam, An sint vapores aliqui, aut nulli? an eorum aliqui sensibiles, vel insensibiles? An dentur sapores, colores, odores, sine ponderibus? vel quæ ponderosa, saporum vel odorum tincturis destituta?

alias

alias denique circumſtantias ſignaturarum non ſcrutatur Anatomicus; in ſenſibilibus ſaltem ſubſiſtit. Sed ars & Prudentia Medici Rationalis, profundiùs penetrat, quàm aut manus, aut oculus Anatomici pertingere poteſt; ſive ad ipſiſſima Vitalium & Morbificorum principiorum centra, inſenſibilia & tenebricoſa; ad ſublimitates & profunditates abyſſi, quarum ſenſus ſunt incapaces. Medicos, non Anatomicos tantum, non Botanicos, non Chyrurgos, non Litteratos tantum eſſe oportet; vel humanitùs inſtructos; Sed Philoſophos divinitùs doctos quoque; nam Medicina eſt donum Spiritus, non autem alterius alicujus, quàm illius qui Fidei collator eſt, & ſapientiæ Doctor. Nam Prophetæ fuerunt Medici, & Medici fuerunt Apoſtoli; Unum donum Spiritus alterum non tollit, ſed amplificant Majeſtatem collatoris in utroque. Piſcatores eſſe deſierunt, Apoſtolatui præficiendi; Sed non Medici; Prophetiam non prophanarunt medendo Prophetæ, ſed utroque modo fuerant mundo admira-

*Anatomicæ & Rationalis Medicinæ diſcrimen.*

libet morbus eum sibi quoque præsentem habeat; æquæ Calculus ac Caducus; æque Hæmorrhagia,ac Apoplexia; Si verò divina cum naturalibus sic communicant, sicuti umbræ cum luce, vel vestes cum corpore? Quare nos nullam Divinorum, sed naturalium solùm habemus Rationem? Quare nos vestem respicimus, corpus non curamus; vel umbras potius quàm ignem & lucem? Atque id agendo evitare putamus crimen ignorantiæ, vel blasphemiæ? An nostra Experimenta fallacia; nostræ opiniones omni aurâ volubiliores, æqui valituras vel prævalituras putamus divinæ sapientiæ, eorumque decreta expiaturas, vel immutaturas? Si Dei opera solius sunt, morbos pellere, dæmonia ligare & solvere, peccata remittere & punire: quare nos mercedem exigimus ab ægris, cum nihil nos egerimus alterius, quàm quod nostras manus, sensus & mentem divinæ mutuaverimus beneficentiæ; fortasse & iræ; ut per nos fieret, quod per morbos solos minimè factum fuisset; An non multi ægri exani-

*Experimentorum ac opinionum vanitas.*

man-

mantur à Medicis, nobis id minimè ignorantibus; fortaſſe æquè multi & plures, nobis aliud quid ab eis promittentibus & ſperantibus; An neſcimus in humanis ludere divinam prudentiam rebus? Si homines ſciunt occultare ſua ſcelera, ut non animadvertantur; Quare non poſſit Deus occultare ſuas juſtitias, ita ut eas non niſi naturales impetus arbitrentur eſſe mortales. Si Scripturæ credendum eſt, tum nec Aſtra, nec Elementa, nec ignis, nec terra, nec aqua, aut eorum qualitates, primæ vel ſecundæ, manifeſtæ vel occultæ, Malignæ vel Alexiteriæ, ſunt recenſendæ, vel adnumerandæ morborum cauſis; nec vapores vel exhalationes, nec humores putreſcentes aut putridi, &c. ſed ipſiſſimi Angelici ſpiritus, ſunt demeſſores meſſis maturæ, & vindemiatores, lolii, tritici, uvarum terræ; & Spiritus ægritudinis, executores plagarum iræ Altiſſimi; ſive dæmonia monaſtica, Septenaria, Legionaria. Si autem cauſæ ſunt morborum Spirituales; per congrua ipſis quoque inſtrumenta exequuntur *Morborum cauſa.*

juſſa

jussa Domini, vel suos actus determinant in nobis, à mortalibus divellendis & immortalibus aggregandis; Quales enim sunt messores, vel cujus ordinis; tales quoque, vel ejusdem ordinis, sunt eorum falces, cultri, gladii, sagittæ, arcus. Ecce cum qualibus Entibus nobis Medicis res est, ægris nostro consilio vel auxilio profuturis; nisi eorum spem fallere, sumptibus defraudare, nosque ipsos crimine blasphemiæ in Deum cōtaminare velimus. Non enim sunt mortuæ qualitates Elementorum, non cæcæ virtutes saporum, odorum, colorum, ponderum, vaporum, humorum, sensibiliumque calorum vel frigorum impetus, morborum, dolorum, mortis causæ, hujus corporeitatis; Sed Substantiæ Rationales, Substantiæ Spirituales, Essentiæ insensibiles, omnibus mensuris temporaneis & localibus majores, omnibus virtutibus Elementalibus superiores; Quæ nemini parent, nisi Deo soli; nemini nocent, nisi hominibus ad tales plagas à Deo destinatis, illic & tunc; Quid si mortalium nemo vidisset,

*Medicis cum Spiritibus res est.*

vel videat adhuc unquam Angelos, vel Spiritus vexatores esse & afflictores hominum: Vel non credat id de eis docentibus? Ideò tamen non labefactabitur Scripturæ veritas, & oraculorum Divinorum certitudo. Revera enim Angeli sunt præfecti custodiendis, affligendis, curandis, cædendis, & quomodocunq; salvandis, aut perdendis hominibus; & omnibus & singulis. Non viderunt Ægyptii eum, qui percussit primogenita eorum; & tamen Moyses inquit fuisse Angelum. Ita & ille qui centum & octuaginta Assyriorũ trucidavit millia Angelus fuit; Qui percussit Herodem; Angelus fuit, quamvis à vermibus erosus fuisset. Non venenatas exhalationes, sed Viros, urbis præfectos, deleteriis armis armatos fuisse docet Ezechiel, qui percusserunt Hierosolymam, vel eam percutere destinati fuerunt. Spiritus ægitudinis & dæmonia, vocant Apostoli morborum causas. A turbine in cœlum asportatum fuisse Eliam de terris audimus; sed non à puro turbine, verùm eo vestitis igneis auriga curru & equis.

*Angeli morborum causa.*

equis. Nemo tamen vidit hos in turbine, præter ſolum Eliſæum, hâc viſionis virtute in Prophetam Eliam ſuccedaneum, præ aliis Prophetarum filiis deſignatus; Nos quia nec ipſi videmus, nec alii; vel nos nulli, nullus nobis demonſtrare poteſt Angelorum præſentiam ſive malorum, ſive bonorum, res quoque noſtras ab eis cuſtodiri, vel lædi non credimus; Verùm ſolis ſenſibilibus amicis, inimicis, inſtrumentis vel cauſis putativis, nos contingentibus, acta imputamus. Imò, quod peſſimum eſt, pati nolumus, ut aliquis per ignotas nobis rationes, vel inconſuetas, veritatem dictorum ſuorum fulcire ſtudeat; Cometam metuimus, non quod horrendum vel noxium, ſed quod inſolitum ſydus eſt; Solem autem, quamvis Cometa nobilior ſit, tamen magni non æſtimamus; quia quotidianus. Diſſimulamus verbis Dei & Cœli amorem; ſed re ipsâ, & in animo, ea omninò faſtidimus & abominamur. Quæ vitia, quamvis occulta, tamen noſtræ cum Satana communionis certa ſunt indicia; ſi nõ aliis,

nobis

nobis tamẽ ipsis. Quia autem nobis Medicis, cum morbis, & morborum caussis, res est, quæ propriè Spiritus sunt inferi, dæmonia in Scriptura, & Spiritus ægritudinis dicti; Igitur non nos peccamus, vel aliena ab officio nostro tractamus, ex Philosophia Prophetica, illorũ discere studentes cognitionem; nonque nos Polypragmones sumus, sed illi qui nos ut Polypragmones calumniantur & cõvitiantur, Cæcorum malentes ducere, vel cogere agmen, nemini infensiores quàm illis, quos aut acutius vidẽtes, aut non omninò cæcos esse animadvertunt. Ego autem optarem, ut illi ad nauseam usq; satiarentur rebus ab eis desideratis, nempe divitiis, honoribus, voluptatib⁹; ego nihil horum affecto, vel me acquisiturum spero; sed invidiam saltem, odium, & calumnias, me pro gloria, ex conatu meo reportaturum metuo, tamen sperno; quia finitis hujus vitæ temporaneæ molestiis æternam quietem credo, quam mihi promisit Spiritus, fallere adulari, mentiri nescius. Sed hic quiesco, & Tibi, Lector amice dico Vale.



# Ad Ingenuos Lectores
## Præfatio Secunda.

NEmo est vestrum Ingenui Lectores, qui nesciat mundum opinionibus regi, & regi velle; Utinam autem Veris regi vellet; Sed, proh dolor, quotidiana attestatur Experientia, plerosque non saltem discipulorum, sed & Doctorum, probabilibus tantum, vel dubiis, imò verè & manifestè falsis, acquiescere; si saltem aliquam speciem veritatis habeant, vel multitudinis applausu, vel Superiorum authoritate, vel antiquitatis consuetudine fucatam. Plurimi enim sunt, etiam inter nos Christianos, qui desperant omninò de possibilitate acquisitionis indubitatæ veritatis, vel Sapientiæ illius, quæ sub Mysterii titulis abscondita est; atquè ideò nec quærunt, quod se nunquàm acquisituros credunt: Externi status Ratio est, & privatum commodum, non autem sapientiæ & veritatis amor, quod

*Errorum causa.*

quod moderatur judicia & desideria mortalium. Tamen de re unâ, eâque omnibus quoad nomen & formam externam notissima, non saltem diversi soni, sed & contrarii sensus, tumultuantur in scholis omnium sectarum opiniones; Quia Doctor unus alio, uti sibi doctior esse videtur, ita & æstimari vult ab aliis; cum tamen nihil minus sit quod nobis desit, quàm id, quo nos excellere putamus. Non opus est, ut controversas in scholis Theologicis materias allegemus; Medicorum saltem hallucinationes, de Sanguine, nobis hic sufficient; Quia verò me miseret ægrorum, errores Medicorum de Sanguine, symptomatis crudelibus luentium, inanibusq; & frustraneis expensis, tum in medicamenta, tum in Medicos; Miseret me & Medicinæ Studiosorum, qui irreparabile tempus juventutis suæ, inanibus impendunt; experimentis fallacibus seisos captivantes, & onerantes, ut tandem veritatis omninò fiant incapaces; dum ejus sunt maximè indigi. Dum cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt;

inquit Scriptura, Hujus dicti veritas nullibi determinetur clarius, quàm in quotidiano ægrorum cum Medicis negotio. Multi enim Medicorum æquè causarum morbificarum ignari sunt, ac ægri ipsi, quamvis hi ab ipsis consilia & auxilia, tum petant, tum sperent. Nam si interrogetur hæmorrhagiam patiens, de Sanguine, quid sit, de cujus fluxus molestia conqueritur? vel quid sit Bilis, de cujus vel excessu, vel immoderato motu conqueritur? quæ sit utriusq; ebullitionis causa? quæ via? qui processus, dum hæc vel ille vomitur, cacatur, mingitur? Ad hæc interrogata non aliter respondebit Medicus, quàm æger; vel hic, quàm ille; vel si aliis verbis alteruter; in eodem tamen sensu. Humorem inquiet uterque, & sanguinem & bilem esse in Arteriis & Venis humanis contentum; Bilem quidem ex sanguine nasci; Sanguinem autem ex cibo & potu, beneficio caloris ventriculi in chymum vel chylum mutato, tandem per venas mesenterii ad venas communes delato, vique sanguificâ hepatis, in eam formam

mam quæ ſanguis dicitur, commutato, generatum. Ex Venis autem, vel Vaſis ſuis ordinariis erumpere, dum vomitur, cacatur, vel mingitur; per eorum diabroſin, eroſionem, vel continuitatis ſolutionem, ab ulcere vel apoſtemate cauſatam. Eo ſaltem diſcrepabit ſermo Medici à reſponſo ægri, ſi diſcrepabit, quod hic plura nominare ſciat interna corporis membra; vel membrorum contenta; vel plures comminiſci hæmorrhagiæ cauſas; vel quòd ſibi videatur ſcire certa quædam media vel remedia ſua propriâ, vel aliorum experientiâ comprobata, per quæ læſa continuitas Venarum vel Arteriarum conſolidari, ſanguinisque eruptio cohiberi poſſit; quamvis ex ſimplici ejus cohibitione, majora incommoda immineant patienti, quàm ex ejus fluxu; æger autem ita diſertè de morbis loqui neſciat. Non tamen ſemper reſpondent perſonæ, ſuis titulis; vel officiales, ſuis officiis; Artifici quidem omni in arte ejus credendum eſt, ſed verò, non mendaci; Sunt, uti inter Prophetas, ita & inter

*Artifici in ſua arte credendum eſt.*

Medicos multi, de quibus audiendum eſt, quod Chriſtus dixit de Prophetis; nempe, Cavete vobis à Pſeudo-Medicis; quia his dæmonia obſequi neſciunt nec volunt; melius enim hæc diſcernere Medicos ſciunt quàm ægri ipſi; Hi ab eventu; illa, à virtute judicant eos. Satis hodie videtur factum arti, officio, titulo; ægro medicamenta exhibuiſſe longo uſu, & experientiâ comprobata. Ex pluribus, iisque prætioſis admodum ingredientibus compoſita; Ex Principum aulis, vel Medicorum antiquorum & celebrium monumentis corraſa. Anus, circumforaneus, balneator, barbitonſor, & viliſſimus quisque, ſine ratione, ſine judicio, ſine conſcientia, ſine omni morbi cauſarum diſcrimine medicans, ſapientiſſimis & prudentiſſimis æquivalet imò præfertur Medicis. Ultra ſenſibilia nec ægri procedunt, nec Medici: Senſus, & horum, & illorum, captivant rationem & judicia. Myſteria, ne illi quidem curant, qui myſteriorum diſpenſatores nominari volunt. Medicina autem in ſua Maje-

Majeſtate conſiderata, revera eſt Ars Myſtica, myſteriorum plena; in profunditates Satanæ, & inferos humani generis hoſtes, ſua dirigens molimina, & vibrans arma. Ideò ſi cui artifici neceſſaria eſt Pietas, Fides, Prudentia in ejus arte; neceſſaria eſt Medico, ſuo officio & titulo, ex dignitate artis ſatisfacturo. Omnia enim morborum principia occulta ſunt, & in tenebris abſcondita, quamvis ſymptomata ſint ſenſibilia; ſic ſe habent & ſanguinis ipſius cauſæ, materiales & formales, omnium denique vaporum & humorum, nutritivorum & excrementitiorum generationis proceſſus. Sectio cadaverum artificialis, ſitusque & conformationis membrorum internorum & externorum examen vel ſcrutinium, multum ad cognitionem morborum omnium conducere judicat vulgus; quaſi pars affecta, idem ſit quod vapor, vel humor afficiens; Ideò eos qui in hac arte excellunt, prudentiſſimis & Excellentiſſimis Medicis adnumerat; quaſi cognitio à poſteriori præſtantior eſſet, quàm

cognitio à priori; vel Effectuum, quàm Causarum. Sed si Medicina Rationalis, cum Dogmatica, vel cum Anatomica & Empyrica conferatur, tum magna earum apparebit discrepantia; nam in his tribus desunt ea omnia, quæ ad Medicinæ integritatem sunt requisita; sicq; una illa sola prædominatur his tribus, sicuti Domina ancillis, vel Philosophia Sophisticæ. Anatomica enim, nõ causarum insensibilium; non seminalium Rationum; non formalium principiorum; non vaporum, impetus facientium; sed tantum affectarum partium, situs, conformationis, connexionis est demonstratrix; magis Chyrurgo utilis, quàm Medico necessaria. Nihil enim cõducit ad cognitionẽ generationis sui processus vel vaporum vel humorum; sed saltem ad localium motuum, eorum quæ sensibiliter moventur, differentiam, An sint vapores aliqui, aut nulli? an eorum aliqui sensibiles, vel insensibiles? An dentur sapores, colores, odores, sine ponderibus? vel quæ ponderosa, saporum vel odorum tincturis destituta?

alias denique circumſtantias ſignaturarum non ſcrutatur Anatomicus; in ſenſibilibus ſaltem ſubſiſtit. Sed ars & Prudentia Medici Rationalis, profundiùs penetrat, quàm aut manus, aut oculus Anatomici pertingere poteſt; ſive ad ipſiſſima Vitalium & Morbificorum principiorum centra, inſenſibilia & tenebricoſa; ad ſublimitates & profunditates abyſſi, quarum ſenſus ſunt incapaces. Medicos, non Anatomicos tantum, non Botanicos, non Chyrurgos, non Litteratos tantum eſſe oportet; vel humanitùs inſtructos; Sed Philoſophos divinitùs doctos quoque; nam Medicina eſt donum Spiritus, non autem alterius alicujus, quàm illius qui Fidei collator eſt, & ſapientiæ Doctor. Nam Prophetæ fuerunt Medici, & Medici fuerunt Apoſtoli; Unum donum Spiritus alterum non tollit, ſed amplificant Majeſtatem collatoris in utroque. Piſcatores eſſe deſierunt, Apoſtolatui præficiendi; Sed non Medici; Prophetiam non prophanarunt medendo Prophetæ, ſed utroque modo fuerant mundo admira-

*Anatomicæ & Rationalis Medicinæ diſcrimen.*

tioni: Sacerdotibus, Prophetis, Majis, Thaumaturgis semper æquales, nunquam illis inferiores. Ideò, inquit Syrach, affice Medicum honoribus usui ipsius convenientibus; Quem nempe creavit Dominus: Nam ab Altissimo curatio est; Ideò Medicus non saltem pendere debet à humanis testimoniis, non à littera, non à sensibus, vel à sensibilibus, sed à Divinæ Naturæ consortio, & instinctibus Spiritualibus. Philosophia enim, est Scientia rerum & divinarum & humanarum, & cœlestium, & terrestrium, & sensibilium & insensibilium; Medicus autem Philosophus ut sit necesse est; sive ad praxin instructus utrinque, & à Deo & ab hominibus; maximè autem à Deo, qui solus est Sapientiæ Doctor; Mysteriorum denique & Cælestium, & Terrestrium si non exactè gnarus, tamen omninò non ignarus. Nam quicquid demonstrant Theologi in cælo, vel in mundo externo & sensibili; demonstrare, vel scire debet Medicus in homine, maximè autem in seipso; non ex rationibus aliunde comparatis;

*Medicus esse debet Philosophus.*

ratis; ut ſaltem hiſtoricè ſciat id quod ſcit; Sed ex proprio ejus animo ſcaturientibus. Ideò ſi vera loqui debeam, adverſum omnis invidiæ, calumniæ, pudoris, terroris, paupertatis, morborum & mortis minas; quæcunq; animos labefactare poſſunt, ſtare debet Medicus impavidus: Sed tales virtutes non requiruntur in Anatomico, nec ex ejus arte fluunt. Quod corpora hæc noſtra mortalia conſtent ex rebus, ex quibus nutrimur; conſentiunt Anatomici cum Medicis; Illi hic quieſcunt; Medici autem quia Philoſophi ſunt, per certas rationes, ex ſignaturis, affectibus, virtutibus, deſideriis, eaſdem ſeminales Rationes parturire in nobis, quæ in majori mundo, & ipſi ſciunt, & aliis demonſtrant. Intùs in nobis meteora naſci, Solem, Lunam ecclypſin pati; Fontes ſcaturire, exareſcere, Humores confluere; ſicca diffluere; Cælum cum Terra, lucem cum tenebris reciprocari, temporum, locorum leges arctiſſimè cuſtodiri, & tamen mutari omnia; Sciunt qui Medici ſunt; Ænigmata ſua à

*Medicorum verorum ſigna.*

Vatibus ſacris; & hi à Medicis, mutu accipiunt; atque & in eo conſpirant u trique. Quæ de ſignis mortis effatus eſt Eccleſiaſtes; & quæ Chriſtus de ſignis adventus ſui, & finis hujus ſeculi; ea ſic conciliare ſciunt, ut nullo egeant interprete. Per prudentiam ſingularem patrabant miracula olim Sapientes, quos Gentes, Magos; Judæi, Prophetas nominabant; Talia quoque patrant hodie Medici in corporibus humanis, pari cum diſcrimine. Plurimi erant Leproſi tempore Eliſæi, ſed ſolus Naëman à lepra liberatus per Prophetam; Multi à nativitate cæci; ſed non omnibus viſus contigit à Domino; Solus ex ſepulcro reſurrexit Lazarus inter omnes ſepultos. Multi fuerunt Chriſti tempore, qui ejiciebant dæmonia ex corporibus obſeſſorum, nulli tamen eâ authoritate, ſicuti Chriſtus & Apoſtoli. Ita innumeri ſunt hodie, qui nominantur Medici, ſed pauci qui ſunt; & inter eos qui ſunt ſub hoc titulo celeberrimi. Non enim Medici ſunt, qui ſymptomatibus medentur, Experimentis fallacibus, ſu-

*Medici ſunt Thaumaturgi.*

per-

perstitiosis ritibus, vulgarib⁹ ceremoniis & methodo externâ, legibus scholasticis authentisatâ; Sed qui Virtute & Prudentiâ divinitus acquisitâ. Alius est processus illius cognitionis acquirendæ quæ est de sanguine, per litteram; alius quæ est per Rationem. Per instructionem extrinsecam, ex peregrinæ litteræ vel vocis persuasione haustam, judicamus massę sanguineæ generationis processum, sive in Fieri adhuc, esse sensibilem; & sanguinem generari quasi ad oculum, simplici, chyli vel chymi, ex ventriculo egressi, & per Venas Mesenterii ad Hepar delati mutatione. Ideò Hepati soli à plurimis appropriatur Sanguificationis actus; Quamvis & multi sint, qui cor in ejus actus communionem trahant. Opinio autem communis, de Sanguificationis Ubi, ex sola Anatomicorum persuasione nata est, illorumq; testimoniis suffulta, stat & hodie. Hi enim in Theatris publicis illi sectioni destinatis, demonstrant ad oculum, sensibilem continuationem venarum mesaraicarum cum venis communi- *Venarum mesaraicarum continuatio.*

bus,

bus, harumque cum arteriis; Et sensibilem processum, uti illi putant, chyli e stomacho egressi, per intestina gracilia venasq; mesaraicas, ad sanguinea vasa. Nec est qui de veritate hujus sententiæ dubitare vel sciat, vel audeat, inter Studiosos Medicinæ, nisi ex synagoga pelli velit; Tamen à Medicis judicio maturis, cum rationibus solidis & sanis collata, non saltem valdè dubia, sed & omninò falsa esse deprehendetur: Si nempe, sepositis aliquandiu præconceptis opinionibus, rationes pro & contra sonantes ventilatæ, judicioque libero discussæ fuerint. Ita quidem est, quod omnia, si situm spectes, sic se habeant intùs in concavo pectoris, uti de eis sonant Anatomicorum relationes. Nam sunt Venæ multæ mesenterii, quarum orificia utrinque hiant, vel ab una parte ab hepate excipiuntur, ab altera autem ab Intestinis gracilioribus; Concavitates quoque Venarum illarum mesaraicarum, refertæ sunt humoribus vel succis, non usque quaque rubescentibus, sed lividis & albicantibus, in parte earum

:arum versus intestina propendente; a parte autem hepar contingente, rubicundioribus. Non itaque adsum hic ego, ut sententiam Anatomicorum, de situ Venarum mesaraicarum, & earum contenti colorem, reprehendam, vel in controversum sensum traham; Sed aliud quidpiam est, quod mihi magni erroris suspectum esse videtur, eousque quousque sanis & solidis rationibus, vel certioribus quàm communes sunt, Anatomici scrupulum hunc deterserint; atque probarint, quod usus nempe Venarum mesaraicarum consistat in tractione succi nutritivi ex intestinis gracilioribus sursum ad Hepar; Ego enim sentio & defendam, Venas mesaraicas ex Venis totius corporis, fæces & excrementa sanginis leviora, ad intestina deferre. Nam si sensibilis est processus humorum nutritivorum ad venas; non minus sensibilis ut sit necesse est, Excrementorum ex Venis ad intestina de ductu biliario dicto; idem quod ego sentiunt quoque Anatomici. Sed si unus hiatus vel meatus ab hepate ad intestina pro-

*Scrupulus Authoris de Venarum mesaraicarum usu.*

propendens, non trahit ex inteſtinis, ſed aliunde excepta, in inteſtina dejicit: Per quam rationem defendemus, alias venas contrarium agere, vel ex inteſtinis ſugere quæ habent, & inde excepta ad hepar deferre; præſertim cum videamus ſæpè, imó quotidiè, cacari, ſanguinem, pituitamque æque ac bilem. Nec eſt aliquis Medicorum, qui aliter ſentiat de ductu biliario quam ego, vel ego, quàm alii; ſed non niſi ſimiliter omnes: Sed de officiis & uſu venarum aliarum meſenterii, diſſentiunt à me Medicorum plurimi, ita & ego ab ipſis; nullas enim ſcio rationes, per quas cogar idem cum illis ſentire; Multitudo conſentientium nihil probat; ſed ratio una vera, prævalet & millenariæ multitudini, apud eos qui rationibus regi volunt. Ego autem per Rationem eam, per quam Medici docent bilem ex ſanguine ad inteſtina exonerari, probabo non ſolam bilem, ſed humores omnes ex ſanguine natos per Venas meſaraicas ad inteſtina ferri. Non alibi enim incipit vel deſinit canalis bili pervius,

*Ratio dubitationis authoris.*

quam

quam illinc,& illic,ubi incipiunt vel desinunt omnes Venæ mesenterii, quotquot sunt; Nisi Lienem ab Hepate discernamus. Non negabunt fortasse Anatomici, actum nutritionis priorem esse actu sanguificationis; Hunc autem Carnificatione; Sensibilis autem est meatus, per quem cibulenta & potulenta in ventriculum ingeruntur; Sed per quam viam seminales rationes ex cibulentis & potulentis materiis halantes, quibus quietantur famis & sitis molestiæ, mox à cibo & potu sumpto, ad spiritus famelicos & sitibundos deferantur, atque ubi eorum fiat congressus? id non cuique manifestum est; nec est in Anatomicorum scientia id demonstrare; quamvis id fieri possibile & facilè putent Anatomiæ Professores. Nisi aliquis actus alius præcederet actum sanguificationis, tum non citius satiarentur famis & sitis molestiæ, quàm confieret sanguis; atque sic saturatio famis & sitis, esset ultimum naturæ opus; quod tamen esse primum, attestantur omnes vivi; Carnalisationem autem vel sagi-

*Actus nutritionis Spirituum præcedit actum sanguificationis.*

natio-

*Sanguis indefinenter & fit & esse desinit.*

nationem membrorum ultimum, etiam ſanguificatione poſteriorem; Sanguinem indeſinenter generari novum ex non ſanguine; ita & ex ſanguineo humore homogeneo, plures excludi heterogeneos; certum eſt, ſive quicquid ab una parte ſanguini decedit, tantum ei ab altera accedere, nemo eſt qui dubitet: Sed quis ſcit unde id accipiat ſanguis quod habet, vel quo deponat quod excernit? Ex vaporibus cibi & potus ſubtiliſſimis, nutriuntur & ſatiantur ſpiritus, eorumque deſideria quietantur; Quod autem poſt eorum ſatiationem reliquum eſt, an evaneſcat, an evaporet, an ad alios uſus transferatur, & per quas vias, quis eſt qui ſciat? Non enim tantum ſemper ingeritur cibi in ſtomachum, quantum ejus ſufficeret ſatiandis ſpirituum deſideriis, ſed ſæpe, imò ſemper plus; nam uti commune ſonat proverbium, Natura eſt paucis contenta; quod autem Naturæ ſufficit, & id homini, quâ homini, multum eſt. Quamvis verò de eo conſtet omnibus, quòd nempe moleſtiæ famis & ſitis, in

ipſo,

ipſo, vel ab ipſo eſitionis & bibitionis momento quietentur: Quis tamen eſt, qui ſciat, an ex iisdem materiis, vel ita ſubito, generetur ſanguinis maſſa, ex quibus, & quam citò ſubſidēt deſideriorum moleſtiæ? Et niſi rationem conſuluerimus, ſoli ſenſus hîc nobis nequaquam ſatisfacient. Anima carnis, vel quocunque alio nomine eam cui vocare placuerit, & forma ſubjecti ſui, non tãtum ſibi ipſi proſpicit ſuisq; concupiſcentiis, per actum eſionis & bibitionis, ſed toti quoque corpori, ejusque virtutibus. Ex reliquis autem & ſuperfluitatibus ſuis, tantum corpori, ipſa autem ſibi primum; ſive priùs ſatiantur ſpiritus, quàm ſatiantur membra & carnes. Actus ſatiationis animæ, brevi admodum temporis ſpatio terminatur; ſed non ita citò Sanguificatio & Carnalizatio. Satiationem ſpirituum, ſequitur immediatè ſanguinis generatio; Sed ſanguinis generationem carnalizatio. Sanguis in primo ſuæ generationis exordio, homogeneus omninò eſt; ſed ſenſim heterogeneizatur, & ex vapo-

*Anima ſatiatur citiùs, quàm caro.*

D roſo

ipso humorisatur, in variosque desinit humores, nempe in bilem omnis generis; in pituitam, in melancholiam, urinam, sudorem, &c. qui per peculiaria emunctoria excernuntur, sed sensibilia singuli. Impossibile enim est sensibile corpus per alias vias ferri, quàm per sensibiles. Quæ sunt insensibilia, illa quoq; per similes meatus excernuntur, absq; omni continuitatis solutione; Vapores penetrant & ea, quæ humoribus sunt impervia. Nervi quamvis non sunt concavi, sed medullares intùs, ideoquè nullorum humorum capaces; tamen vaporibus subtilioribus sunt pervii. Quòd in Venis & Arteriis vapores æquè ac humores contineantur, non Ratio id sola, sed & sensus attestantur. Quod verò Phlegma, Bilis, Melancholia, actu in sanguine adhuc in Venis & Arteriis hærente, semper sint sensibilia; concedet id nobis nemo, nisi in sensu, uti loquuntur scholæ, ad potentiam; nec nos id aliter alicui concedemus. Citius autem quàm quid actu tale existat, Potentiâ solâ fuit tale in sanguine: vel citius quam

*Nervi humorum capaces non*

*Potentiâ est aliquid citius quam actu.*

quàm humor humor ſit, vapor eſt; Vapores autem illi qui immediatè in humores deſinunt, diverſi ſunt à vaporibus illis, qui imaginum ſunt capaces, vel per quos ſatiantur famis & ſitis deſideria. Nam ſicuti ex humoribus humores, ita ex vaporibus vapores naſcuntur. alii aliis ſubtiliores & craſſiores. Vapores ſanguinis arterioſi, diſcrepant à vaporibus nervoſis; utrique à venoſis; non ſaltim æquè ſicuti bilis à bile, vel phlegma à phlegmate, ſed & magis. Non enim omnis vapor in corpore noſtro ex humoribus tantum generatur; Sed multi immediatè à ſpiritibus ſeminalibus, in corporibus ſenſibilibus inſenſibiliter latentibus. Vaporum tamen ex humoribus, vel humorum ex vaporibus indeſinens quoque eſt generatio, vel reciprocatio. A vapore vel aëre colorato, quâ coloratus, non afficitur auditus; nec à ſonoro, vel odorifero, vel ſapido viſus; Tamen ſolus vapor eſt, à quo immediate afficiuntur ſenſus interni. Ita à diverſis tum humoribus tum vaporibus afficiuntur Venæ, Arteriæ, je-

*Vapores quidam immediatè à ſpiritibus.*

*Vaporum nulla certa nomina.*

cur, pulmo, cerebrum, &c. Humoribus certa ſunt impoſita nomina, ſed vaporibus nulla à Medicis; quamvis vapores differre debeant priùs, quàm in humores derivetur diſcrepantia. Non poteſt enim aliquid eſſe humor, quod prius non fuiſſet vapor; quamvis vapor poſſit exiſtere ante humorem: ſicuti Tenebræ ante Lucem; vel Æternitas ante Tempora; vel Principia, ante numerabilia prima. Anatomicorum etiam accuratiſſima induſtria, altius non penetrat vel profundius, quàm ad cognitionem ſitus & conformationis membrorum, eorumque continuitatis vel contiguitatis; vel ſi altius pertingit? ad humorum ſenſibilium diverſitatis. Ad vapores non penetrat; ſcilicet eos qui non ex humoribus, ſed ex quibus humores tantum naſcuntur; ipſi autem immediatè ab inſenſibilibus ſeminariis ſcatu-

*Ratio docet, quæ ſenſus non capit.*

riunt. Solius id Rationis officium eſt; Vapores enim ſeminales, ſenſuum deſpiciunt cenſuras, ſolámq; imaginationem exercent in ſuo exortu. Nec etiam omnis Ratio indifferenter idonea eſt judi-

judicare vapores, ſpiritibus proximos, niſi quæ capax eſt myſteriorum, vel ut communibus verbis utar, occultarum qualitatum. Quæ autem Ratio non capit myſteria, vel arcana, illa nec actus Nutritionis ſpirituum, nec vaporum cum vaporibus, vel horum cum ſpiritibus communionis, vel amborum cum ſenſibilibus membris conſortii & unionis; perq; conſequens nec ſanguificationis, ejusque circumſtantiarum; nec ſpermificationis modi & proceſſus, capax eſt. Non omnes ægri ſentiunt dolores, vel ſe ægros eſſe ſciunt, qui tamen revera ægri ſunt, & judicantur eſſe ab aliis; Ideò, ſi alia deſint, ex hoc ſaltem indicio, deprehendi poteſt vaporum varietas & diſcrepantia; quod ſcilicet plura ſint vaporum genera aut ſpecies, quàm quatuor, in quot nos humores partiri docet Ars communis. Nam ſi ſunt inſtrumenta imaginationis, diſtincta ab imaginatione, ſicuti inſtrumenta ſenſuum à ſenſibus; tum neceſſe eſt, ut illa ſint congrua ſuo principali; ſicuti hæc ſunt ſenſibus. Sive inſtrumenta

***Vaporum tot ſpecies, quot humorum.***

imaginationis profundius abſcondita ſunt, quàm inſtrumenta ſenſuum, ſicuti ipſa imaginatio ſenſibus occultior eſt. Sed quot differentiæ ſunt Antipathiarum, Sympathiarum, ventorum, turbinum, nivium, pluviarum, nebularum, fulgurum, rorum pruinarum, aliorum denique fructuum meteoricorum in aëris ſphæra ſuprema, media infima, ejusque partibus terræ proximis, remotioribus, vel in concavitatibus ejus coacervatorum; Tot & plures quoq; ſunt differentiæ vaporum in ſanguinea maſſa, venoſa & arterioſa, nervorumque & oſſium medullis, pro diverſitate ſubjectorum, ætatum, ſexuum, affectionum variantes. Nam non humores immediatè dependent ab affectibus, ſed vapores; His autem mediantibus, humores; Quod ſi opinio Ariſtotelis patrocinio digna judicatur, quæ ſenſui præ intellectu primitias temporis adjudicat, nihil enim hic docuit eſſe in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu; nec noſtra de vaporibus ſententia patrocinio deſtituetur, quæ prærogativam temporis attri-

attribuit potius vaporibus, quàm humoribus: ut Scripturæ Prophetiæ conformior. Nec etiam sola corpora viva vel ægra, sunt vaporibus & humoribus variis plena; sed & mortua, sive cadavera. Horum iterum est alia ratio in subjectis etiam numero iisdem. Nam alios vapores spirant cibi in stomacho ægri, vivi, & mortui animalis; sicuti alios hordeum crudum, maturum, putrefactum, alios in polentam per artem redactum; Ex hoc fit zythus, non ex illis. Ita alii vapores nascuntur in nobis & extra nos; alii ab Anima nostra; alii à seminalibus rationibus sanguinis, humorum excrementorum; alii à sole; alii ab igne; alii à peculiari forma cujusque membri, per quam est id, quod est, & differt ab alio, nomine, formâ, usu & officio. Nux in humano cadavere putrescens, potest generare fruticem sui nominis; Sed eam virtutem non habet in corpore vivi hominis. Nam in vivo corpore, virtus seminalis nucis subest virtuti animæ corporis sui; In cadavere autem nemini superiori ser-

*Cadavera sunt vaporum plena.*

*Vapores diversi à causis diversis.*

vit; sed suas seminales rationes determinare potest, sine omni impedimento animæ superioris. Eadem est ratio omnium seminalium rationum in corpore nostro fructificantium, nobis benè valentibus, ægrotantibus, vel omninò mortuis. Omnia in nobis parturire possunt, quamvis non omnia in singulis nostrûm parturiant, ex quibus constamus; sive à fatis, sive à nobis ipsis, sive ab aliis externis occasionibus, cui seminali rationi, quando, vel ubi, objiciatur parturiendi opportunitas, vel stimulus. Nos autem cõstamus ex omnium mundanorum entium rationibus seminalibus; ergo æque in nobis ex vaporibus sanguinis, venosi, arteriosi, ex medullis ossium & nervorum provenire possunt Animales affectus, suilli, serpentini, vulpini, canini, &c. sicuti calculi, æque gramina, plantæ, sapores, odores, colores, pondera, mineralia, metalla, consistentiæq; omnis generis, ac vermes, pulices, pediculi, &c. Et quamvis hæc ordinariò non nascantur in singulis; sed interdum & alicubi in paucis, vel in uno tantum

*Mundus integer parturit in homine.*

tum ex melle, non in pluribus; Quædam in vivis, quædam in mortuis; Quæ autem ex cadaveribus proveniunt, possunt nasci & in vivis; nam in vivo latent omnia, quæ tãdem in lucem erumpunt ex cadavere; Vivum corpus moderantur soli affectus animales; Et qui his imperant vel dominantur Spiritus; Ægrum moderantur quoque vapores vel humores vegetabiles, meteorici, minerales, elementares, &c. si non ex integro, tamen ex parte; si non mentem, tamen membra. Cadaver, nulli amplius affectui animali servire idoneum est; sed solis virtutibus terrestribus subjacet, sicuti limus figulo, vel lignum sculptori; vel terræ & aquæ corpus, seminibus vegetabilium, &c. Sed nimis prolixus forem & tædiosus Lectori, si de convenientia vaporum & humorum corporis nostri, cum vaporibus & humoribus exterioris mundi, ejusq; signaturarum, ex requisito hujus materiæ philosopharer; Imò abominabile omninò redderem corpus hoc Animale mortalibus, si ex congruo requisiti, de *Corporis hujus Animalis turpitudo.*

ejus cōditionibus omnibus indifferētèr loquerer, hæ enim adeò turpes ſunt & ſordidæ, ſicuti ea omnia extra nos, quæ turpia & abominabilia nominamus; Inter ſtercus & urinam prima ſit ejus conformatio; per humorum & vaporum reciprocationem, enutritio & propagatio; Certe

*O Homo ſi ſcires quid eras? quid ſis? quid eris? Tunc*
*Nunquam gauderes, ſed fleres, quando ſuperbis.*

Si autem nobis fata ad annos adhuc aliquot vitam prorogarint, demonſtrabimus certis indiciis, quod noſtrûm omnes & ſinguli, mundi hujus ſenſibilis imò & inſenſibilis ſimus compendium; ſive Mundi integri. In hoc Tractatu, quem compendioſum eſſe voluimus, quoad verba, ſonum & litteram; breviter ſaltem demonſtrabimus, ſolius ſanguinis commoda & incommoda; ortum & occaſum; principia materialia & formalia; ejus denique vaporum & humorum, Venoſi & Arterioſi, generationis, mutationisque multiplices cauſas,

*Contenta Scripti hujus.*

ſas, officinam & proceſſum, Excrementorumque emunctoria,& quieſcentium ſub pondere centra; Ut ſciant,qui ſcire cupiunt, quomodo cavere vel corrigere debeant, in ſe & in aliis, noxias vel periculoſas ſanguinis mutationes; & exindè provenientes vapores humoreſque, vaporumque & humorum utilitates vel nocumenta. Quantum videlicet inveſtigare,corrigere,vel mitigare terreſtrium virtutum leges, fata nobis permittunt, citra crimen blaſphemiæ, ſuperbiæ,temeritatis; Fatorum quidem decreta ſunt inevitabilia; non tamen omnes actus noſtros neceſſitant; Sunt etiam ipſis annexi certi diſpenſationum modi,noſtro relicti arbitrio, eos aggravandi aut levandi; Aliàs nulla eſſet humanæ prudentiæ vel imprudentiæ, integritatis vel fraudis,ſapientiæ vel fatuitatis, præmiorum vel pœnarum diſcrimen; ſed per eadem opera mereremur pœnas, per quæ ſperamus meritorum præmia. Ego quidem per laborem hunc meum, nullam meditor contra fata rebellionem, nullam docebo, nullam

*Fatorum decreta nos non ſimpliciter neceſſitant.*

lam ſuadebo, aut parabo; dolorum, anguſtiarum, morborum ex ſanguine naſci conſuetorum, ſeriori examine; Durum eſt enim contra eorum ſtimulum calcitrare, nec aliquis impunis manſit, qui id unquam cogitavit. Sed ſaltem demonſtrabo hic, Quæ nam ſint ea, & quomodo ab invicem diſcrepent, quorum iræ à nobis contrairi poſſit; ſive patienter eorum violentiam tolerando; vel pro diverſitate locorum & temporum, eam temperando, ſine omni crimine læſæ majeſtatis fatorum, vel metu pœnarum contumaciæ; Qui enim Deus dedit nobis Legem de non peccando, dedit quoque & largitus eſt remedia peccatorum, atque per conſequens privilegia nos à pœnis, vel morbis immunes aliquandiu cuſtodiendi; vel eas cum peccatis ſimul abolendi. Excuſabunt itaque conatum noſtrum Ingenui Lectores, quod nempe accuratius inquiramus in pœnarum formas, quàm hucuſque factum eſt: Hæ enim cum ignorantia, fatuitate, contumacia, laſcivia, luxuria mortalium capiunt incre-

*Dei beneficentia erga nos.*

crementum, & in specie & in gradibus. Non enim meo vel lucro vel honori consulturus hunc Tractatum meditatus sum vel publicavi, aliunde descriptum, vel ex aliorum meditationibus compilatum; sed ad laudem Sapientissimi, Veracissimique Dei Ter Opt. Max. & ægrorum commodum; Medicinæque Artis Sacræ, Empiricorum fallaciis & sordibus inquinata repurgationem; Considerate, obsecro vos Ingenui Lectores, sive Medicinam profitemini, sive aliam quamcunque artem, quàm multi sint ubique terrarum à malo hoc afflicti, de cujus principiis & causis, tum materialibus tum formalibus, in hoc Tractatu compendiosè uti fieri potest, philosophari constituimus; nempe de Hæmorrhagia omnis generis; Cogitate, quod omnes iisdem affectibus obnoxii simus; quibus alios affligi, discruciari, & eorum sanguinem, carnem, membra diris modis dilacerari videmus, & audimus. Et magnas expensas ab eis in Medicos & medicamenta, omnes tamen frustraneas fieri; Nam non saltem

per

per dies aliquot, ſed & ſeptimanas, & Annos, ſunt qui Hæmorrhagia laborant; qui cruenta, purulenta, bilioſa vomunt, cacant, mingunt; Quod malum adeò crudele eſt, ut patientes neq; noctu, neque die, nec vigilantes, nec dormientes relinquat; Et quamvis multi interdum ſint, qui non omninò cibum faſtidiunt, afflicti, vel potum; tamẽ neutro libere uti poſſunt; ſed quam primum aliquid de hoc vel illo deguſtarint, id totum mox magno conatu iterum evomere cogantur; Famem quidem vel ſitim diu tolerare nequeunt; tamen nihil tutò, vel edunt vel bibunt. Implorant quidem conſilia & auxilia Medicorum, ſordido illo & periculoſo affectu obſeſſi; ſed nec pericula, nec ſymptomata, per eorum conſilia vel remedia minui, ſed potius augeri in dies & horas ſentiunt. Nam & Medici ipſi neſciunt, quid ipſis hoc in caſu agere vel relinquere ſit conſultius; Alii partium affectarum, pulmonis, parenchymatis, vel venarum rationem habent; Alicubi continui ſolutionem eſſe ſuſpicantur, vel

*Hæmorrhagia incommoda.*

*Opiniones variæ de cauſis Hæmorrhagiæ.*

vel ab ulcere, vel vulnere, vel ab alio aliquo acri humore causatam, quam ipsi Anabrosin aut Diabrosin nominant; vel vomicam pulmonis, Apostema, Exulcerationem, superiorum partium, vel intestinorum; Ad causas ipsas pauci respiciunt, vel ad seminales rationes talium symptomatum effectivas. Humoribus corrigendis defatigantur; nemo de vaporibus cogitat, quod hi potius sunt causæ quàm humores; multo minus est aliquis qui cogitet an vapores illi noxii, qui non saltem sanguinem in Arteriis & Venis turbant, sed & simul extra vasa rapiunt, ex humoribus filum ducant? an verò ex insensibilibus seminalium virtutum in sanguine latentium centris scaturiant? Frustra applicantur ophtalmica lapidi, oculis omninò destituto. Ita frustra laborant, qui consolidantia vel glutinantia exhibent, ubi nulla adest continuitatis solutio; nullum ulcus; Inutilia medicamenta non saltem inutilia sed & noxia ægris sunt, & delassant ægros plus quàm morbus ipse. Tales quoque sunt judicandi & illi

*Vapores ejus causa, non humores.*

illi Medici, qui ægris morbo fermè exanimatis & pleraq; fastidientibus, eaque prohibent quæ appetunt, quamvis paucissima, quibus illis non tam satiari pro libitu, quàm recreari potius cuperent. Atque tales ægri tot malis tolerandis inhabiles, quot utrinq; oppetuntur, lentè quidem & sub spe convalescentiæ; tandem succumbunt, & crudeliter exanimantur. Igitur hoc unum saltem, præ cæteris maximè vobis Ingenui Lectores demonstratum eo; quod nempe Hæmorrhagia nulla, absente omni externâ causa, oriatur ab aliquo ulcere, apostemate, erosione intestinorum vel continuitatis solutione; nempe quæ fit per vomitum, per sedes, per Genitalia; sed tantum à vapore solo, in massa sanguinis Arteriosi vel Venosi, ab occultis principiis & rationibus seminalibus earum rerum orto vel generato, ex quibus constamus materialiter, nempe vegetabilium, mineralium, metallorum. Sanguis Arteriosus indesinenter alios per pulmones, & Arteriæ asperæ canales exspirat humores, alios sibi reservat vel in

*Hæmorrhagia causa Vapor.*

Venas

Venas cum aliqua portione ſui tranſmittit. Venoſus autem Sanguis humores indeſinenter per emunctoria ad inteſtina varios; rarò ipſe extra vaſa ſua talis qualis intus in Venis eſt prolabitur, niſi vapores aliqui novi & extraordinarii in ejus maſſa generentur, vel ex ejus ipſius chaos, vel ex arterioſo in eum derivati; Humores quidem nunquam nudi ſunt & ſenſibilibus ſignaturis ſaporum, vel odorum & colorum deſtituti; ſed ſemper uti ſpeciebus tincturarum, ita & gradibus diſſident; Vapores autem ſæpè ſteriles ſunt omninò, ſive ſignaturis omnibus ſenſibilibus extrinſecùs deſtituti; ideò ſine omni veſtigio alicujus paſſionis in ſenſu vel exſpirant, vel diſſipantur. Interdum verò intenſioribus ſignaturis prægnantes ſunt in vaporoſâ ſuâ formâ, & ſenſoria, & ſenſus, & imaginationem vellicantes; à primo ſuæ ſenſibilitatis gradu ad ultimum ignis & flammæ æmuli. Interdum ſoli ſine ſanguine eruptionem moliuntur, ex Venis, & arteriis, inteſtinis & toto corpore; interdum & ſangui-

*Vaporum differentia.*

guinem, omnes denique humores simul rapiunt vel propellunt; prout impetus ſeminalium rationum in ſanguine variaverint. Hæc omnia ad oculum diſcere poſſumus ex Oenopolarum & Cerviſitepſarum regulis. Non neceſſe eſt enim, ut ſemper plenitudo adſit ſanguinis, vel aliorum humorum in Arteriis vel Venis, ſive quoad Vires, ſive quoad Vaſa conſiderata, dum ſanguis vel alius humor vomitur, cacatur, mingitur. Nam ſæpè vas vix tertià ſui parte plenum, non ſufficit tamen ad complectendum humorem in eo contentum, ſi videlicet vapor in ea ultra modum luxuriat. Ex modico ſæpè humore pulveri alicui, vel pulvere, humori permiſto, aut ſuperfuſo, ingens ſurgit ebullitio, ita ut vas centuplo ſuis contentis majus, diſſiliat; niſi liber pateat vaporibus exſpirantibus, & ſatis amplus hiatus; Qui quotidie materias diviſibiles & ſui communicabiles tractant minerales, metallicas, vel vegetabiles, imò & ipſi Chyrurgi in Emplaſtrorum coctione, id ipſum quotidiè obſervant.

*Plethora non eſt cauſa hæmorrhagiæ.*

Ecce

Ecce quanto cum crepitu & vehementia erumpit ex bombardæ canali pulvis nitrarius, virtute ignis incensus, ita ut pondus sub pondere aliquot vicibus gravius, etiam ad longum distans ejaculetur; Idem & eodem modo, ab iisdemq; causis sæpè contingit in corporibus humanis; non scilicet à sola multitudine humoris; sed solius vaporis violentiâ, ex & ab aliqua seminali ratione exclusi; in quacunq; corporis parte prius latuisset. Sæpè vapores ita subtiles sunt, acuti & penetrativi, ut non saltem nervos ipsos penetrent, sed & ossa, eorum medullas; atque subitò vel patientes exaniment, vel membra sphacælent, sine omni in ossibus, vel aliorum membrorum substantiæ læsæ continuitatis vestigio; Talis est substantia Fulminis extra nos, qualis sæpe vaporum virtus in nobis. Quod verò interdum Hæmorrhagia oriatur à Venis fissis, & vel à vulnere, vel ab ulcere perforatis, ita ut hâc occasione multus sanguis aliunde prolabatur; Id nequaquam negaverim. Sed ruptura talis, vel

*Vaporum violentia.*

inde causata Hæmorrhagia, eousq; patientem non relinquit superstitem, ut sanguis ex vasis suis prolapsus in pus commutari possit, sed una cum vulnere vel sanguine erumpente exanimatur. In promptu habeo exempla, si exemplis Tractatum hunc augere vellem. Si vel acu perforaretur Arteria aspera, vel ejus propagines per pulmonem dispersæ, in ipso momento interciperetur In & Exspirationis commoditas. Quam tamen perforari oporteret, si vera esset sententia communis de Venarum diabrosi sonans, in causa vomitionis vel minctionis sanguinis; Nam canales Venæ asperæ exsangues omninò sunt, nec possunt evehere sanguinem per fauces, imò ne ad fauces quidem, nisi cum aliunde sive ex Venis, sive ex Arteriis excepissent prius; quo facto gemina necesse est ut præcessisset diabrosis, una in vasis sanguineis, altera in vasis exsanguineis; in illis ut amandantibus, in his ut Excipientibus. Quanto majus autem foramen esse oporteret id, per quod parenchyma ipsum pulmonis

*Hiatus Arteria asperæ propaginum lethalis.*

monis, ad vias vel canales respirationis ingredi posset; quod sæpe excreari sentit vulgus, communi Medicorum opinione persuasum. Exulceratos vidimus pulmones sæpè, sed nunquam omninò consumptos, quales esse oporteret in illis, qui longo tempore Vomica pulmonum laborasse, imò pulmonem ipsum excreasse auditi sunt. Sed de hoc affectu plures & evidentiores rationes reddemus tibi Amice & Ingenuè Lector in hoc præsenti Tractatu. Tu si ingenuus es brevitatem ejus, & styli simplicitatem excusabis; & non tam verba quàm rationes ejus examinabis. Quam si tibi gratum fore animadvertero; materiam hanc reverà serio examine dignam, in parte Tractatus hujus secunda, & pluribus & evidentioribus rationibus, adjectis quoq; Hæmorrhagiæ remediis, & curationis modis, hic saltem breviter inchoatam, prosequemur latius. Valete Ingenui Lectores & Symmistæ, mystarumq; Favitores, & quos titulus officiumque ad sedulam morborum investigationem vocat &

*Pulmones exulcerari possunt, sed non excreari.*

urget, mecum in publicam utilitatem, ægrorum ſalutem, incrementum Sapientiæ, Veritatis defenſionem, Medicinæq; honorem conſpirate; Nihil contra Legem Honeſtatis, vel Relligionis facturi, quicquid contra obloquuti fuerint invidi: DEUS Ter Opt. Max. ſuâ gratiâ noſtros conatus ſecundabit, ut ex Voto nobis ſuccedant omnia; ſe enim id facturum promiſit; Promiſſisq; ſuis ſtabit ille, ſi nos ſaltem ea indubitabili fide amplexati fuerimus; Quid ad nos Livor, quid Invidia? Omnia hæc poſt fata quieſcent; Virtutis præmia æternitas dignis conferet. Valete. Dabam Bremæ Saxonum, ſub exordium Anni 1666. Januarii 12.

*Johannes Sophronius Kozak, Horazdejovicenſis Bohemus; M. D.*

A.D.



A. D. T. O. M.

*TRACTATUS*

De

# *HÆMORRHAGIA, EJUSQUE CAUSIS.*

## LIBER PRIMUS.

### *CAPUT I.*



OFFicia humana, Artes, Vultus, Sermocinationes, Geſtus, Judicia, ad ſenſum diſcrepare videmus; Sed cauſas illius diſcrepantiæ non videmus. Ratio tamen dictat; in Rei veritate aliquid dari extra nos, vel in nobis ipſis, à quo tanta & talis diverſitas in nobis oriatur, & omnibus,& ſingulis; Quod quamvis inſenſibile ſit, tamen revera exiſtere actu, ſicuti ea pro veris agnoſcimus, quæ ſenſuum judicio ſubſunt. Ideò Nobiliorem

judicamus esse Rationem sensu; Hominem, bestiâ; Spiritualem Animali; quia ille capit, quorum hic capax non est, nec esse potest. Et nisi quandoque Rationem consuleremus, neglecto sensu; vel de Cœlo imploraremus, quod Terra nobis dare nequit; & plurima, & maxima ignoraremus. De fructuum vegetabilium formis externis, judicant olitores; & ex eorum saporibus, odoribus, coloribus, de eorum quoque Virtutibus formalibus, Botanici, sive illi qui à primis Elementalibus qualitatibus suas incipiunt numerationes, Generum, Specierum individuorum, Graduum; Quatuor enim primas esse docent. Quia autem Ratio dictat quaternarium non esse numeri principium; sed Unitatem; Igitur necesse est, ut nos quoque Ratio doceat, quænam inter illas quatuor prima sit in ordine successionis, & quæ ultima? an calor, an frigus, an humiditas, an siccitas? Nam ubi est primum, illic datur & ultimum; Aut ratio reddi debebit quare unum idem primum & ultimum nominari possit? Et quod si con-

conſtet hanc aut illam Qualitatem primam vel ultimam dici poſſe, aut deberi; Porro inquirendum erit, an primum id vel ultimum ſenſibile à ſeipſo tale factum ſit vel fiat, quod & quale eſt; vel an aliud principium habuerit, quàm id quod inter prima ſenſibilia primum dicitur; quod nempe inter ſenſibilia numerari nec poſſit, nec debeat; Nam primi datur principium, ſed principii non; ſecus nullum datur principium. In inſenſibilis itaque illius Eſſentiæ omnium ſenſibilium principii cognitionis inquiſitione occupari, propriè philoſophari eſt; Quæ fuit ſcilicet ante primum; & cum ultimo non aboletur. Non aſpernantur quidem Philoſophi ſenſibilia, eorumque ordinatam & regularem cognitionem. Sed ad inſenſibilium cognitionis perfectionem plura & certiora requiri judicant, quàm in ſolis ſenſibilium formis conquieſcere velle, quamvis primis; ideò eorum quoq; ſcientiam habere deſiderant, quæ cum ſenſibilibus nec primis, nec ultimis numerantur, ſed & locorum omnium &

*Primi Senſibilis & principii diverſitas.*

*Philoſophari quid.*

temporum menſuras excellunt. Tempora & Loci, Quantitates, & Qualitates, menſurant entia omnia ſenſibilia, ſubſtantias, ſapores, odores, colores, caliditates, frigiditates, humiditates, ſiccitates, pondera, motus & quietes; Tamen & menſuræ & menſurata ſunt ſenſibilia, ſunt finita; ſive habent ſui ortus & occaſus principium; primum & ultimum; Quia autem eſt pulcerima ſubordinatio in rebus ſenſibilibus; in eorumque motu & quiete, juſtiſſima temporum & locorum cuſtodia; Quæ tamen non niſi Imagines ſunt Eſſentiarum inſenſibilium; Ideò Animus humanus arguit & ratiocinatur, multò formoſiorem eſſe ſubordinationem inter res ipſas, vel inter eſſentias illas, quarum non niſi imagines, ſimulacra, umbræ exiſtunt, entia illa quæ vulgo ſenſibilia dicuntur. Ita quidem eſt, quod omnia ſenſibilia ab uno vel primo ſenſibili ortum ſuum trahant; & in uno ultimo conquieſcant: Sive ex terra prodeant, & in terram redeant omnia; ſive quod generatio unius ſit corruptio alte-

*Profunditas ſeminalium Eſſentiarum.*

alterius; Tamen indè argumentari non possumus, seminales rerum Rationes profundius non penetrare, quàm eousque unde & quo, surgunt vel redeunt, aut omninò ubi esse desinunt sensibilia. Aliàs nulla esset Cœli præ Terra prærogativa; Nulla Rationis, præ sensu; nulla Hominis præ Animalibus. Est quidem Homo membrum quoque mundi hujus sensibilis, sicuti Serpens, Arbor, Lapis, Sol, Aurum; Tamen homo excellit omnia, non quidem sublimitate locali, vel ortu temporaneo, sed Rationis dominio; Nihil est enim inter terrestria, quod communicare possit cum Natura Divina, præter ipsum: Homo solus est constitutus à Creatore Dominus, terror & miraculum mundi. Nulla fuit, est aut erit concupiscentia, vel Lex terrestris, cognitio aut virtus, quæ homini fuisset, esset aut esse posset par; multò minus, quæ eo esset superior; Nisi homo seipsum sponte propriâ subjecisset, vel subjiceret alicui; Quod quia semel factum ab eo, qui primus fuit homo, & à quo omnis humanorum indivi-

*Hominis excellentia.*

viduo-

viduorum numeratio incipit; ideò nullus hominum, ab eo tempore, liber omninò naſcitur, ſed omnes & ſinguli, omnibus in locis & temporibus, ab alicujus terreſtris, animalis, carnalis, mundanæ concupiſcentiæ & cognitionis; vel vegetabilis, mineralis, meteoricæ, aſtralis virtutis, pendemus dominio; Libertas quam hic vel acquirere, vel ſperare poſſumus, nulla eſt alia, quàm vel fugæ, vel odii ejus ſtudium. Nemo hominum hic victoriam aſſequi poteſt, imò nemo victoriæ ſpem, vel in integrum reſtitutionis; niſi pugnacem, & naturalibus affectibus, in nobis hærentibus, ſi rebellem demonſtraverit. Sed noſtrum plurimi magis ſunt ſolliciti de continuanda amicitia & cõſenſu mundi; quam de ea aſpernanda aut debellanda. Ideò paucis libertas cordi eſt, quamvis multi eam affectare verbis & geſtibus diſſimulent. A fatis tamen, juſtò nobis infenſis, ita prædeſtinatum eſſe videtur, ut noſtrum alii, pro diverſitate locorum, temporum, ætatum, ſexuum, officiorum, indeſinenter à terreſtribus

*Libertas hominis affectare libertatem.*

ſtribus infeſtemur, tentemur, moleſtemur, & exerceamur dominiis; Quo omnes noſtrum & ſinguli probentur, qui altero ſit avidior vel dignior particeps fieri cœleſtis naturæ? Quod nempe illi præ cæteris, qui temporanea hæc non tamen amant quàm oderunt; vel non niſi ob neceſſitatem, quàm ob voluptatem. Non itaque noxium omninò eſt terreſtribus interdum occupari; ſed & utile, & neceſſarium, quoad noſtram præſentem conditionem, nobis à fatis admenſuratam; tamen nunquam omninò tutum, ſed ſemper periculoſum; quia neſcimus locum vel tempus apparituræ Æternitatis, quæ omnes mortales abruit, ſuo à nobis non præviſo vel nõ præmeditato ortu & occurſu. Semper enim & ubique illa nobis præſens eſt, quamvis nos eam nullibi & nunquam, per menſuras quibus hæc ſenſibilia metimur, metiri poſſimus. Quia autem, uti jam diximus, ſenſibilium quoq; vel temporaneorum cognitio, pro noſtra præſenti conditione, ſit nobis utilis & neceſſaria, quamvis nuſ-

*Terreſtrium quæ Utilitas homini.*

quam

quam & nunquam tuta; Ideò nos quoque in hoc opuſculo terreſtrium occupantia nobis propoſuimus contemplatione, in eum ſaltem finem, ut ad æterna nobis felicior fiat & jucundior tranſitus per præſentium liberiorem uſum, quem nobis Sapientia promittit; Nam vanitas, anguſtiâ, timore, pudore, dubitatione, morbis; vitæ hujus uſuram nobis reddit faſtidioſam, triſtem & oneroſam; Sive ut ægris prodeſſemus, & illis qui ægris prodeſſe volunt. Non enim ſola membrorum vitioſa conformatio, eſculentorum & potulentorum materiales virtutes, vel externorum nos ambientium violentiæ, calores, frigora, humiditates, ſiccitates, pondera, motus & quietes, nobis vitam hanc triſtem efficiunt, & corpus inutile vel oneroſum reddunt; ſed ea quæ intus in nobis latent ſeminaria; vel in humore eo, quod Anima carnis, vel ſedes Animæ dicitur, & eſt, nempe ſanguine. Ideò hic de Sanguine, in corpore hoc animali humore cõtento, & vitæ corporis fulcro, tantum philoſophabimur; ſed breviter; non

ita

ita verba quàm res ipſas ſenſui & animo Lectorum exhibituri. Nominatim autem ratiocinabimur de ejus Generationis materiâ,formâ,modo,ubi; de ejus excrementis, emunctoriis, motibus ordinariis & extraordinariis,continuis, intervallaribus,ſalutaribus & morboſis. Multi quidem Medici Antiqui & Moderni deMateria hac,multa ſcripſerunt; ita ut videri poſſit titulum Libri hujus primâ fronte inſpecturis vel audituris, nos non niſi res obſoletas hîc repetere; & quæ ſæpius jam dicta ſunt, dicere, vel aliunde deſcribere velle; Quia uti commune ſonat proverbium,nihil dici poſſit,quod non jam dictum ſit antea; Tamen quia nullus authorum mihi in hac materia ſatis fecit, & animum meum ſcrupulis omnibus liberavit, pro voto meo; Ideò ipſe eam proprio ingenio examinare mihi propoſui, ut meo labore lucrarer, quod per alterius me acquiſiturum deſperabam; Et quamvis ſciam, me nec ſatisfacturum omnibus hâc meâ ſedulitate; ſed multos potius contra me irritaturum,ut me calumnien-

mnientur & convitientur. Tamen porro erunt aliqui boni & candidi animi, qui meo exemplo Sanguinis humani Anatomiam acutius examinabũt, quàm hucusque factum est; Idque cum magno Artis Medicæ emolumento, & ægrorum commodo. Cuilibet seculo dat sua dona Deus, & cuilibet homini peculiaria; præsertim quem præ cæteris eorum avidiorem esse cognoverit. Non enim in scientia tantũ, sed & in scientiæ amore fundatum est Philosophiæ studium. Quod si autem tantum & semper affectantes sapientiam, tamen turpitudinem ignorantiæ evitare omninò nequeunt; multò minus illi pro sapientibus habendi erunt, qui non nisi divitiarum, honorum, & voluptatum terrestrium ardent libidinibus, & æstuant desideriis. Nemo ita est felix inter mortales, qui sensibilium entium species, vel carnis varietates externis signaturis diffidẽtes, enumerare possit; multò minus qui recenseret unius speciei individuorum, eorumque discrepantiæ gradus & numeros, vel causas? Sunt qui-

quidem ſapientes multi, qui ad cauſas usque rerum penetrarunt, ſive qui deprehenderunt inſenſibilia revera exiſtere, ſicuti hæc ſenſibilia; Sed ordines eorum, vel ſubordinationem in abyſſo inquirere, & acquirere, multi valdè arduum, multi omninò impoſſibile eſſe judicant; Atque ex hoc principio tituli occultarum qualitatum, vel venenatarum, vel malignarum, in ſcholas irrepſerunt Medicas. Ita captivata eſt Animi humani virtus, ut ad Ordines Cæleſtes, fatales, ſpirituales, æternos adſpirare, vel nolit omninò, vel timeat, vel neſciat, vel non poſſit quamvis velit; Niſi ducta, aut tracta, vel impulſa à Spiritu ordinis ſublimioris, quàm terreſtres ſunt. Attamen ſemper fuerunt ubique gentium, ſunt & erunt, quamvis rari admodum & pauci, qui præ aliis ſuis coætaneis majora audent, volunt, poſſunt, ſciunt; Multitudo ſemper cæca fuit & eſt, & ſibi ſimiles duces ſequi amat: ſenſuum enim illecebrę imponūt nobis, & earum aſſenſus vel diſſenſus prævalet rationibus. In naturalibus,

*Animi humani dura captivitas.*

terreſtribus & humanis ſic itur; Doctores & diſcipuli turbam vel trahere, vel ſequi amant. Omnes artifices,& mentales, & mechanici, acta agunt, nemo eſt ſollicitus de Ratione; In Divinis,vel divinorum ſcrutinio,ultra litteram nemo aſcendere amat vel audet,quamvis aliquis & vellet, & poſſet; Ideò & hic turpiſſime erratur,ubi maximè ſtudendum eſſet & minimos evitare errores.

*Animi origine Divini indicia.* Animus tamen origine divinus, nunquam acquieſcit, niſi in ſuo originali; niſi Deum nactus in ſe ipſo, ſi non ad cognitionem viſivam, tamen ad imaginativam; Sed nec eâ ſatiatur; verùm ultra nititur, ut ſcilicet cum eo à facie ad faciem communicare poſſit; quod tamen ante mortem hujus corporis ſe nō aſſequuturum ſcit; ideò deſtructionem terreſtris hujus tabernaculi non formidat,ſed exoptat,etiamſi ſciat eam citra ſanguinis profuſionem, vel ſuffocationem ſe non aſſequuturum.

*Timor æternitatis cujus rei ſignum.* Anima autem carnis nihil magis pertimeſcit, quam Abyſſum, & viſionem Dei; Ideò nos quoque, quouſque nobiſcum in hoc

in hoc domicilio habitat, ad conjungenda nostra desideria, scientias, virtutes cum ejus invitat, urget, cogit; fraude, metu, voluptate, dolore. Ideò sanguis, ut animæ domicilium, sui colori motum imitatur; jam fit, quod prius non fuit; & quod fuit, vel est, mox esse desinit; sive cum sanguinis forma, & nomen mutat, induit & exuit. Nam quod fuit aliquandiu vapor, hujus vel illius cibulentæ & esculentæ materiæ, fit sanguis in nobis; Et quod fuit sanguis, fit caro, cutis, os, sperma, lac, pilus, unguis, bilis, urina, pus, vel aliud quid, corpori huic conservando, restaurando, multiplicando, onerando, destruendo habile. Ego multa audivi in scholis Theologicis, Philosophicis, Physicis, Medicis de Sanguine; multa legi de eo in aliorum scriptis; multa & id ipse observavi, indagavi, ad cognitionem ejus facientia; Sed nihil profeci ex auditu, nihil ex lectione, nihil ex quotidiano ejus scrutinio in ejus cognitionis certitudine, aut admodum parum; Nec adhuc cesso ejus examinare constitutio-

nem, motum, augmenta, decrementa. Quo autem longius & ſerius meditor materiam hanc, eo intenſius me invadit eam ſpeculandi deſiderium, & latius ſe exporrigit illius contemplationis campus. Nam Sanguis eſt extractum totius mundi ſeminalium rationum; non quidem ſecundum artem aut ſcientiam humani ſpiritus factum, ſed ſecundum leges ſpiritus mundani, qui omnia deſideria carnalia, terreſtria, animalia, in nobis moderatur, per quæ cum mundo hoc communicamus. Sanguinis quidem forma externa & nomẽ, videtur res eſſe viliſſima, & vulgariſſima. Sed re vera myſterium eſt valdè profundum, nullo ſenſu, nullà ratione animali perſcrutabile; quod nemo hominum in ſeipſo & ex ſeipſo cognoſcere poteſt ex integro; niſi id nos doceat vel facere juvet carnis hujus noſtræ & author, & judex Spiritus. Sunt quidem Medicorum multi adeò tardi, ut nihil aliud animo concipiunt, quàm quod vident; ideò autem quod ſciunt ſanguinem humorem eſſe; non perſcrutan-

*Sanguis quid.*

tantur, an aliud quiddam in humore illo occultum hæreat, unde multiplex tum in ſanguine & Venis, tum in carne extra Venas, derivatur mutatio, toti corpori vel utilis vel noxia. Quod Aqua eſt & Aër in mundo hoc exteriori, idem ſanguinis ſubſtantia Venoſi & Arterioſi eſt in corpore animali. Aqua eſt abyſſus omnium ſaporum, odorum, colorum; Aër verò caliditatum, frigiditatum, humiditatum, motuum, ponderum. Ita ſanguis corporis humani animalis in ſuo chaos, complectitur omnia quæ in eo ſenſibilia fiunt, ocyùs vel tardius, & ſub forma ſenſibili inde generantur vel excernuntur. Sine aqua nihil producit terra; Aqua nihil ſine Aëre; Ita Animal nihil ſine ſanguine; ſanguis nihil ſine vapore; In ſanguine habitat & id, quod anima carnis dicitur, vel eſt; & id quod corpus, vel corporeum fit; & forma & materia carnis; ſed neutrum eſt ſanguis, vel id quod in ſanguine ſenſibile eſt; Quæ caro fiunt, vel ſunt, & carnea; os, vel oſſea; excrementa denique omnia, à ſanguine & formâ *Aqua quid.*

& nomine discrepantia; ea fuerunt olim sanguis actu; potentia autem in sanguine, quod tandem facta sunt. Nam Anima vel Essentia illa, quæ vapores ex esculentis & potulentis materiis provocat, eosque in sanguinem commutandi scientiam habet; est ea ipsa substantia, quæ ex vapore sanguinis iterum generat ossa, & carnem cujuslibet membri peculiarem; & quæ excernit omnia per interna & externa sanguinis emunctoria egredientia; Optimè itaque senserunt Philosophi illi, qui Animam Carnis, ipsissimum Animal nominarunt; Et Spiritum hominis, non partem ejus, sed ipsissimum hominem. Nam non possent aliquæ fieri sensibilia, nisi ab insensibili formarentur principio; Quod seipsum effiguret, dum ex massa homogenea heterogeneas producit signaturas; vel dum has iterum in homogeneitatem reducit; Atque hæc est reciprocatio illa, quæ est inter omnia entia mundi hujus; in specie, vel individualiter considerata. Non enim sensibilis corporeitas est animæ principium, sed hæc

*Anima hominis ipse homo est.*

hæc illius; prius tamen eſt ſenſibile in cognitione humana, quàm inſenſibile; ex hoc enim illud eſſe cognoſcitur. Nihil autem poteſt ſimilius eſſe Animæ, quàm id quod ipſe efformavit ſibi in domicilium temporaneum; ideò nihil eſt ſimilius Equi, canis, ſerpētis, hominis animæ, quam corpus equi, canis, ſerpentis, hominis. Imago ignis in ſpeculo apparēs ignis quidem non eſt, & tamē eſt igni quid ſimillimū; ſcilicet igni illi, qui & ipſe ignis imago eſt; Nam ignis in ſpeculo apparens non eſt imago ipſiſſimi ignis, ſed imago ſaltem ignis imaginis. Ignis vivus & verus, eſt omninò inſenſibilis, ſpiritualis, & æterna eſſentia; nemini animalium conſpicuus: Uti alibi id demonſtrabimus. Anima carnis eſt forma corporis ſui, cujus corpus ſenſibile, figura eſt; non ab alio quidem effigurata, quam ab anima ipſa immediatè. Anima autem carnis in ſe ipſa non habet materiam commodam ad effigurationem ſuæ corporeitatis idoneam, ſed eam aliundè arripit, ſcilicet ex aliquo ordine entium inferiorum;

*Imaginis & rei differentia.*

Ideò omnes ordines inferiores ab Elementis ad Animalia usque, collati cum homine ejusque ſpiritu, materialiter ſe habent in omni concurſu cum humano ſpiritu, ordinem ſuum cuſtodiente. *Inferioritas entium non eſt localis.* Inferioritas autem & ſuperioritas ordinum, non eſt judicanda ſecundùm regulas eas, ſecundùm quas locales differentiæ judicantur; ſed ſecundùm eminentiam poteſtatis & dominii: ſed hæc alibi latius explicabimus. Revolutio autem illa ſervitii & dominii, Materialitatis & Formalitatis, Activitatis & Paſſionis, Generationis & Corruptionis, omnibus Entibus ſublunaribus eſt lege fatali implantata, nec aliquid eſſe poteſt perpetui ſub Sole; Omnia & ſingula alternatim moventur & quieſcunt; ſed de his quoque alibi. Spiritus autem ille, qui homo interior dicitur, origine omninò Divinus eſt, & cum ſpiritibus Terreſtribus non reciprocatur; ſecundum Leges communes locorum & temporum; Nulli ſpeciei in nutrimentum abit, ſed ei omnes terreſtres taliter inſerviunt. Quicquid eſt in ſpiritu hu-

mano

mano, id totum divinum eſt, cœleſtis particeps Naturæ; Ideò homo non vivit inde, unde anima carnis ejus, vel corpus hoc animale vivit; Nec etiam moritur cum corpore; Nec animæ vel ſpiritus hominis affectus eſt eſurire & ſitire; ſed animæ carnis, quæ cum ſpiritu hominis eſt unum corpus, Homine autem erepto ex præſenti hâc ſocietate, vel potius captivitate; tum omnia reſtituentur ordinibus ſuis; Sive quæ Deus Opt. Max. à principio dominio deſtinavit, dominabuntur; quæ ſervitio, ſervient ſemper & ubique ſine mutatione, ſine termino; atque privilegio libertatis filiorum Dei gaudebunt ordines omnes; Exceptis illis & Spiritibus & Hominibus, qui Divinæ ordinationi ſubjici & parere nunquam voluerunt; ſed uti ipſi rebellarunt, ita & alia ſe ſequi, vel fraudulenter, vel violenter traxerunt.

*Eſurire & ſitire eſt proprium hominis, ſed carnis.*

*Entium omnium abhinc conditio.*



## CAPUT II.

### *De Sanguine; Quid sit?*

AD Quæstionis hujus sonum, ne patiaris Christiane Lector, Te à Lectione & Censura hujus Tractatus deterreri; quasi re obsoletâ, antiquâ, & triviali, ideoquè prudentioribus fastidiosâ, aures tuas & animum occupare velimus. Nam quæ tu ab aliis audisti vel legisti, dici aut scribi de sanguine, ea hic nos non repetemus; nisi paucis exceptis; Opus enim est, ut nominibus consuetis utamur, si nostram mentem exprimere volumus, ita ut intelligi possit à Lectoribus; Ubi nova proferemus, novis quoque nos oportet vocabulis uti, rebus congruis. Et quàmvis valdè arduum sit, rem novam ad communem vulgi captum, mentem & assensum accommodare; tamen in tales rationes intenti erimus, per quas demonstrare possimus veritatem sententiæ nostræ; ut qui syncero fuerint & candido animo scriptorum meorum Lectores, nulla eis obrepat nostra calumniandi occasio.

casio. Sanguis uti dicitur, ita & est, unum contentum, ex pluribus hujus corporis contentis. Tres enim species eorũ recensentur in scholis Medicis. 1. Spiritus; sub quo nomine & vapores comprehenduntur, vel substantiæ impetum facientes. 2. Humores. 3. Excrementa. Substantia autem Sanguinis non numeratur inter spiritus, nec inter excrementa, sed inter humores; Quamvis humor ille, qui vulgariter sanguis appellatur, in sua massa homogenea complectatur & Spiritus, & Excrementa; Eo modo quo Lac, occultat Butyrum & Caseum; vel cremorem & serum; Sanguinis autem nomine propriè significatur, quarta pars in Venis & Arteriis exuperantium humorum, opposita reliquis humoribus; quamvis ab eis ad oculum discreta non sit. In sanguinis itaque massa homogenea Spiritus degunt non tantum Animales; sed & seminales rationes vegetabilium, meteororum, Mineralium, Metallorum, Elementorum, Astrorum: Diversorum motuum & quietum, signaturarum & vir-

*Sanguis quid.*

*In Sanguine quid.*

virtutum authores, legumq; temporanearum & localium custodes. Sicuti verò animalia extra nos dissentire videmus affectibus variis; Vegetabilia saporum, odorum, colorũ speciebus & gradibus discrepare. Meteora frigorum, calorum, humiditatum, siccitatum; Metalla & Mineralia ponderum & consistentiarum dissimilitudinibus decertare; sic homines quoque invicem dissident, quamvis sint non nisi unius speciei individua; integer Mundus, & tota Creaturarum Terrestrium multitudo homini, à Deo omnium Creatore, subjecta est; sive totus mundus ei impressus est materialiter, ut sit tanquam in unum fasciculum contractus in homine; & si unum aliquod ex terrestribus homini deesset, integri mundi, Dominus dici, multò minus esse posset. Quia autem omnes ordines Creaturarum terrestrium non saltem confusi, sed & omninò corrupti sunt, humanæ vanitatis & lascivæ concupiscentiæ occasione; ideò jam & homines serviunt; Dominio destinati, & serviles ordines homini vel

*Homini totus mundus inest.*

impe-

imperant, vel dominantur, aut id posse affectant. A Spiritibus enim esculentarum & potulentarnm materiarum, æquè jam periclitantur nostra interiora; sicuti ab igne, ab aqua, à frigore, à calore, à pondere, nostra exteriora: Atque ob hoc illegitimum Dominium inferiorum super nos, nostrumque illis obsequium, vel obsequii promptitudinem, animales dicimur. Illi autem titulum Spiritus acquirunt, vel spirituales nominantur, qui se in omnibus adversus carnem ejusq; affectus rebelles demonstrant. Spiritus autem vegetabiles, alio modo nobis nocent quam animales; hi enim membra nobis libera relinqunt exteriora, internos saltem affectus suis legibus mancipant, suo nobis in nobis prædominio; illi autem, membra sola & sensus gravant, substantiam eorum urendo, refrigerando, exsiccando, constipando, dilaniando, syderando, sphacelando &c. Non à qualitatibus solis rellolaceis, in nobis tales dolorosi effectus vel affectus surgunt; sed revera à seminalibus rationibus inferio-

*Inferorum dominii super nos damna.*

*Seminales rationes difficile domabiles.*

feriorum specierum, in nobis libertatem fructificandi assequutis; quæ arti non saltem difficile, sed impossibile est frænare posse, & sub obsequium voluntatis nostræ reducere, semel relaxatas; per media scilicet ea, per quæ extrinseca quietantur & vinciuntur. Si adeò forti essemus præditi Spiritu, ut Prophetæ & Apostoli, tum plura possemus efficere verbis, quam jam igne, ferro, vel panacæa famosissima. Imperaremus enim Spiritibus inferis, & obedirent nobis; titulum quidem illius perfectionis gerimus, sed re ipsâ valde inde distamus; quam tamen promisit Christus omnibus in eum credituris. Immunem quidem ab omni & metu & pudore creavit Deus hominem in principio, sive ab omni periculo peregrini dominii inferorum liberum; quos inferos Scriptura appellat Spiritus impuros; Spiritus ægritudinis; Dæmonia; potestates Satanæ; vim inimici &c. Attamen eum non omnino tutum reliquit ab eorum tentationis periculo; nam legem ei præscripsit, cujus custodia ei erat futura utilis

*Homo primus liber, à servitio, non tamen à tentatione.*

utilis ad vitam; ad libertatis munimentum; Dominii perpetui fulcrum. Sed quia Protoplastes ille, vel Homo primus, à quo numeratio hominum super terram cœpit, potius obsecundavit inferis, quam superis, serpenti & mulieri, potius quam Deo, nosque eum imitamur, & imitari amamus; ideò animales, carnales; inferorum servi, mancipia, amici, filiiq; tenebrarum nascimur, & similem nobis generamus prolem; hoc saltem est residuum adhuc libertatis pro nobis in nobis, si quid residuum est; affectare nempe recuperationem illius quod amisimus, scilicet Dominii super res à principio á Deo nostro Dominio subjectas. Sed id ita facile non est uti putamus, scilicet ut id simpliciter & verbis tantum confitendo, acquirere possimus; & quamvis Deus id nobis sine nobis & paravit; & promisit se nobis redditurum; tamen nequaquam id faciet invitis vel nolentibus, promissa ejus aspernantibus aut fastidientibus; Sed cœlum tantum affectantibus animo integro & syncero; non hypocritis, non adu-

*Libertatis reliquiæ.*

adulatoribus, non timidis; verba à nobis sonotenus prolata, non curant dæmonia; Verum humani animi molimina illis inimica, oderunt, metuunt, fugiunt: quod in singulari scripto demonstrabimus. Divina Sapientia nominat Sanguinem, non tantùm sedem Animæ Carnis, sed & Animam ipsam; ex quo scripturæ dicterio conjicere possumus, sanguinem, animam, carnem,& tria esse & unum; sive sibi invicem subordinata, ut & separata stare possint, & simul unum fieri. Nam singula seorsim existentia peculiarem habent definitionem; sed simul copulata, sic connectuntur, ut unum & dici,& esse possint; sicuti Deus & homo, unus spiritus. Mas & fœmina, una caro; Caput, manus, pedes, venter, unum corpus. Ita & spiritus, anima, corpus, unus homo.

*Sanguis, Anima, Caro unum.*

Anima carnis vivit sine sanguine, sed substantia sanguinis non sine anima; Caro autem nec sine sanguine, nec sine anima. Anima in hoc terrestri nexu est primum, summum & maximum; Caro ultimum in ordine & infimum; Sanguis,

*Animæ & sanguinis discrimen.*

guis, medium. Attamen in judicio vel collatione Cœli cum Terra; Excelsorum ordinum cum inferis; Anima carnis est id, quod Scriptura carnem appellat: Sed hæc alibi prolixius demonstrabimus. Anima carnis, vel carnis desideria & motus, citius non quietantur, quam terminos locales & temporaneos assequuti sint: sive caro fiant; Quousque autem non quietantur, semper concupiscunt; sive in proprio, sive in peregrino corpore contineantur; Ideò sollicitant, irritant, cogunt, vel vi, vel dolo socios quosque ad jungendum desideria, voluntates, scientias, virtutes cum eis. In proprio subjecto carnem generant Legibus speciei suæ conformem; In peregrino, suscipiunt tincturas peregrini ordinis. In humano corpore, brutales excitant affectus; In brutis, brutales tantum, vitæ illi congruas. Ideò vetuit Deus homines, quos sibi in peculium delegit, vesci sanguine animalium; imo & carnibus sanguine vescentium. Cibis statim in principio distinxit hominem à brutis; his enim grami-

*Caro concupiscit semper.*

na,& virides herbas: Illis arboreos fructus,pro cibis assignavit. Anima cujusque carnis,peculiari est prædita scientia generandæ carnis; ita ut individua diversarum specierum uno eodemq; pabulo vescentia, tamen carnem habeant diversi saporis; nec caro saltem sed & fimus eorum discrepat; Nam alius est fimus equinus,alius vaccinus,caprinus, ovinus,&c.quamvis pabulum sit omnium idem: Par est & pilorum,& cornuum,& ungularum,setarum,pennarum, squammarum ratio. Calor qui sufficit ad præparationem cibi animalium,non sufficit ad præparationem cibi humani; nisi ignis quoque accedat vel adhibeatur elementalis; ideò Sol non sufficit nobis,qui tamen sufficit bestiis. Vegetabilia cum suis speciebus, seminibus, fructibus, idonea sunt ad nutriendum omnem carnem & animam carnis; Sed non ad animam & carnem cujusq; hominis; Nec satiantur desideria spiritus humani, quibus gaudent satiari animæ bestiales. Homo,quamvis nō individuatim consideratus, etiam in suo animali & car-

*Anima cujusq; individui carnem generat.*

& carnali ſtatu, mundi eſt Dominus; Nam terra nos veſtit & nutrit, quousq; animalem vivimus vitam; Nos è contra nihil debemus mundo, nihil reddimus, niſi id quod ab eo accepimus; Sed redimus in patriam, mundum hunc egreſſi; ſive in cœlum, terram relinquẽtes. Nec ideò nos homines indigemus accuratiore cibi præparatione, quàm bruta; quod ſtomachus noſter ſit membraneus; illorum autem carneus; Nam ſunt animalia, quæ non ſaltem ſtomachos nobis ſimiles habent, ſed & noſtris ſubtiliores, quæ tamen digerunt cibos nobis concoquere impoſſibiles; Nec caloris ſenſibilis exceſſus in animalibus, cauſa eſt in eis eorum virtutis digeſtivæ fortioris; illa enim, quoad ſenſum, non magis calent quàm nos; Sed ſola eſt ipſorum anima author diverſitatis illius, quæ inter nos & ea eſt conſpicua; Calor Solis non eſt adeò intenſus ac ignis, citius tamen putreſcunt vel corrumpuntur cadavera, ad calorem Solis quàm ignis; atque vel hinc liquet quænam ſit caloris digeſtivi in animalibus

*Anima author diverſitatis omnis.*

*Caloris Solaris & ignis differentia.*

causa. Citius mortificantur corpora metallica leni calore, quàm forti igne, hoc citius liquantur. Noluit autem Deus hominem vesci sanguine Animalium; quia eum noluit turbari affectibus animalibus; vehementioribus scilicet quàm illi sunt quos cum corpore ex parentibus hausit; hi enim, sive nobis innati, & cum semine parentum in nos transplantati, nobis plus satis negotii facessunt in eis domandis, quàm ut ipsi ei labori sufficiamus, sine subsidio Legum & Præceptorum; Horum tamen operâ non liberamur ab eorum insultibus; sed saltem retrahimur ab obsequio. Permisit verò Deus homines vesci animalium carnibus, sed exsanguibus; non tamen indifferenter omnibus; Non quod eas concoquere non possit virtus caloris nobis insiti; Sed quod affectus animales omnes à nobis domari nequeant, qui semel super nos acquisiverunt dominium, sine singulari concursu virtutis, de supra. Nobis quidem Christianis per Legem licet vesci & sanguine & carnibus omnibus; tamen

*Sanguine vesci quare illicitum.*

tamen non cōducit; nam quæ nos non infestant affectibus; membra tamē corporis nostri, & eorum contenta, lædunt suis materialibus virtutibus. Anima animalis, ne in cadavere quidem per vim externam mortificato, ita quieta est, sicuti in carne vivâ, & secundum numeros omnes legum carnalium absolutâ. Nam & in cruore æstuat, si non aliis affectibus, tamen vindictâ, & redeundi in pristinum statum desiderio. Nos quidem animæ illos æstus vel ignes ignoramus extra nos; Discere autem possumus ex Scriptura, & in nobis ipsis deprehendere, si saltem omnia interiora nostra sedulò examinaverimus. Non invidia fuit, non ira, quæ Deum movit Leges dare Judæis de non comedendo sanguine, & carnibus certorum animalium; sed amor, quod eos præ cæteris gentibus amavit; Voluit enim eos eo modo præcavere & ab affectibus animalibus, & à morbis carnalibus, sive sanos & longævos esse. Caro quidem est Sanguini maximè & proximè affinis; Tamen in substantia carnis quietiora sunt omnia, *Carne vesci licitum.*

quæ in massa sanguinea tumultuātur & turbantur variè. Ideò nō est adeò noxia homini esio carnis, ejusque macrioris; quam pinguioris & sanguinis; Ignis reddit nobis innoxiam carnem, sed non pinguedinem nec sanguinem. Carnibus elixis, assisque vesci tutò possumus, absque metu & periculo contagionis; sed sanguine, ne cocto quidem. Ad Medicinam extrinsecus adhiberi possunt, sed non in cibum, sanguis, vel carnes certorum animalium: multo minùs humanorum corporum. Nam quæ ab initio non lædunt membra; bellum tamen movent affectibus, sub finem & ipsa membra destructura. Sanguis itaque est media quædam substantia inter animam & carnem, sive eorum vinculum; ideò communicans & cum sensibilibus & cum insensibilibus, formalibus & materialibus, æternis & temporaneis carnalium principiis. Animales autem spiritus se aliis indiciis produnt in nobis, quàm Vegetabiles, Minerales & Metallici. Sapores enim, odores, colores, pondera, humiditates, siccitates, calores,

*Sanguis quid.*

lores, frigora, non ſunt effectus animæ carnis, ſed ſpirituum eâ inferiorum; Suntq; inſtrumenta animalium concupiſcentiarum, vel materiæ. Sentire autem, iraſci, concupiſcere, imaginari, alii ſpiritus neſciunt niſi animales, ideò quoque inſtrumenta producunt vel membra ſuis ſcientiis conformia. Non autem aliam ob cauſam dæmonia dicuntur muta & ſurda, niſi quod eorum ſcientiæ in ſignaturis determinantur mutis & ſurdis; Quod ſi autem animæ carnis & hominis propriæ, fiat invicem collatio? Tum æquè magnus, imò & major hiatus inter illas duas animas deprehendetur, ac inter corpus vegetabile & metallicum. Nam ſpiritus animalis in humano corpore habitare quidem poteſt, & operari; ſed non humanus in brutali; Homines obſidentur à dæmonibus, ſed non dæmonia ab hominibus. Spiritus inferi, ſuperiorum obſides, ſunt ſpiritus impuri, infirmitatum, morborum, dolorum, anguſtiarum, timoris, pudoris, mortis authores ſui ſubjecti.

*Spirituum animali inferiorum virtutes.*

*Animæ hominis & carnis diſcrimen.*

Humani ſpiritus cum Cœleſtibus, & divinæ Naturæ conſortibus communicare; vel divinæ Naturæ conſortes & ipſi eſſe poſſunt. Sed Animales illius ſocietatis capaces nec ſunt, nec aliquando fuerunt, vel erunt. Animales ordines non ſaltem ſpecificis proprietatibus & animalibus affectibus invicem diſcrepant, verùm & externis ſignaturis, vel membris. Homo autem Spiritualis ab Animali, non niſi internis affectibus; extrà nullum eſt eorum diſcrimen. Animalium interna diſcrepantia, certas quoque ſignaturas membris imprimit, ut ex earum lineis de internis quoque fieri poſſint affectibus judicia; Hinc Chiromantici, Augures, Aruſpices, Harioli & illi, qui ex vultibus, oculis, crinibus, naribus judicia formant, ſuas hauriunt rationes; Sunt inter animalia innumeræ beſtiarum, pecudum, volatilium, inſectorum, piſcium ſpecies. Aliud animal eſt ſonorum, vel vociferum, aliud mutum, aliud ſtupidum, aliud aſtutum; aliud ferox, aliud cicur; aliud utile, aliud noxium; ita ab invicem diſ-

*Hominis Animalis & Spiritualis diſcrimen.*

*Quot differentiæ animalium, tot hominum.*

ſident

ſident individua ſolius humanæ ſpeciei; illa tamen tantum, quæ Scriptura animales homines nominat. Sed inter ſpirituales, nullum eſt omninò diſſidium, nulla inimicitia, ſed maxima donorum & virtutum cœleſtium varietas. Nos ſumus vel ſi non ſumus, fieri tamen poſſumus conſortes divinæ naturæ; Non autem aliquæ ſpecies ex animalibus; Nos adhuc in carne habitantes, habemus primitias Spiritus in certitudinem ſpei, quod nempe & ſimus jam filii Dei, & ab hinc futuri hæredes Regni Cœlorum; Spiritus autem mundi hujus, etiam potentiſſimi & maximi, ſpiritus tantum ſunt ſerviles, ad ſervilia officia non ſaltem deſtinati, ſed omninò condemnati; Ideò nunquam poſſunt cum Cœleſtibus vel divinis ordinibus reconciliari, ut aliquando fiant eorum amici, vel unius cum Deo gloriæ participes; Nos homines ſoli eâ libertate omnibus terreſtribus creaturis prærogamus. Eam humanæ ſpeciei ſpirituum prærogativam non ignorarunt Gentiles Philoſophi; ſed multa de ea commentati ſunt,

*Spiritus Inferi qui.*

& posteritati in scriptis suis recommendarunt; sed plurima fabulis involuta; Quas quia hodie pauci intelligunt, ideò plurimi aspernantur, viliora & turpiora scripta eorum judicantes, quàm ut illis nos Christiani credere audeamus; cum tamen eorum contenta, non saltem verum Christianismum sapiant, sed & in multis eum & talem, qui & qualis hodie est, multis gradibus excellant. A sanguine itaque proprio periclitatur omnis homo, intus & extra, semper & ubique; ob eam quam habet cum spiritibus affinitatem; non quidem cælestibus vel divinis, sed terrestribus & inferis; inter quos affectus carnales tumultuantur. Extra ob sapores, odores, colores, pondera, humiditates, siccitates, frigora, æstus, quæ formæ ex sanguine scaturiunt, & membra corporis varia, variè vaporibus suis vel humoribus afficiunt. Ita corpus hoc animale afficitur ab authore suo, vel spiritu mundano dupliciter, tum vitaliter, tum lethaliter; tum voluptatibus, tum doloribus; Ex sanguine tum sanitatis tum morbi, tum vitæ & mortis

*Sanguis periculosus.*

mortis ſcaturiunt principia; Ex ſanguine non ſolæ imaginationes, inſomnia, phantaſiæ ſurgunt; ſed & humores varii, biles, pituitæ, urinæ, alia denique excrementa. Nec etiam ab illis tantum ſubſtantiis infeſtamur, quæ Humores dicuntur, ſed & ab illis, imò maximè, quæ ſunt Vapores; denique à Carne ipſa, ab oſſibus, à medullis, ſive à continentibus æquè ac contentis. Omnia enim quæ de Terra naſcuntur, Legibus terræ ſunt obnoxia; quamvis alia ſæpius, alia rarius moveantur; alia tardius alia velocius; alia longius vel brevius quieſcant. Mutabilia tamẽ ſunt omnia. Mutari autem dicimus illa, quæ jam unum, jam plures ſenſus afficiunt; jam omninò nullum, ipſa tamen eadem ſemper numero permanent. Eſt autem mutatio omnis vel ſalutaris & jucunda; vel lethalis & dolorifica. Morboſa dicitur omnis illa, quæ ſtatum hominis deprimit, ſive ex bono triſtem & malum, ex optimo peſſimum reddit; ſive quæ hominem ſpoliat omnibus libertatis privilegiis, vel pleriſque, vel quibusdam; *Mutari quid.*

dam; atque talis mutationis authores sunt omnes concupiscentiæ Animales; Omnes artes mundanæ, quæ cum labore & sudore docentur & discuntur; Omnes virtutes Elementares, Meteoricæ, Metallicæ, Minerales, Vegetabiles. Ex hisce ordinibus surgũt omnes humanæ miseriæ, angustiæ, tristitiæ, pudores, timores, furores, omnes denique plagæ, quæ vel actu nos affligunt, vel mox afflictionem minantur aut portendunt; inter quas & omnes carnis voluptates sunt recensendæ. Nam homo animalis in summo gradu beatitudinis carnalis constitutus, omnium dolorum & angustiarum ignarus, non saltem in proximo gradu est morbi vel mortis, sed re vera jam mortis captivus & mancipium. Avaritia enim, iracundia, superbia, lascivia, &c. quamvis in ordinibus animalib⁹ pro legibus vitalibus habeantur; tamen in speciem humanam translatæ & omnes & singulæ, possessores privilegiis Libertatis & Excellentiæ spoliant, hominemq; dæmoniis similem reddunt. Sive Animalis homo inter ordines Terrestres

*Mutationis humanæ in pejus causæ.*

restres leonina fortitudine & audaciâ pollens, vel vulpina fraude, aut asininâ stupiditate, vel serpentina astutiâ excellens alios; secundum leges humanitatis non saltem pro ægro, sed & omnino pro mortuo habetur in judicio sanctorum: Sicuti mortales suo judicio mutos surdos, cæcos, apoplecticos, paraliticos pro ægris, vel mortuis habent.

*Homo animalis mortuus est.*

Miraculosa autem mutatio contingit homini, dum ille ordini filiorum Dei restituitur, sive ita Deo reconciliatur ut nullus hiatus eos dividat alicujus dissidii vel inimicitiæ timoris vel pudoris. Miracula quoq; fiunt in ordinibus inferioribus, dum videlicet signaturæ ordinis superioris apparent in individuis ordinum inferiorum; E. g. dum brutum humanam vocem edit; uti asina Bileami; Dum lapis vel lignum, vel aliud quid exsangue, sanguinem sudat, &c. Si lapis mollescat ad oculum; vel lignum in serpentem mutetur, sine concursu serpentis; si serpens vel canis pariat fœtum humano similem; Monstrum est vel miraculum; Sed si homo ser-

*Mutatio hominis miraculosa.*

*Morbi & miraculi discrimen.*

ſerpentem,bubonem,canem &c. morbus eſt. Verùm de talium mutationum legibus, agemus prolixius in Philoſophia Sacra. Miraculoſæ mutationes claræ admodum ſunt in nobis,& extra nos; Morboſæ autem admodum frequentes & quotidianæ. Nam proclivius eſt ad lapſum, ſuperior ordo; quam inferior ad aſcenſum. Nulla ſpecies inter omnes creaturas terreſtres ſenſibiles,ita prona eſt labi, quàm humana; quia nulla eſt humana excellentior & liberior. Homo ſolus movetur liberrimè, non ſaltem de loco in locum; ſed ex affectu in affectum; nulla autem alia animalium ſpecies; canis habet affectus tantùm caninos; Et qui unum canem noverit, omnes cognoſcit: Sic ſe habent & reliqua animalia; ideò qui hiſtorias animalium ſcripſerunt, tantùm non errant quantùm illi qui humanas volunt recenſere proprietates; Nam homo non tantùm humanorum, ſed & divinorum, & Angelicorum, & dæmoniorum, & beſtialium, brutaliumq;

*Homo ad lapſum proclivißimus.*

umq; affectuum est, vel esse potest particeps, Quot itaque differentiæ & quales omnium entium sunt extra nos; tot, tantæ, & tales deprehenduntur inter individua solius speciei humanæ. In homine sæpè aliquo, excepto nomine & forma externa, nihil est humani, peregrina omnia. Sive divina, sive diabolica, sive animalia: atque hæc res occasionem & materiam suppeditavit multis fabulosis Poetarum & Philosophorum commentis. Sanguis destitutus animæ carnis communione cruor est; Corpus animale destitutum sanguine, cadaver est, illæso manente numero & situ membrorum ejus. Anima carnis, destituta suo corpore; Spiritus est inquietus, nec quietari potest, citius quàm acquisiverit quod quærit. Spiritus humanus destitutus communione Divinitatis, quamvis videat & audiat, omnia visibilia, sive vivat; Mortuus tamen est; si non in judicio suo tamen in judicio contra eum hostiliter affectorum. Speculum repræsentat & lucem & ignem; Tamen species illa in speculo appa-

*Sanguinis & cruoris discrimen.*

apparens nec lucet nec urit. Ita homo repræſentat ſæpè vel Deum, vel dæmonem; Vacuus tamen vel hujus, vel illius proprietatis intus. Nihil quidem eſt ſimilius igni inter omnes imagines ignis, quam ſpecies illa quæ in ſpeculo apparet; tamen nec ignis propriè, nec lux eſt, ſed nomen tantum ſterile illius rei, cujus ſimilitudinem oſtendit viſui.

*Animæ ejusq; imaginis discrimen.*

Ita anima carnis ſe ipſam aliter effigurat in carne, aliter in ſanguine, aliter in ſpermate, aliter in oculo; Tamen ipſa nihil eorum eſt. Nihil eſt in hoc mundo affinius igni quàm Sol; vel Soli, quàm ignis; Tamen ignem obtenebrat Sol, qui tamen illuminat omnia.

*Solis & ignis vanitas.*

Nihil eſt ſimilius homini in mundo hoc ſenſibili, quàm corpus humanum; Attamen hoc ſolum eſt quod nos impedit videre cœleſtia; obtenebrat enim oculos interioris hominis affectibus terreſtribus & carnalibus; Poſtquam verò hi omninò nobis ſubtracti fuerint, atque nos corpore hoc carnis & ſanguinis liberati, tum uti liberè vivemus, ita liberè judicabimus omnia, quæ hic ignoravimus,

mus. De hac materia tractabimus plura in Philosophia Sacra; revertemur ad sanguinem.

---

## Caput III.

Sanguis secundum externam formam consideratus, & communia scholasticorum Medicorum dogmata examinatus humor est rubicundus in venis, arteriisq; conclusus, in se occultans pituitam, bilem omnis generis, & serosos liquores; vel est tantum pars quarta, humoris in venis & arteriis contenti; quæ propriè sanguis dicitur. Quia autem est contentum corporis, sicuti humores alii, bilis, pituita, urina ideò inter partes corporis, vel membra non numeratur. Vasa sanguinem continentia dicuntur venæ & arteriæ, earumq; propagines; quarum extremitates in hominibus in pilos & ungues; in brutis, in ungulas, ungues, cornua, squammas, setas, vellera, pennas &c. desinunt. Concavitatem itaq; venarum & arteriarum occupat sanguis humo- *Sanguis quid.*

rum magis quàm vaporum ferax in venis; sed vaporum feracior quàm humorum, in arteriis, ad judicium sensus. Ideò vegetior est motus sanguinis arteriosi quàm venosi; ille enim continuò pulsat, quamvis non semper æqualiter: Nam interdum celerior est interdum tardior motus ejus; interdum vehemens, interdum mitis; ad motum autem sanguinis movetur cor, pulmoq; dilatatur & contrahitur; ad motum autem affectuum, multiplicantur & minuuntur vapores. Per pulmones vapores egrediuntur ex arteriis; sed per venas mesenterii, humores ex venis ad intestina excernuntur, si non semper unius generis, sicuti per ductum biliarium bilis; tamen multiformes, saporibus, odoribus, coloribus, pro diversitate temporum dissidentes. Quousq; anima carnis plenarium dominium possidet per universam corporis rempublicam; tum benè se habent omnia, generantur generanda, & excernuntur excernenda. Sed dum ea quæ in sanguinis chao materialiter tantùm se habebant

*Vapores arteriarum, humores venarum excrementa.*

bant aliquandiu, formalem induunt rationem; Tum ſentit animal vel onus ſimplex à pondere; vel dolorem pro diverſitate dolorifici vaporis aut humoris varium; qui ſpirat tincturas ordinis ſui. Nam nulla ſunt contenta corporis noſtri, quæ noſtra ſint propria; aliunde enim accipimus omnia quæ habemus, alia de Cœlo, alia de Terra. Microcoſmus eſt quiſque homo; Tamen non omnia quæ in nobis ſunt, ſenſibus patent ſemper; quædam occultantur diutius, quædam revelantur ocyus; & alternatim reciprocatur jam horum, jam illorum ortus & occaſus; motus & quies; actio & paſſio; Prout nos vel fata irritaverimus contra nos; vel contenta corporis noſtri ſub tenebris latentia, in lucem evocaverimus noſtrâ laſcivià. Saporum quoad nomen & ſpeciem conſideratorum, eadem eſt definitio omnium; Sed non eadem forma in judicio ſenſuum; nam quæ Guſtus judicat ex ſolo ſapore; ea tactus ſub tali nomine non percipit, ſed ſub forma caloris aut frigoris. Sic judicantur aliæ quoque

*Sapores, ſunt & guſtus & tactus objecta.*

corporeitates, sub vaporosa, & sub humorosa consistentia. Singulæ autem corporeitatum species, cujuscunq; tandem ordinis sit, per septem classes divisæ sunt; Ita classis quæque per totidem differentias; in suis numerationibus. Nam Unitas, Binarius, Ternarius, non complectuntur omnes gradus motus cujusque; sed eum per medium quasi dividunt; uti id docent comparationis Grammaticæ variationes; quæ enim aliquandiu minima fuerunt, mox magna, majora & maxima fiunt; Et quæ maxima nominabantur, mox majora, parva minora dicuntur; talis est ponderosorum, gravium & levium; summorum & infimorum &c. reciprocatio: Donec omnia Terra fiant aut Homo; Nulla enim species sola omnes motus claudit sublunarium, excepto homine inter superiores; Et auro inter inferos ordines. In corpore humano terminantur omnia infernè ascendentia; Atque in Auro supernè descendentia; tamen non in quolibet individuo fit omnium saporum, vel odorum, vel colorum;

*Specierum sensibilium classes septem.*

*Solus homo extremitates terminat ascendentium.*

lorum, vel ponderum terminatio; Speciei humanæ; ita nec in quolibet auro; Attamen extra speciem humanam nullibi in heterogeneitate; nec extra aurum in homogeneitate. Ponderibus tamen colores; coloribus sapores; saporibus odores succedunt; Sæpè omnium trium est motus conspicuus in uno subjecto simul & semel; etiam in extremis gradibus; Sed non sic caloris & frigoris; humidi & sicci; vel dulcis & amari; nam sapores non possunt convenire cum saporibus in uno gradu; sicuti est impossibile, ut primus sonus cum secundo consonet. Sed hæc vulgo nota sunt; nos autem eorum explicationem differimus usque in Mysterium Septenarii. A sapore autem non solus afficitur gustus, sed & Tactus, quamvis proprium objectum Gustus sapor sit. Alia tamen est sensibilitatis species in sapore, & Tactui communis, nempe pondus, quod per calorem vel frigus se ei insinuat, & motum suum; an nempe sit à quiete, aut ad quietem? An à pondere, aut ad pondus? Ideò aqua marina gravior est

*Aurum terminat extremitatem descendentium entium.*

fluviali, quia salsior, & ad quietem redi-
tura mox, per confluxum. Hæc prolixi-
us elucidabuntur in Philosophia sacra;
Ideò ægrorum alii calent vel æstuant
valdè; alii algent omnino, vel integro
corpore, vel aliquà ejus parte; quæ sym-
ptomata in eis aliundè non oriuntur,
quàm â pondere salis in eis prædomi-
nantis, vel sapore. Qualis autem sapor
sit sal: s illius qui se calore vel frigore in-
sinuat tactui? id tactus ignorat, quia nō
gustandi habet scientiam, sed tangendi
solùm. Dum autem in sanguine nullus
est saporis excessus; tum nulla quoque
caloris vel frigoris passio in ægro, quam-
vis sanguis nunquam omnino sit insipi-
dus, nunquam omnino vaporosus, vel
sine pondere, & tamen ab ejus signatu-
ris quas habet animæ carnis congruas
animal non afficitur; nisi ab anima car-
nis derelictus cruor fiat. Nam unica hu-
jus guttula, imò atomus, magis gravat
sensum, quàm integra libra animæ con-
grui. Talis est natura omnium excre-
mentitiorum & vaporum & humorum
in sanguinis arteriosi & venosi mass

*Tactus ignorat saporum differentiam in specie.*

co

contentorum, nisi ipso momento nativitatis suæ excernantur; Nunquam autem quiescit sanguis ab excretione Vaporum & Humorum, quousque vivit animal; ideò sicuti continuò per exspirationem vapores superflui excluduntur; ita & humores ad sua emunctoria propelluntur. A vaporibus tamen & vehementiùs & frequentiùs periclitantur ægri; ab humoribus autem tardiùs & longiùs; Quo enim quid est spiritibus affinius, eò quoque vitæ & valetudini est perniciosius; quia ægros ex insidiis quasi lædit, ita ut citius lædantur, vel omninò exanimentur, quàm se lædi sentiant; Quòque vapores fuerint subtiliores, eò occultius & gravius nos lædunt. Humores quia graviores, ideò & tardius moventur, & apertius lædunt quos lædunt, nam solidiora penetrare nequeunt, quæ penetrant vapores. In carne quidem, & in ossibus, in sanguine & in humoribus, adsunt omnia, quæ prius latebant in vaporibus; Ideò ab humoribus tantas molestias no npatitur Animus, Phantasia, Imaginatio,

*Sanguis in continuo est motu.*

quantas à vaporibus; præsertim subtilitate & vehementiâ spiritibus affinissimis. Citius quoq; omnia inchoant vapores, quam in humoribus vel membris quæ sunt conspicua, aut aliquo modo sensibilia; Hinc imaginationes tristes, vel furiosæ, præcedunt in vigilantibus, vel dormientibus, citiùs quam ab eis afficiantur humores, vel membra. Ideò inquinatio omnis nō ab extra ita, quàm ab intra filum trahit. Qui autem nostrum scit suos moderare affectus, vel frænare; ille tutior est ab omni contagio, corpori noxio, quàm qui affectibus liberam dat tumultuandi intùs licentiam. Nihil fit caro, quod non fuisset prius sanguis, Nihil autem fit sanguis, nisi prius fuisset vapor; vapor autem in sanguinem mutatur, non virtute alicujus membri, sed solius Animæ Carnis, quæ corporis sui est architectus & incola. Anima autem carnis cum carne, imo ne cum sanguine quidem, communicare potest, nisi mediantibus vaporibus; Tamen non omnes vapores indifferenter animæ servire sunt idonei; Nam inter

*Contagium à vapore, non humore.*

*Affectus frænare optimum remedium morborum.*

ter vapores æquè magna eſt diſcrepantia ac inter humores, & alias corporeitates; Quamvis verò non ſit ſenſibilis illa, tamen ex hac judicare poſſumus de illa. Omne humidum eſt coagulabile in ſiccum; omne vaporoſum in humidum; omne pondere deſtitutum in levem vel gravem ponderoſitatem. E contra omne ſiccum in humidum; omne humidum eſt in vaporem reducibile; omnis vapor eouſque ſubtilizari poteſt, ut ſpiritibus fiat conformis, eorumque habitationi idoneus. Tamen in omni mutatione ſeminalis ratio inviolata manet; quamvis alia diutius ſerviat, alia facilius pareat ſuperiorum dominio, alia difficilius. Vapores Metallici & Minerales ſunt vehementiſſimi, quia omnium ordinum terreſtrium infimi; Corpora autem metallica ſunt ſolidiſſima & graviſſima, difficillimè in humores diſſolubilia; Ideò & vapores inde halantes ſunt animalibus pernitioſiſſimi; atque hæ ſunt corporeitates illæ, quas vulgus venenatas, malignas, occultas qualitates nominat. Quamvis

*Vaporum diſcrimen.*

*Semina non pereunt.*

*Vapores minerales venenati.*

autem in corporibus humanis rarissimè reperiantur corporeitates metallicæ; tamen interdum; si historiis credendum est; Vapores autem & humores tincturas metallicas redolentes, sæpissimè, in utriusque sexus, & omnis ætatis individuis; Illi autem vapores & humores non proveniunt in nobis ex corporibus metallicis vel mineralibus, actu sensibili præsentibus; sed ex seminalibus eorum rationibus, quæ sub cibulentis & potulentis materiis occultabantur aliquandiu nobisque, vel animalibus, vel vegetabilium seminibus inserviunt materialiter. Nam eo generationis processu, quo nos ex terra fimus, vel ex terrestribus ordinibus assurgimus, generãtur reciprocè inferiora in nobis & ex nobis. Illa enim est Lex fati inevitabilis, ut nempe omnia in terram revertantur, quæ ex terra prodierunt: Omnia in Cœlestes ordines recipiantur, quæ cœlestis sunt conditionis. Una autem gutta, vel granum corporeitatis metallicæ aut mineralis, plures vapores halat quam uncia, vel libra integra, imò plu-

*Vapores minerales in nobis.*

res

res corporeitatis vegetabilis aut animalis; quamvis & harum aliquæ magis vel minus vergant in eorum affinitatem. Arctissimè enim sunt unitæ corporeitates centrales, arctius quam ordinum superiorum; ideò hæ sunt facilius dissipabiles; quia virtutes has vincientes sunt laxiores & mitiores. Omnis violens motus intus in nobis fiens, à vapore vel humore fit metallico, aut minerali materialiter; sed à nostris propriis concupiscentiis regitur formaliter; non possunt enim inferiora moveri à seipsis, nisi moveantur à superiorum ordinum majestaticis imperiis, aut dominiis; Spiritus est mundi hujus Princeps, qui movet omnia secundùm Leges ejus à cœli Principe definitas, locisq; temporibus & numeris circumscriptas & limitatas. Hominis autem voluntatem nemo est ordinatus movere, quàm Lex Divina, quæ cum Legibus mundanis omnibus excepit, sed in Dominum universæ Terræ designavit & destinavit; Si quæ alia sunt quæ nos irritant, invitant, hortantur aut cogunt quid velle, quam

*Vaporum causa.*

quam ea, illic & tunc; quæ, ubi, & quando nos velle, scire, facere jubet Lex Dei; ea omnia sunt infernalia, nobis summopere, fugienda, reprimenda, debellanda. Ideò necessaria est nobis ad beatitudinem assequendam plenaria cognitio voluntatis divinæ, ne per ignorantiam incidamus in servitutem, ex qua nulla datur liberatio; Sed de his prolixius in Philosophia Sacra. Omnis Essentia Terrestris, tàm ea quæ spiritus dicitur, quàm ea quæ corpus, ab homine ad metalla usque, legibus locorum & temporum alligata est, ab eo, qui numeravit, ponderavit & dimensus est omnia à principio; ideò nihil est sub Sole perpetuò; sed mutantur omnia, sicuti Loci & Tempora mutantur; nam quæ hodie dominabantur, cras & alibi serviunt; & quæ materialia officia administrabant, cras formales induunt rationes; Alia iterum dominantur aut serviunt longius, alia brevius; alia annuatim; alia menstruatim reciprocantur; alia septimo quoque die; alia septima quâque horâ, aut horæ parte. In seculo altero

*Perpetui nihil sub Sole.*

nulla

nulla est, nec erit aliquando Locorum & Temporum reciprocatio; ideò nulla intervallaris servitus, vel dominium; perpetua omnium & singulorum semper & ubique continuatio vel duratio. Donec homo servit localibus & temporaneis vicissitudinibus, servit vanitati; & cum eo omnia, quæ ejus parent voluntati. Sed liberato homine à vanitatis dominii obsequio; tum omnia restituet secum libertati æternæ; Homo autem ipse se liberare nequit à violentia dominii vanitatis; nisi subsidiũ affectaverit, vel acquisiverit supernè; Et quamvis adhuc hic impetraverit libertatem voluntatis, tamen porro hiatus quidam velle ejus dividit à posse, qui durat quousq; mensuræ locorũ & temporũ durãt. Sed hiatus qui voluntatem incolarum æterni seculi à posse divellit; est immensus; nullis locorum vel temporum terminis circumscriptus: Nam qui impotentes, & nauseabundi cœlestium hinc egrediuntur; illi semper versus cœlestia ita affecti manent, qualiter hic fuerunt; quamvis nunquam recu-

*Hiatus ab hinc nos à cœlo & mundo separant.*

perare

perare possint terrestria quæ amiserunt, sed tantùm semper illic quoq; concupiscunt. Omne itaque ens terestre homogeneum, est capax heterogeneitatis; Et omne Heterogeneum homogeneitatis; tamen quæque fiunt per justa locorum & temporum intervalla. Spiritus animales voluntatem, cognitionem, & virtutem habent heterogizandi homogenea, eamq; sensitivam; Spiritus autem metallici & minerales, meteorici & vegetabiles, omnia heterogenea homogeneizãdi, sive contrahendi, congregandi & vinciendi. Nos opera eorum vel affectus judicamus vel cognoscimus, sed non operantes substantias; hæ enim sunt occultiores quàm ut sensuum mensuris se metiri patiantur. Nihil à se ipso est quod est; sed omne sensibile, principium habet insensibile sensibilitatis suæ; hoc autem est formale tantùm; illud verò materiale simul. Talis reciprocatio est officiorum virtutum, cognitionum, concupiscentiarum, Dominiorum & servitutum

*Nihil est à se ipso.*

tum omnium inter entia terreſtria. Qui Arithmeticus ex hoc numero 1000. producit ſequentes 20. 30. 40. 200. 300. 400. ille plures quidem figuras vel characteres numerabiles producit, quam qui ex his omnibus unum 1000. ſed tamen non plura numerata; Nec multiplicat aut diminuit res vel hic vel ille, ſed ſaltem rerum imagines. Nam ſub hac figura unicâ, æquè tot ſunt unitates 10, ac ſub his quatuor, {1 2 3 4} ſed hic ſunt plenius ſenſui effiguratæ ad captum; illic intellectui. Ita ſunt omnia in ſpermate & ſanguine, quæ in totius individui corpore & membris; ſed non omnia uno modo ubique; ſed ut loquũtur ſcholæ in ſanguine & ſpermate, ſunt potentialiter; in membris autem, actualiter. Non tamen omnia quæ in ſanguinis aut ſpermatis homogenea corporeitate occultabantur aliquandiu revelantur in locis & temporibus; Plura ſemper & præſtantiora hærent ſub tenebris; Tamen æquè hæc ac illa, ſunt animæ carnis propria; Non eſt alterius

ordi-

ordinis spiritus qui carnem generat ex sanguine; sed ille ipse qui sanguinem generavit ex cibulentis & potulentis vaporibus, à nervis receptis. Sicuti nulla est alia seminalis ratio in arbore, frutice, planta quæ generat fructum vel semen, quàm quæ lignum, corticem, aut folia; quamvis alias virtutes determinet, priusque in ligno, quàm in fructu. Animalis spiritus habet scientiam sibi implantatam generandi & sanguinis, & carnis; vel commutandi extrinsecus hausta, in carnem & sanguinem; nonq; tam ea quæ sensibilia deglutit, sed quæ in illis latuerunt insensibiles seminales rationes. Nihil ad generationem sanguinis conducit sensibilis substantia; nam ex aqua æquè generat Animalis Spiritus sanguinem & carnem, quàm ex vino vel zytho: Imò durabiliora membra ex illis potius quàm ex his. Anima vegetabilis, separata à suà corporeitate nullos imprimit impetus animales subjecto cui inservit materialiter: sed saltem vegetabiles virtutes. Anima autem carnis, suo fœtui imprimit affectus

fectus carnales suæ speciei congruas, eisque convenientia & conformia instrumenta. Equus, vacca, ovis, caper, cervus, sus, anser, gallina, eodem omnia pasta pabulo, carnem tamen habent diversi saporis, citrà quàm quòd externis signaturis externorum membrorum discrepent; Indeq; videre est, quòd materiæ cibulentæ & potulentæ nihil conferant ad carnium saporem; aut substantiam; sed sola tantùm anima cujusque individui. Dum verò in corporibus humanis nascuntur, & inde excernuntur ligna, pili, lapides, mineralia, metalla, acus, cultri; alia denique extrà nos nasci consuetis, vel ab arte factis, similia; qualia sæpè vomunt utriusque sexus individua, frequentius tamen fæmellæ quàm masculi; illa efformat in illis subjectis, non anima eorum carnis, sed peregrinus aliquis spiritus ex ordine spirituum terrestrium; sed de hac materia peculiarem meditabimur & publicabimus, si Deus volet tractatum. Omnes spiritus, mundi hujus mutabilis & pereuntis, continentur in sangui-

*Causa rerum monstrosarum in nobis.*

*Spiritus terra in nobis.*

I ne hu-

ne humano; suasque virtutes, scientias & desideria determinant, vel determinare affectant in nobis, aut per nos in aliis; cum tamen hoc discrimine, quod in quibusdam hominibus prævaleant desideria scientiis & virtutibus; in aliis virtutes vel scientiæ desideriis; alii hominum trahuntur voluptate, ad obediendum affectibus internis; alii falsa persuasione; alii per vim coacti; alii multitudine; alii consuetudine: Si enim homo est revera Microcosmus uti dicitur; tum necessario in Republica spirituum corporis sui complecti debebit omnia sed insensibiliter, quæ extra ipsum sensibiliter sunt vel fiunt. Parva tabella per icones suos repræsentat Regna integra, urbes, pagos, arces, castella, fluvios montes; &c. Quid vetat igitur spirirus in nobis repræsentare omnes mundanorum entium species, verius & vivacius quàm id quod possit efficere artis opus. Quæ autem in nobis existunt Ideæ; illæ quidem magnitudinis, multitudinis aliarum denique localium & sensibilium mensurarum effigurant species,

*Homo microcosmus.*

*Idea internæ externorum imagines.*

ſpecies, ſed illæſâ manente quantitatis
in nobis ad majora capacitate; Illoca-
les enim ſunt ideæ internæ; ſive nec a-
deò multæ, nec adeò magnæ, ut & plu-
res, & majores eſſe an fieri non poſſint:
etiam in uno momento, illæſis manen-
tibus priorum figuris: Humana indivi-
dua, ſunt quidem omnia ex uno homi-
ne nata; ſive ſunt unius ſeminis fœtus;
attamen tanta eſt diſcrepantia inter e-
os, quanta eſt inter omnes ſpecies crea-
turarum terreſtrium. Sunt enim ho-
mines animales, non ſaltem illi qui ſunt
furaces ut corvi; voraces ut lupi; ſan-
guinolenti uti leones, &c. Sed & illi qui
laſciviunt, ſuperbiunt, delirant; vel ſtu-
pidi, ignari, indociles, mendaces, doci-
les, ſagaces, aſtuti, loquaces, &c. Nihil
itaq; eſt novi, admirandi, aut ſtupendi
in homine, ſi in alio hic, in alio alius
aliquis animalis affectus fiat conſpicuus;
ſi in homine naſcatur vermis, lapis, cul-
ter, clavus, &c. vermem vel calculum,
alii vermi & lapidi ſimilem, in homine
naſci, non miramur; quia eſt admo-
dum frequens, & quotidianum; ſed ſi

I 2 videa-

videamus araneum, aut muſcam, lignum, ferrum ſerpentem in homine natum, & quocunquè modo per ſuperiora vel inferiora excretum, ſtupemus; quaſi magis naturalia ſint lapis & vermis, quàm muſca aut lignum vel ferrum. Homo revera eſt totius mundi theatrum; & ſpeculum repræſentare potis, omnium creaturarum ſpecies quocunque modo diſſidentes ſimul & ſemel; Theatrum autem dicitur locus aptus omnis generis actibus, geſtibus, ceremoniis, omnibus conſpicuus. Si quid admirandum vel ſtupendum eſt in homine, id ſolùm eſt, quod videlicet nos ipſos ignoremus, & cognoſcere diſcere nolimus, quamvis nos ſufficienter exiſtimemus inſtitutos eſſe, ad judicandum alios. Omnia igitur ſunt in nobis, quæ ad vitam æternam faciunt, & quæ ad temporaneam; Quæ nos beatos efficere queunt & quæ miſeros; & quæ ſpirituales ſive divinæ Naturæ conſortes, amicos, filiosque Dei; Et quæ animales, carnales, hoſtes Dei, filiosque Belial & gehennæ, mancipia vitæ & valetudinis mor

*Homo totius mundi Theatrum vel Compendium.*

morborumq; & mortis ſeminaria. Sive & res ipſæ, & rerum imagines; Nos autem, proh dolor, in imaginibus rerum conquieſcimus, ad res ipſas non pertingimus, quamvis hæ nobis ſint æquè propinquæ ac imagines, imò propinquiores; Intus enim in nobis ſunt ea, quæ in æternum nobis adhærebunt, poſtquam ſenſibilia abolita fuerint omnia. Sed nos vas lambim⁹ cum vulpe, pultem non attingimus. Febricitantes, Epileptici, &c. ſymptomatum ſic nominatorum cauſas intus in eis reconditas ſemper habent, quamvis id de eis ſemper neſciant; ſcilicet tunc dum non ſentiunt; ſciunt tamen paroxyſmos non ab extra, ſed ab intra ſuos exordiri actus tragicos; Tamen ubi, vel locum & matricem quieſcentis ſeminarii ignorant & ægri, & Medici; ſi enim hi id ſcirent, tum id auferrent citius, quam Patientibus fieri inciperet moleſtum. Locos affectos à febrili vel Epileptico vapore aut humore, nominibus deſignare ſciunt Medici; ſentiunt ægri, quamvis nominare neſciant. Qui plura neſciunt, vel

*Res omnes in nobis.*

*Morborum ſeminaria nobis inſunt.*

ſcire non cupiũt, quàm ea quæ in ſcholis, vel ex libris acquiri poſſunt; illi etiam literatiſſimi ad judicandum de morborum cauſis non ſunt idonei; ſed ſicuti ipſi ignari ſunt, ita & alios fallunt. Mera intemperies vel exceſſus hujus vel illius qualitatis elementaris, cauſa nõ eſt febrilis paroxyſmi, ſed comes & index; idem & de aliis morboſis affectibus eſt judicandum. Modicum fermenti, magnam maſſam inficit ſui ſaporis contagio: Granum Croci integram libram aquæ tingit ſuo colore; Ita unicum granum antimonii, arſenici, vel alterius corporeitatis mineralis integri corporis humani molem proſternit, & ſenſu, & motu, & vitâ quandoque orbat, unico momento; Tantam vim habet & bilis ſæpè; & alius aliquis vapor vel humor ex ſanguinea maſſa generatus. Ideò & ab atomis, vel minimis quibusque particulis, quoad pondus, periclitatur ſemper & ubique quivis homo; æquè ac extra à violentiſſimis quibusque & extremè ſenſibilibus corporeitatibus; imò plùs ab illis, quàm ab his. Metallici enim,

*Contagium quid.*

nim, & Minerales ſpiritus, vel ſpirituum virtutes ſunt extremæ activitatis; ideò Deus qui numeravit omnia, cuilibet numero legem conſtituit ordinis certi cuſtodem; ut unum alteri eſſet ſubſidio, vel ad motum, vel ad quietem; atque ſic ut omnia juſtis temporibus & locis tum moverentur, tum quieſcerent, tum ad motum ex quiete; tum ad quietem ex motu peregrinarentur, circulari reciprocatione. Turpe eſt nobis hominibus, maximè autem Medicis ignorare eam rerum ſubordinationem in aſcenſu & deſcenſu; Turpius ad occultas qualitates confugere illis, qui ſe omnia ſcire jactant, quia omnia judicare volunt; & quæ palato eorum non ſapiunt, reprobare; ideò ſaltem quod ipſis ignota ſint. *Ignorantia turpitudo.*

---

## Caput IV.

### *De Sanguinis officina, ſive ejus Generationis Ubi.*

Quod Sanguinis propriè ſic dicti humoris author, ſolus ſit animalis ſpiritus, vel anima carnis; id jam de-

monſtravimus; ſupereſt ut in officinam ejus, vel Generationis Locum inquiramus. Quia autem hic aliam quàm in Scholis de hac materia hauſimus opinionem, ſumus inculcaturi, Lectoribus; ideò nos ob novitatem non reprobabunt, qui ingenui ſunt & candidi; ſed rationes noſtras ponderabunt, & cum vulgaribus conferent, exq; mutuo collatis, eas quæ cuique placebunt, amplectitur. Quicunque Medici absq; ratione quæ moliuntur, illi ab Empiricis nihil differunt niſi ſolo nomine. Omnia Animalia, feræ, beſtiæ, pecudes, volucres, piſces & viliſſima quæque inſecta, ſentiendi virtutem habent, ſed tamen non omnia ſanguineum corpus; quamvis ſanguis extra animale corpus reperiatur nullibi; atque inde liquet, animam animalem vel ſenſitivam, non tantum habere ſcientiam generandi ſanguinis, ſed etiam inſtrumentorum ad actum ſenſationis inſervientium, Cerebri & Nervorum ſubſtantia, in corpore humano omninò exſanguis eſt; Ita & extra Venas, Arteriasq; & earum propagi-

pagines capillares, nulli conſpicitur ſanguis; Dum autem extra vaſa ſua prolabitur, tum moritur, mutatque ſenſim cum forma nomen, cruorq; dicitur, donec omninò in pus mutetur. Igitur non erit temerariũ inquirere, *Quodnam ſit præcipuum vel primarium generationis ſanguinis Ubi?* Ex comuni Scholaſticorum Medicorum ſententia, authoritate antiquiſſimorũ Medicorum, Hippocratis, Galeni, Avicennæ, &c. confirmatâ; Hepati ſoli ea prærogativa in corpore humano attribuitur; Sunt tamen multi quoque Medicorum recentium, quî ab hac communi opinione diſſident; ſive, qui non ſoli Hepati, ſed & Cordi & Carni eam adjudicant. Prævalet tamen cæteris ſola illa, quæ chylum in Venis Meſaraicis, vel Meſenterii primùm ſanguineſcere aſſerit; indeque ad hepar, non quidem extra Venas in ejus parenchyma ferri, ſed in Venis recondi, in Venæ autem, Portæ dictæ, radicibus ſanguificationem plenariè abſolvi; quæ Venæ tamen ab hepatis parenchymate foventur; atque hinc toti corpori per

*Sanguis extra vaſa mortuus eſt.*

*Generationis Sanguinis Ubi.*

Venas & Arterias communicari, &c. Nos quidē Authoritate Antiquitatis & Scholarum nihil detractum volumus; sed pro nobis tantum & pro certioratione cognitionis nostræ, hic laborabimus; Per rationes Philosophicas & sententiam communem, & nostram, de Loco vel sanguificationis Ubi examinabimus; & quam nostro judicio veritati affiniorem agnoverimus, tuæ quoq; censuræ exponemus Christiane Lector. Ita quidem est, quod ad oculum, manuali demonstratione confirmari possit, continuatio vasorum, vel orificiorum Pylori cum intestinis; & Venarum Mesaraicarum ad intestina ab Hepate propendentium. Verum quoq; est, quod dissecto cadavere, intùs in Venis mesaraicis oculariter deprehendatur humor aut succus quidam albescens, vel livescens, in parte earum deorsum propendente, versus intestinum jejunum; à parte autem superiori hepati insertâ, sanguini. Verùm in sensuum testimonio simpliciter conquiescendum non est, sed Ratio quoque est consulenda;
quo-

quoniam actus generationis occultior est in fieri, quàm ut sensu indagari possit; quamvis absolutus admittat in censuram sui sensum. Tamen ex communi Anatomicorum ratione, vel oculari demonstratione nequaquam controversia hæc de Sanguificationis Ubi, omnibus scrupulis liberari potest. *Unde probabunt Anatomici sensibilem esse processum materiarum cibulentarum & potulentarum ex stomacho ad Hepar?* Ex situ earum non; nam tum sequeretur ductum biliarium æque ex intestino jejuno bilem sugere, sicuti alias Venas, humorem in sanguinem convertendum; Quod si verò ductus ille bilem ad intestina defert, ex sanguine secretam, in vesicam bilis, uti ipsimet fatentur? tum idem est officium venarum quoque aliarum mesaraicarum, ex hepate ad intestina propendentium; aut per infallibiles rationes demonstrari oportet, quare officia aliarum Venarum consistant in trahendo sursum; sed solius bilis in ferendo deorsum? Vel quod

*Generatio in Fieri & Facta discrepat.*

*Bilis & aliorum humorum generatio.*

Mesaraicæ Venæ sanguificantem vim habeant; cum tamen unicus ductus biliarius eâ sit destitutus. *Quod pars succi in Venis Mesaraicis contenti versus hepar vergens rubeat magis; versus autem intestina livescat*; Nec id probat succum à parte superiori sanguinescere; verum quòd sensim desinat esse quod fuit, & incipiat fieri quod non fuit; Sanguineus enim adhuc fuit egrediens, vel primùm egressus; post autem livescit, donec omninò in intestina communia prolabatur, & aliis stercoribus permisceatur. Notissimum enim est, multos infantes, qui aliquandiu biliosa cacarunt, mox purulenta, cruenta, imò sanguinem purum cacare; quod symptoma in illa ætate, non ex intestinorum exulceratione, vel fissione aut ruptura & erosione venarum, vel alicujus interni apostematis, oritur; sed ex ipsius sanguinis veri & synceri per venas mesenterii ad intestina prolapsu; uti mox probabimus. Si rubedo illa in contentis venarum mesenterii à parte ejus superiori apparens, certum est argumen-

gumentum ſanguificationis illic fieri incipientis; tum eodem argumento probari poſſit, ſanguificationem ab unguibus manuum & pedum in homine, vel ab Epidermide; aut à cornibus & ungulis beſtiarum incipere in beſtiis: nam hæc à parte unâ, quâ videlicet carnem contingunt, rubent; quamvis non ab alterâ, quæ eſt extrinſeca. Conſulamus omnes motus fermentativos ſuccorum recens expreſſorum; & deprehendemus, partes excrementitias aliquandiu à ſucco in vaſe fermentationem patiente ſecretas, omninò ab ejus ſubſtantia ſignaturis diſſidere, quæ autem in egreſſu ſunt, vel vix egreſſæ, ei ſimiliores. Tali modo fit & ſanguinis mutatio in Venis meſaraicis, quæ ſunt venarum ſanguinem continentium emunctoria; uti mox probabimus. Nam pars excrementi ſanguinei, poſt in pus, pituitam, vel aliam aliquam formam deſitura, primùm rubet, recenter egreſſa. Ita ſanguis ipſe ex venis prolapſus, in principio rubet, ſed ſenſim liveſcit, donec omninò in pus vel ſaniem convertatur; nec

*Venæ meſaraicæ emunctoria ſunt Sanguinis.*

nec fœtet à principio, ſed poſtquam diutius alicubi hæſerit. Ideò verius eſt ſentire de venis meſaraicis, quòd eorum officium ſit, excrementa ſanguinis ex venis totius corporis eò depoſita, deferre ad inteſtina; non autem ſuccum nutritivum ad hepar ex inteſtinis gracilioribus attractum, ablegare. *Sanguificationis autem, ubi, eſſe arterias & venas, vaſa ſanguinem continentia,* hæc enim vaſa nervis ſunt vicina, & quicquid in eis continetur humoroſi, id totum in ea ex nervis derivatur, inſenſibili tranſpiratione; atque ſenſim in ſanguinem deſinit, vel commutatur. Nutritio enim animalis non incipit à ſanguificatione, ſed à ſpirituum famelicorum & ſitientium ſaturatione, ultimus eſt actus ſpiritus animalis carnificatio; nec à ſanguificatione incipit nutritio ſpirituum, ſed his ſaturatis ſuccedit; Nam ſi per biduum vel triduum perpeſsâ fame & ſiti animal omninò debilitetur, ita ut ad labores tolerandos fit inhabile; tamen vix deglutita cibi & potus juſtâ quantitate, quæ ſcilicet quietandis ſpirituum

*Sanguinis generationis Ubi ſunt Arteriæ & Venæ.*

*Nutritio ſpirituum primus actus: Carnificatio ultimus, Sanguificatio medius.*

ituum desideriis sufficit, revertuntur spiritus ad officia, & quamvis nec pinguedo, nec caro nata sit; tamen animal idoneum fit ad labores pristinos; Exemplo est ille Amalecitæ servus Ægyptius 1. Sam. 30. 12. 13. Sanguificatio est utilis in homine non ad vitam spiritus, sed carnis. Sed hæc alibi ex professo latius explicabimus; hic saltem ea breviter monuisse sufficiat, quantum scilicet ad rem præsentem facit. Videmus etiam sæpè syncerum cacari, vomi, & mingi sanguinem. Sed nunquam aliquid ex chylo aut chymo, cum sanguine ex vena incisa prorumpere; quod tamen fieri oporteret in subjectis illis quorum hepar virtute sanguifica destituitur; ex vulgi opinione. Quod si verò inquiat quis, hæc tanti momenti non esse, ut eorum seriori scrutinio occupemur, quoniam illi qui hactenus hepati sanguificationem attribuerunt, æquè feliciter medicam praxin exercuerunt, ac illi qui eam vel ignorarunt omninò; vel de ea aliter senserunt quám communia vel scholastica dogmata sonant.

Ita

Ita quidem eſt, ſi rem ab eventu judicare æquè juſtum ſit, ac à cauſis. Nullum eſt diſcrimen fatuorum & prudentum in illis quæ merè ſunt naturalia, & nobis in ſuis ſuos inchoant & determinant actus. Nam nemo poteſt per ſapientiam ſuam apponere ſtaturæ ſuæ cubitum unum, inquit Salvator; attamen ſapiens multa prævidet futura, ſuo magno commodo, & eorum qui ejus conſilium ſequuntur; ſed fatui ex improviſo obruuntur à malis. Sanguiſicatio eſt actus perpetuus ſpiritus animalis, vel animæ carnis illius, cujus vita ſanguis eſt; Quousq; ſcilicet eſt aliquod animæ cum corpore hoc terreſtri, vel corporis cum anima ſanguificante, commercium reciprocum. *Nam quousq; anima carnis non deſinit carnificare, nec etiam deſinit ſanguificare*; citiùs autem ceſſat ab illo quàm ab hoc actu; Nam actus ſanguificationis præcedit actum carnificationis; ſed utrumque actus nutritionis vel ſaturationis ſpirituum; ſanguificatio non fit niſi primùm ſaturatis ſpiritibus; vel refectis à vaporibus cibulentorum

& po-

& potulentorum; huic proxima est sanguificatio; Ultima carnificatio. Sanguis est prior carne, sed anima sanguine: multi fuerunt homines, si historiis credendum est, qui non saltem per plures dies, hebdomadas, menses sed & annos, nihil gustarunt cibulenti, nihil potulenti; tamen non fuit omninò exsangue corpus eorum; Respirabant mingebant, cacabant æquè ac alii, quamvis nec adeò frequenter, nec adeò copiosè; unde quæso illi sanguinis rapiebant materiam; vel quid ex intestino sugebant in illis, venæ mesaraicæ; Nullum chymum, nullum chylum; quia stomachus nihil extrinsecus accepit, igitur nihil quoquè hepati subministrare potuit; sed unde in illis urina? unde alvi fæces? unde ungues? unde pili? hi enim æquè prominebant eis ac aliis hominibus, largius edentibus & bibentibus: Omnia quidem ex sanguine nascuntur in corpore membra; sanguis autem primùm; sed unde sanguis & ubi primum? unde bilis, pituita, urina, ichor? si hæc ex sanguine? certè nec sanguis à se ipso

*Sanguis prior carne; Anima sanguine.*

vel ex ſe ipſo multiplicatur, ſed certam habet & ille materiam ex qua fit; ſi non per os aſſumptam, tamen per inſpirationem cum aëre hauſtam. Nam ſi aër poteſt materiam ſuppeditare pluviæ, nivi, tonitrui, fulmini, &c. extra nos; quare non & ſanguini in nobis? quamvis id non fiat quotidiè, & in omnibus individuis ordinariò; citiùs ex cibis & potibus fiunt vapores quàm humores; Citius inebriatur homo potu inebriãte, quàm vapor ejus in ſanguinem, vel carnem, vel ſtercus, vel urinam commutetur.

*Vapores humoribus priores.*

Humorũ autem jam actu generatorum diverſus quoque eſt motus, quàm ſub vaporoſa adhuc conſiſtentia hærentium; Nam vapores non ſic moventur uti humores; horum motus eſt tardior gravior; illorum vehementior & ſubtilior. Vapores prius generantur quàm humores, quamvis & humores in vapores diſſolvi poſſint; Quæ enim ſpiritibus, vel inſenſibilibus eſſentiis ſunt maximè affinia, vel proximè conformia; illa in proceſſu generationis præcedũt; Corporeitates graves & ſolidæ, ultimæ ſunt;

ſunt; nam confluxus aquarum genuit terram; & generat quotidiè; confluxus autem vaporum producit aquas & humores fluxiles omnes. Ita vapores nutritivi ex cibulentis & potulentis materiis halantes intus in nobis; vel contagioſi cum aëre extrinſecus attracti per inſpirationem, cum ſpiritibus animalibus vel vitalibus junguntur primùm; reliqua eorum portio, poſt ſaturationem ſpirituum reſidua, ex nervis, ad arterias usque & venas penetrat, illicq; in ſanguinem mutatur vel humorem, in carnem convertibilem; hujus quoque portiò in excrementa deſinit & intùs, & extrà. Sperma in utroq; ſexu ultimũ eſt, quod ex ſanguine generatur, inter omnia ex ſanguine generabilia; atq; huic ſe inſinuat anima carnis illius individui cujus ſperma eſt. Dum verò ſperma ex loco generationis ſuæ egreſſum, & ſecundùm legem fati, cum ſocio copulatum fuerit, in loco ei convenienti, tum non ab hepate incipit ſanguificatio, ſed à ſanguine ipſa hepatis omniumq; aliorum membrorum ſtructura; Hepar o- *Sanguis in ſpermate undè.*

mnibus numeris absolutum, est venarum centrum, in quod per radices ei infixas, venæ omnes se suis excrementis exonerant; quæ excrementis ventriculi permista, unâ cum illis per monoculum egrediuntur, ordinario. Atque hoc est quotidianum & continuum hepatis in homine benè habente officium, venarumq; mesaraicarum inde ad intestina propendentium; quod fit in infante adhuc in utero hærente. A quibus autem causis fit generatio sanguinis in utero adhuc existente fœtu, in ejus venis & arteriis; ab iisdem fit sanguificatio & in lucem edito; quamvis fœtus in lucem egressus, non per umbilicalia vasa, sive ex sanguinis alieni vaporibus nutriatur; sed ex vaporibus cibulentarum & potulentarum materiarum, per os receptarum. In spermatis corpore homogeneo occultatur forma vel anima novi individui author; sed in sanguine, non nisi materialia principia membrorum carnalium & ossium; quæ in sanguineo chaos primùm tantum sunt merus vapor, sensim humor, ichor, synovia;

*Hepatis officium.*

via; ultimò caro & os. Hepatis autem parenchyma,nō ſanguificationis actui, ſed radicibus venarum excipiendis; uti cor arteriarum,dicatum eſt; ex his fuligines vel vapores ſuperflui per reſpirationem exſpirant; ex illis humores & vapores excrementitii ad inteſtina prolabuntur. Animæ carnis proprium eſt, ſanguificare primùm, in vaſis ſanguini continendo deſtinatis, venis ſcilicet & arteriis,earumque propaginibus. In excrementitiis autem humoribus & vaporibus,nulla eſt reſidua animæ carnis virtus; ſed quodlibet excrementum ſuum peculiarem motorem habet, illius naturæ conſortem ſpeciei, ex qua ſurrexit in corpus animale tranſplantatum; Si ex animali,animalem; vegetabilem autem,aut Mineralem vel Elementalem; ſi aliūde. Parenchyma hepatis eſt æquè caro ac muſculus,pulmo,ren, lingua; ſi hæc ſanguificandi virtutem habent; habet & hepar; vel ſi hepar habet, habent & membra alia. Generatio ſanguinis eſt motus naturalis omninò,non voluntarius; Nec in cibi aut potus virtute

*Sanguificatio propria eſt animæ carnis.*

*Generatio Sanguinis motus non eſt voluntarius.*

tute id ſitum eſt, quantus, vel qualis fiat inde ſanguis; ſed in ſolius animæ cujusq; carnis individuali ſeminali ratione; quæ ſicuti affectus moderatur, ita & omnes effectus in corpore ſenſibiles; ipſa ſemper inſenſibilis permanẽs; Ideò non conducunt omnia omnibus, ſed ſicuti eſt delectus in appetitibus & diverſitas; ita quoque eſt diverſitas in actu ſanguificationis & carnificationis. In hepate, vel in venis meſenterii ex hepate verſus inteſtina propendẽtibus, ſtercorum fit ſanguineorum coacervatio & ejectio; quod ductus biliarius ad oculum demonſtrat; Nullum itaque corporis membrum eſt officina ſanguinis, vel ejus generationis Ubi, ſed omnia indifferenter fructus; ſolæ venæ & arteriæ per univerſum corpus diſperſæ eo nomine prærogant membris omnibus; Vapores autem vel materiæ ex quibus conſit ſanguis in vaſis ſuis, non ex ſtomacho ſenſibiliter versùs venas procedit, ſecundùm ſenſum cõmunium ſcholaſticorum dogmatum; ſub ſpecie chyli vel chymi. Sed ex nervis in arterias & venas

venas insensibili modo penetrat, illic sensibilem nacturus substantiam; nam spirituales sunt substantiæ illæ, quæ cum spiritibus animalibus conjunguntur in primo statim concursu: Sive non nux est, vel nucis corpus, quod sanguis fit; sed nucis seminalis spiritus, qui habet scientiam fabricandi arborem extra nos, materialiter inservit spiritui animali, in œconomiam ejus receptus; & quamvis aliquandiu quiescat à suis virtutibus; nequaquam tamen eas deperdit, sed recuperat iterum in terram redux aliquanto post tempore.

*Spirituale est id, quod in Sanguinem fit.*

---

## CAPUT V.

### *De Excrementis Sanguinis.*

SAnguis ex vaporibus humor, & ex insensibili specie sensibilis factus in Venis & arteriis, illicq; sub nomine & forma sanguinis contentus, in continuo est motu, quousq; vel caro fiat iterum, vel stercus, bilis, urina, pituita, &c. Motus autem Sanguinis arteriosi & venosi, non

*Motus Sanguinis quid.*

non est localis, rectus, vel circularis; sed qualis est motus musti, vel alterius alicujus succi per artem facti in vase suo; talis quoque est motus sanguinis utrinque & in Venis & in Arteriis; quamvis hujus sit manifestior, illius autem occultior; quia illic est vehementior, hic autem remissior. Nam sicuti mustum prius limpidum, mox crassescit, & quæ prius in eo occultabantur, ex se secernit, vel per orificium vasis superius expulsa, vel ad fundum præcipitata; Sic movetur & sanguis; Nam humor factus rubicundus, non manet diu talis, qui vel qualis fuit; sed ex humore iterum novam accipiat formam, posteriorem priori dissimilem; sive alibi in carnem desinit; alibi in unguem, alibi in pilum, in lac, in urinam, in bilem, in pus, in pituitam, phlegma, &c. Ideò sanguinis excrementa & formis & nominibus discrepant; alia sunt vaporosa, alia humorosa; alia iterum solidiora, alia subtiliora; iterum variis coloribus, saporibus, odoribus invicem dissidentia; quæ omnia variant pro diversitate locorum, temporum, af-

fectuum, ciborum, potuum, aliarum deniq; externarum occasionum. Hæc tamen in sanguine fieri non sentimus citius quàm facta sint, & ex eo ad ejus emunctoria excreta, vel in carnem commutata, & ex communibus motus ejus ordinarii vasis prolapsa. Continua est sanguinis ex non sanguine generatio; sive ex vaporibus subtilissimis & volatilibus, uti eos Spagyri nominare consueverunt, fit sensim humor, vel massa quædam homogenea, saturationem spirituum subsequens; Sanguificationem enim præcedit nutritio vel saturatio spirituum; hanc excipit sanguificatio; Sanguificatio iterum est origo plurium mutationum; Carnificationis scilicet, & excrementorum secretionis; per divisionem levium à gravibus, horum ex massa sanguinea expulsionem, illorum ad extremitates venarum præcipitationem vel repercussionem. Quousq; vivit animal, eousq; & humores & vapores in eo nec generari cessant, nec corrumpi; sed continua est sensibilium expulsio; insensibilium autem in formam

*In Sanguine fieri nulla sentimus, sed facta.*

*Continua generatio fit & corruptio.*

mam ſenſibilem ſucceſſio; Ideò famis vel ſitis, reſpirationis in & exſpirationis, eſt continua reciprocatio; cujus ſyſtole & diaſtole cordis, arteriarumq; pulſus, index eſt & ſignum extrinſecum; Sicuti autem ſanguis non manet ſemper ſub titulo & forma ſanguinis, ſed mox fit ex ſanguine non ſanguis, ſicuti prius ex non ſanguine ſanguis factus eſt; Talis eſt quoque ratio & vaporum, & humorum omnium in nobis contentorum. Nec ſunt voluntarii motus illi in nobis fientes, ſed neceſſarii; & affectibus concupiſcentiæ ſcilicet, cognitioni & virtuti animæ carnis imperantes, & quaſi leges agendorum præſcribentes; nam nolentibus & volentibus nobis, furit famis & ſitis vehementia; ſive edendi & bibendi, dormiendi & vigilandi, cacandi, mingendi, dolendi neceſſitas. Nemo eſt viventium hic liber ab omnibus his impetibus; Bruta eis ne opponere ſe quidem poſſunt; homines nos poſſumus quidem, non omnes tamen, ſed aliqui ſaltem noſtrum; Qui autem illâ libertate pollent, ſpirituales dicuntur;

*Sanguis fit non ſanguis.*

*Animalium & ſpiritualium homi-*

Qui eis obediunt, obedire amant, & resistere omninò nequeunt; Animales nominantur & carnales homines, vel filii hujus mundi: sed de his alibi. Impetib⁹ illis fatalibus, necessitativis & dolorificis, adnumerantur quoque motus alii, qui omninò nobis insciis fiunt, sine omnis passionis sensu; quales sunt carnificatio, sanguificatio, accretio, stercorizatio, membrorum deperditio; hi, & similes motus, in nobis fiunt sine nobis; nec eos impedire possumus, nec promovere nostrâ prudentiâ. Nulla est lex externa his opposita, sed quælibet seminalis ratio suo proprio fato urgetur, vel ad motum vel ad quietem. Animal quodquè peculiari sapore, odore, colore conditam habet carnem, vellera, excremẽta; ita & quodlibet membrum corporis animalis, hujus nostri, quamvis plura iisdem vescantur cibis, eodemque potus genere potentur; nam quodlibet membrum peculiarem architectum habet suæ substantiæ, si non specie, tamen individuo, & gradu ab alio differentem. Anima autem hominis & carnis,

*nam discrimen.*

carnis, ordine differunt; nam hæc illi est materialiter subordinata; Illa autem huic dominatur; Humanus autem spiritus ab humano non dissidet specie, sed officiorum saltem discrepantia. Brutum à bruto & specie dissidet, & affectibus peculiaribus. Spiritus nullus ex se ipso aliquid generari potest, quia non nisi pura puta forma est, in suo proprio Esse consideratus; Igitur omnis in actu generationis alterius est indigus subsidio, ad determinationem virtutum, & quietationem concupiscentiarũ intrinsecarum. Talis est cõditio spirituum terrestrium omnium, ab humanæ carnis ad metallicum usque. Illud autem, quod alteri materialiter subservire destinatũ est, ex inferiori est ordine; quæ unius ordinis sunt, sibi mutuò materialiter subservire nequeũt, sine detrimẽto speciei suæ. Ideò spiritus humanus propriè sic dict⁹, inter terrestres nõ numeratur, ratione originis suæ; nec est alicui materialiter subjectus ex terrestribus, sed omnes ipsi; Inter spiritus autem materiales, summus est animalis, animalium

*Anima hominis & carnis discrimen.*

*Spiritus pura puta forma est.*

astutissimorum; Infimus metallicus; atquè hi inter se reciprocant officia, ita ut alter alteri & serviat, & dominetur per intervalla, temporanea & localia; Et sicut omnes animales corporeitates ex terrestribus principiis formantur; ita & in terram redeunt omnes nomen & formam animalem exuentes. Animales rationes, humano spiritui sunt proximæ; animalibus vegetabiles; His meteoricæ; meteoricis, metallicales; metallicæ sunt infimæ, & subjectæ omnibus. Humani spiritus absoluti â communione terrestrium principiorum; nec sitiunt, nec esuriunt amplius terrestria; nec etiam multiplicantur, aut afficiuntur â terrestribus passivè; sicuti hic fieri solebat. Quæ ex metallicis ordinibus ascendunt, mineralibus aliquandiu subservitura; prævia quadam præparatione opus habent; quæ fit meteorizatione corporeitatum metallicarum & mineralium, sub vaporosâ & humorosâ specie in aquis & aëre, ejusque locis terræ proximis; Ita & ea, quæ infernè in nos derivantur, citiùs quam

*Humani spiritus liberi â corpore Animali, nec esuriunt, nec sitiunt.*

quàm formam corporeitatis nostræ induere possint, suis antiquis signaturis omninò spoliantur; nam nisi hoc fieret; omninò inidonea essent ad colendam nobiscum & aliis familiaritatem; Quod ut citiùs fieret & sine omni molestia nostrâ, ideò utimur igne & aquâ, ad determinandum opus destructionis hujus mundi corporeitatum. Hinc tanta varietas elixationum, assationum, tostionum, frixionum, calcinationum destillationum, sublimationum, condimentorum artificialium; taceo digestiones, fermentationes varias quæ intùs in nobis fiunt, donec omni numero absolutæ fuerint omnes seminalium rationum intensiones. Non autem pro mortuo omninò, vel spiritu omni destituto judicandum est id quod intùs à nobis assumitur, sub titulo cibi & potus; Nam suo vitali & seminali spiritu præditum est omne esculentum & potulentum genus; qui spiritus extra corpus proprium, vel quiescit omninò, vel servilia obit munia in peregrino; tamen ad suo

*Non est mortua omninò cibi & potus substantia.*

ad suo ordini congrua tandem redit officia, tardiùs vel ocyùs; ideò alia animalia aliis sunt vivaciora & longæviora; multa homine quoquè ipso: non quidem in consideratione vitæ ejus humanæ, sed animalis tantùm. Mors enim cujusque ordinis, est impeditio, vel frustratio conatuum spirituum ejus seminalium; sive denegatio officii superioribus ab inferioribus ordinibus facta. Ideò donec animales affectus prævalent humanis, in hoc corpore; tum homines quoquè sunt animales; nam à potiori fit denominatio cujusque & virtutis & vitii, in aliquo subjecto prædominantis. Dum animales concupiscentiæ, cognitiones, virtutes prævalent nobis in nobis; tum nos præter nomen & formam externam, nihil habemus intus humani; sed animales uti sumus, ita & vocamur. Dum autem animalibus in animalibus prævalent virtutes vegetabilium, mineralium, metallorum, meteororum; tum animalia cæca, muta, surda, tristia sunt, vel omninò ægra; ita & homines, donec hic in hoc corpore ani-

*Animales dicuntur ob affectus tales in eis prædominantes.*

re animali vivunt, à ſpiritibus prædictis in omnem miſeriam trahuntur, urgentur, irritantur, coguntur. Quæ enim ſubſtantiæ ſuis alicubi orbantur corporeitatibus, quocunque modo id fiat, fermentatione, digeſtione, calcinatione, putrefactione, non privantur ſuis ſeminalibus rationibus, ſed hæ ſaltem aut ligantur fortius, aut relaxantur ocyus, ita ut vel vehementius moveantur in alieno corpore, aut tardius; interim, ocioſa potius, quàm mortua; Quieſcentibus autem inferioribus alicubi, tum ſuperiora felicius operantur; vel inferiora, quieſcentibus excelſis; Atq; talis reciprocatio ſeminalium rationum in ſublunaribus ſcenis continuat ſemper & ubiquè in omnibus ſpeciebus ſpecierumque individuis; omnis autem mutatio terminatur ab una extremitate in humani corporis ſtructura; ab altera autem in auro: hujus enim principia ita unita ſunt, ut ea ignis etiam vehemẽtiſſimus diſſolvere nequeat; humani autem corporis materias leviſſimus quiſque vapor diſſipare poteſt, nulla

nullâ extrinſecus ſenſibilis violentiâ. Vapores tàm ſunt vincula corporeitatum omnium entium; per vapores ſpiritus inſenſibiles ſenſibilibus alligantur corporibus, vel corpora ſpiritibus. *Vapores ſpirituum cum corporibus vincula.* Ut autem vapores animalium vegetabiliumque ſubſtantiarum, noſtris evadant ſpiritibus obſequentiores, atquè affiniores, id officii eſt demandatum omnibus individuis ſpecierum inferiorum; Et quod ſpiritus ſeminales inferiorum perficere nequeunt, id abſolvit & terminat omninò ignis, vel ars coquinaria ignis adminiculo, nam ignis æſtus, ejusq; virtus, corpora omnia excepto auro atterit, comminuit, atquè omni virtute ſpoliat. Idem agit quoquè ſtomachus, vel virtus animæ carnis in ſtomacho, vel perficit intùs, quod inchoavit ars extra; Et corporeitates cibulentorum potulētorumq; ſic debilitat, ut amplius tenere non poſſint ſuis vinculis, ligatas virtutes eorum ſeminales, quæ vaporosâ ſpecie ad primas nutritionis officinas, nempe nervorum fontem, ſublimantur; atque ſpiritibus

animalibus junguntur, qui eas porrò insensibili specie per universam corporis œconomiam dispergunt, arteriis, venisquè, carni & ossibus, imò & ossium medullis communicat; *Ideó primus effectus vel utilitas esionis & bibitionis est quietatio famis & sitis; sive spirituum animalium, vitalium, vel quocunque nomine, eos quis appellare volet, saturatio & refectio.* Ultima est carnis hic aut illic deperditæ restauratio, vel saginatio, & pinguefactio quæ fit mediante sanguificatione. Quilibet autem actus Animæ habet suos fructus, sua excrementa; hæc iterum vel sunt sui corporis munimẽta vel nocumenta; Quæ munimenta sunt, ut ungues, epidermis, pili, &c. ea ab unâ parte cum sanguine, & sic per consequens cum anima carnis, vitali sui corporis principio communicant; ab altera minimè, ideò & sensu, & vita destituuntur. Nocumenta autem sunt vel vapores, vel humores illi, qui primùm solo pondere gravant spiritus, mox aliis quoque signaturis eum molestatura, nisi ex sanguineis vasis excernan-

*Primus effectus cibi & potus in corpore.*

*Ultimus eorum effectus.*

nantur, ad eorum emunctoria interiora; vel ad extremitates eorum præcipitentur; sub quiete suo corpori profutura; Talia sunt ungues in homine; Ungulæ in bestiis. Ecce quantos labores exigit confectio zythi vel cerevisiæ & quotuplices, citius quàm fiat potus inebrians, & spiritus animalibus nutriendis idoneus. Et quotuplicia inde excernantur? Postquam autem ars omnia sua absolvit in liquore illo, tum ipsæ virtutes zythi suas quoque demonstrant conatus per digestionem & fermentationem zythi, ad totius defæcationem. Paria quoque molitur ars & natura extra nos & in nobis, in cibulentorum & potulentorum materiarum pręparatione, donec & spiritibus alendis, & saginando corpori ejusque membris, fiant idoneæ: Primum in stomacho eas digerit & subtilissimos vapores, in quibus seminales rationes occultantur, ad cerebrum, quod est nervorum origo, ablegat vel sublimat, atque per eos famis & sitis desideria sedat; Saturatis vel satiatis spiritibus, toti corpori quoq; pro-

*Ars naturæ adjutrix.*

videt, & ex portione vaporum spiritus nutritivorum, sanguinem conficit, alium in arteriis, alium in venis; Illic vaporosum, hic humorosum magis; hunc iterum alibi leviorem, alibi graviorem reddit, ubique tamen pro diversitate membrorum valde utilem. Vapores iterum inter se valdè discrepant, nam alii aliis sunt subtiliores; quidam per meatus insensibiles exspirant; aliqui per cordis, pulmonis, asperæq; arteriæ canales sensibiliter evacuantur; Alii intùs crassescunt, & in humores varios desinunt, sive pituitæ, bilis omnis generis, urinæ aliorumque humorum & excrementorum suscipiunt formas. Nervi vaporibus solis sunt pervii, iisque subtilissimis, & ut vocant Chymici volatilissimis, spiritibus maximè affinibus; Ideò nulla est metuenda eorum obstructio; sed à constipatione & syderatione periclitantur. Concavi enim cum non sint, sed medullares intùs; igitur nec sunt humoribus pervii, multò minus crassioribus materiis à quibus oritur obstructio. Vapores autem minerales & metalli-

*Sanguinis differentia.*

*Vaporum differentia.*

[illegible]

tallici, quos communiter venenatos & malignos nominamus, ob extremam quâ pollent virtutum eorum materialium divisibilitatem; non saltem constipant, sed sæpè & sphazelizant eorum substantiam; æquè, imò fortius & violentius quàm humores id faciunt in arteriis, eorumque emunctoris prognati. *Sunt itaq; excrementa in corpore humano varia, alia nervorum, alia arteriarum, alia venarum; Alia vaporosa tantum, alia humorosa, alia mista, alia omninò solida, viscosa & crassa. Alia cerebri, alia sanguinis, alia ventriculi; Alia venarum superiorum, alia inferiorum.* Nubeculæ oculorum, revera vapores sunt non humores; Ita & illi qui tinnitum causantur in auribus; Sed hoc necessarium est nosse de omnibus excrementitiis materiis & vaporosis scilicet & humorosis; quod aliæ scilicet surgant ex materiis nutritivis, citius quàm fuissent sanguis; Aliæ autem ex excrementis vel fæcibus sanguineis, quæ aliquandiu hæserunt in extremitatibus venarum quietæ, sed tandem per occasio-

*Excrementorum varietas.*

nem putrefactionis, vel vehementioris animi perturbationis, aut violenti medicamenti purgantis, iterum sanguineæ massæ permiscentur. Sed de his alibi in hoc tractatu agemus. Ita quoque coagulantur sæpè vapores cerebri in humores; unde variæ & molestæ fiunt destillationes; Sæpè humores excrementitii in vapores abeunt; atque sub ea forma molestiores existunt, quàm fuerant sub humorosa; Talisq; eorum mutatio secunda in corpore, est priori pejor, & valdè noxia aut periculosa. Nervorum, Arteriarum, Venarum excrementa vaporosa & humorosa, sunt multa & varia. Quæ nervorum sunt propria? ea quia solumodo vaporosa sunt, ideò per insensibilem transpirationem evacuantur, & sicuti vapores tales subtiliores sunt quàm ut possent ad oculum demonstrari; ità similes habent quoq; meatus; Quæ ex Venis & arteriis excernuntur, ea sunt quidem vaporosa æquè ac humorosa, tamen crassiora, quàm quæ nervos penetrant; ideò per manifestos quoque ductus ex corpore excernun-

nuntur: sive per arteriarum & venarum emunctoria. Sed excrementa arteriosi sanguinis utplurimum vaporosa sunt; dicunturq; fuligines per respirationem ejusque instrumenta foras egredientes. Excrementa Venarum, maximè vel ut plurimum sunt humorosa, non adeò vaporosa; quamvis interdum quoq; & vaporosa erumpant cum humorosis. Quia autem venarum sunt rami duplices, alii ascendentes, alii descendentes; inde liquet, quod excrementa quoque ejus varient in pondere & consistentiâ; Nam ex ramis superioribus excernitur bilis omnis generis, melancholicus, phlegmaticusq; humor; Sed ex inferioribus non nisi urina & sanguis sive per ureteres, sive per urinam, sive per venas hæmorrhoides dictas. Ita & sperma non ex ramis venarum trunci Iliaci ascendentibus, sed descendentibus trahit filum, in parte corporis eâ in qua nervi cum Venis conspirant magis, per propagines spinalis medullæ; quæ nihil est aliud quam funis ex multis filamētis nervorum complicatus; Si vaporosa

*Excrementa Arteriarum vaporosa.*

*Venarum humorosa.*

*Rami Venarum superiores & inferiores.*

*Spinalis medulla.*

excrementa copiosius per hepar, vel renes & ureteres impetum faciant, quàm humorosa; tum se certis indiciis produnt, & hic & illic. Nam puncturæ laterum, rugitus intestinorum, imò & colici dolores, aliæ deniq; molestiæ plures, inde nascuntur. Urinæ frequens, sed pauca egressio; stranguria, dysuria, alia denique symptomata valde gravia, quæ citius non cessant quam vapores illi, aut quieverint, vel in humores coagulati fuerint. Plus nocet capiti vapor infernè ascendens, quàm pedibus humor supernè descendens; Gravia enim inferioribus membris sunt magis conformia, sive humorosa potius quàm vaporosa; Vaporosa autem superioribus quàm humorosa, præserrtim capiti & membris ejus; hæc enim subtilissimis tantum gaudent, pondere omni destitutis, & talibus quæ spiritibus sunt maximè affinia. *Non saltem pro diversitate membrorum, sed & ætatum, & sexuum, & annalium menstruorumq; imò nocturnorum & diurnorum, matutinorum vespertinorumq; temporum, vari-*

*ant in nobis tum vapores, tum humores; sive excrementa*; de quibus hic nobis tãtum sermo eſt. Raró naſcitur dentatus infans; ſed ſeptima vel hebdomade, vel menſe, incipiunt apparere dentium rudimenta; ſi non primo ſtatim à partu ſeptenario, tamen ſecundo vel tertio, vel ſeptimo, ultra ſeptimum ſeptenarium rariſſimè procraſtinant. Quandoque autem naſcitur materia in dentes deſitura; tum novi ſentiuntur motus in ſanguine, alii aliis graviores & periculoſiores, certis indiciis vel internis tantum, vel externis etiam ſe prodentes, vel vaporoſi vel humoroſi magis; vel ancipites, atque hi ſunt graviſſimi & periculoſiſſimi. Nam epilepticæ convulſiones, profluvia alvi, membrorum jactationes, inquietudines, immoderati æſtus, &c. affligunt infantes in diebus dentitionis, vel ei proximis; à quibus prius fuerunt, & poſt manent, immunes, finito nempe illo ſanguinis motu. Non generantur pili, dentes, ungues, lac, ſperma cum carne, ſanguine & oſſib⁹; ſed ſeorſim ſingula; unum

*Dentitionis tempora.*

ſuccedit alteri; Ideò variant & ſanguinis excrementa, ſicuti variant ea, quæ inde fiunt; Nunquam quidem ceſſant in nobis generari vapores, humoresq; donec vivimus; nunquam ſanguis, nunquam carnis; ideò nūquam excremēta. Sed alia eſt conſtitutio carnis & oſſiū juvenis, alia ſenioris ſubjecti; Ali⁹ eſt ſapor carnis vitulinæ; alius bovinæ, alius taurinæ, alius galli, ali⁹ caponis; unde liquet variare quoq; & excremēta, pro diverſitate ſignaturarum carnis & oſſium, ex ſignaturis ſaporum, odorū, colorum entium extra nos, de conſtitutione quoq; corporis noſtri, carnium, oſſium, vaporum, humorum, excrementorum; Hîc enim nihil cooperatur ratio: nihil prudentia; ſed ſola Natura bruta; vel anima carnis, hujus animalis corporis architectus. Ideò calculi, podagræ, bubones, ſtrumæ, gibbi, dentes, pili, certis naſcuntur temporibus; Sic & fungoſæ excreſcentiæ, quæ per intervalla oriuntur & occidunt; augentur & minuuntur. Pilis deciduis novi ſuccreſcunt; dentes dentibus; ungues unguibus; ſed non

non membra membris. Quoties autem cunque nova quæ prorumpunt ex sanguine, sive ad integritatem, sive ad ornatum, sive ad alios usus corporis facientia; toties quoquè est in vaporibus, in humoribus, deniquè & in excrementis mutatio ingens, externæ correspondens; posterioraq; dissident à prioribus non saltem numero, sed & gradibus; non saltem temporibus, sed & certis signaturis. Diversitas autem motus sanguinis, non procedit à diversa anima, sed à diversis animæ affectibus, desideriis, scientiis, virtutibus; Nam non saltem sensibilia fiunt secundùm certas leges, locorum, temporum, numerorum ponderum; sed & insensibilia sunt certis legibus alligata, à Creatore; omnisq; mutatio in sensibilibus cōspicua, est implantata cognitioni, desiderio, vel virtuti seminalium rationum; Fatalis itaque lex est, quæ cogit semina tunc & illic talia operari, qualia quando vel ubi fiunt; Humana autem lascivia, videtur multa in apricum trahere, quæ citra eam occasionem occulta & innoxia mansissent;

*Diversitas motus Sanguinis unde?*

*Fatalis lex.*

*Lascivia humana effectus.*

ſiſſent; ſed & illius motus ſatalis eſt; in hominibus illis, qui Animales ſunt, uti dicũtur. Sed de his alibi. Infantes autem nõ movet externa voluptas, ſed interna ſaltem cujusque individui Lex; eaq; ſeminalis; Hæc autem nũquam errat vel nocet ſuo corpori; Illa ſemper aut plurimum; ſi non in ipſo actu, tamen poſt. Nova deſideria ex ſemine erumpentia, novos producunt motus in ſanguine; hi novos excitant & vapores & humores in ejus maſſa, variis tincturis præditos & ſenſus ſtimulantes; quibus anima offenditur, & eos ex Anatomia ſanguinis expellere ſatagit, per extrinſecus efflagitata, intus autem ei deficientia inſtrumenta; Nec quietatur citius quàm acquiſiverit deſiderata, ſed furit eousq;, vel ſui damni noxam, membro imprimit. ideò ſæpè gibboſi, contracti, claudi fiunt infantes, ob defectum à natura efflagitatorum, qui tales non fuiſſent futuri, ſi impetraſſent deſiderata juſto tempore. Sed frequenter admodum vel parentes vel nutrices nocent infantibus non quidem per induſtriam, ſed per im-

*Parentes ſæpè infantibus damnoſi.*

pru-

prudentiam ab eis efflagitata negantes, aut alia substituentes; Infantes enim non peccant sitientes potum, vel esurientes cibum; sed parentes eis ea quæ sitiunt, tunc & in justâ mensurâ denegantes; Non enim voluptas eos stimulat postulare hæc aut illa, sed necessitas ipsis à natura imposita, quæ internis defectibus occursura, talibus indiciis eorum prodit excessum, qualibus mediis eis occurrere vellet si posset. Infantes sitientes vel esurientes vagiunt; sitiunt autem sæpiùs quàm esuriunt; aliter autem quàm per vagitum suos internos defectus innuere nesciunt; Parentes vel nutrices eis toties potum exhibere vel lac recusant, quoties illi vagiendo eum exposcunt; vel quia eorum, vel suum proprium incommodum metuunt; Externâ persuasione decepti, alicujus temerarii, qui sentit frequentem potum vel cibum onerare infantes; Ignari violentiæ interni impetus hujus aut illius desiderii. Qui jejuno stomacho sitiunt, illi jejuno stomacho bibant necesse est; æquè ac illi qui prius

*Sitienti vel esurienti est exhibendum quod vult.*

prius esuriunt; prius quoquè edunt; nam unus idemq; est spiritus qui esurit & qui sitit; corporis sui architectus, cui certius cogniti sunt interni affectus, excessus, vel defectus quàm arti, ex sensibilibus vel externis signis & indiciis, de internis affectibus prudentius vel stolidius judicanti; non enim omnibus ex æquo sapere datum est: sitire autem & esurire sunt affectus bruti, nullis regulis artis obsequiosi. Sitienti potum jubet exhibere ipsa Divina Sapientia; Esurienti, cibum; postulanti piscem, exhibere piscem non serpentem; Panem esurienti panem, non carnes, non pharmacum; Aliæ sunt leges morales, aliæ naturales; Medicus has immediate sequi debet consulendo benè ægris. Inquireq; in causas affectuum, citius quam in materias medicamentorum, vel eorum præparationis vel exhibitionis leges. Novi motus in sanguine, sequuntur novos affectus in animo, hi enim sunt qui sanguinem movent, ut vel vapores vel humores spiret & excernat copiosiores; si verò ab internis, vel inferiorum ordinum

*Medicum moralia nō tangunt.*

*Novi affectus novarum passionum causa.*

num ſeminalibus rationibus irritantur affectus ut vel doleant, vel furiant, ſicuti fit in ſenſilibus, aliis deniquè affectibus; tum peregrinorum quoq; ſeminum impreſſiones ſe ſuis indiciis produnt, animæquè primùm ſe inſinuant, quàm vel ſanguini, vel membris; Vaporoſà citius quàm humoroſà ſpecie. Citius generatur ſanguis quàm caro; Citius vapor quàm humor; citius mammæ quàm lac; Citius vaſa ſpermatica quàm ſperma &c. Sicuti autem mammis prominere incipientibus nova ſe produnt deſideria in puellis, ita novi quoquè humores & vapores in ſanguine; atquè proinde cum vaporibus & humoribus internis, externa quoquè excrementa, tum vaporoſa tum humoroſa; Quorum impetum ignorarunt patientes ante id tempus; qui nec ſunt poſtea continui, præſertim in puellis, ſed menſtruatim tantùm vel annuatim uti recrudeſcentes, ita & ingraveſcentes. Sed pauci ſunt Phyſicorum vel Medicorum qui hæc obſervant; Quamvis inde naſcatur certior morbi generatio-

*Novis deſideriis novi ſuccedunt vapores & humores.*

nis

nis cognitio, quàm aliundè. Apparitio autem externa novarum excrescentiarum; vel interna, affectuum, non semper comites habet symptomata tristia, vel morbosa; sæpè ingentem vel animi vel corporis lasciviam secum affert quævis mutatio; in utroque sexu; ad annos usquè ætatis septenarii tertii aut quarti; Circa hæc tempora in viris æq; ac fœminis magna fit, non saltem in desideriis, sed & in sensibus, sensoriisquè mutatio virtutum priorum; Et qamvis non sit per externa indicia notabilis in omnibus subjectis; quodlibet tamen individuum sensit in se ipso aliquem defectum; quem non senserat prius; quamvis ipsum potius occultet, quàm fateatur; metu vel morbi ingruentis, vel mortis, cujus præcursores sunt defectus illi; uti eos ænigmaticè describit Ecclesiastes cap. 12. Dum excernuntur vermes per sedes, vel per vomitum; eos ex certis humoribus vel succis in intestinis putrescentibus, genetari asseveramus; & quidem secundùm veritatem; nam si ordinarii essent succi illi ex

*Vermium generationis causa.*

quibus

quibus talia excluduntur animalia, tùm uti ordinario excernerentur, ita ordinario expellerentur cum ordinariis stercoribus, sicuti bilis alii deniq; ordinarii humores. Dum autem videm⁹ ægros vomere pilos, ligna, lanas, acus, aciculas, cultellos, & alias metallicas & minerales materias, non saltem quales nascuntur naturaliter, sed & quales artificialiter fiunt; Tum miramur, horremus, stupemus; non enim satis certi sumus quibus causis tales fructus vel effectus imputare, vel effectis causas assignare debeamus. Quamvis in censura materiarum quotidianarum nobis præ certis sapere videamur. In casibus autem non quotidianis, quamvis naturalibus, inter nos & vulgus nulla est discrepantia: nam æquè nobis sunt admirationi talia per vomitum egeri, ac alicui alii ex plebe viro. Ignorantiam nostram nos fateri pudet; Ideò tales rationes nobis comminiscimur, quæ & occultando pudori nostro, & satis faciendo opinioni plebis sunt idoneæ quamvis ad rem nihil faciant. Huic vel illi venefico impostori,

*Ignorantia Errorum author.*

vel superstitiosæ anui, vel malefico artifici actum imputamus; Nisi omninò Diabolum fingamus esse talium operũ authorem, qui obfascinat suis præstigiis sensus aut patientum, aut adstantium, ut existiment res esse veras quas vomunt, vel vident; cum tamen res non sint; sed saltem præstigiæ dæmonum sensibus humanis illudentium. Nec obscuri sunt, sed celebres admodum Medici, qui talia de his excrementis scribunt; quæ quidam injecta nominant; Quasi talia in nobis nasci magis mirabile esset, quàm viva animalia, ranas aut vermes; vel quasi majoris virtutis & artificii esset generare clavum, acum, cultrum, aut aliud corpus exanime & exsangue, quàm vivum animal; Quia enim videmus à nobis ex ferro clavos fieri non posse, absque igne, incude & malleo; ideò nolumus inter naturalia recensere, quæ sine omnibus artificialibus subsidiis in corporibus humanis proveniunt; Quasi excellentioris sit ingenii formare clavum ex ferro, quàm ex sanguine ferrum, vel calculum

culum generare. Quare inter præstigia dæmonum non numeramus calculos, omni ætati utriusq; sexus frequentes? Si credendum est historicis, non saltem vilia illa, quæ sæpè per vomitum ejiciunt Epileptici, in corporibus humanis nasci naturaliter credendum est, sed & ferrum, cuprum, plumbum, aurum, serpentes, araneos, muscas, vermes. Quam varias virtutes imputamus sanguini menstruo, vel radiis oculorum menstruosæ mulieris, etiam ad extra? Quid mirum igitur, si intra corpus vel paria vel monstrosiora generentur ex iisdem principiis. Quicquid ex terra fit extra nos, idem ex terrestribus materiis, à seminalibus rationibus terræ in nobis fieri potest; Si non in eadem quantitate vel numero; tamen in minori; Microcosmus enim est homo quisque; uti jam supra demõstravimus. Quod dæmoniorum opera sint res illæ in aliquibus ægris provenientes; id non negaverim; sed & dæmoniorum opera sunt carnalia desideria, latrocinia, superbiæ, avaritiæ, invidiæ, iræ, odia, &c.

*Dæmoniorum effectus carnales affectus.*

Hæc tamen vitia non admiramur nec ſtupemus, quia nobis innaſcuntur omnibus, ſingulis peculiaria; quæ tamen abominatur Deus, & nos ob ea; Illos autem, qui aliqua extraordinaria vomunt, ideò non; Nullus morbus eſt adeò levis vel familiaris & quotidianus, quem Scriptura non imputet dæmoniis, vel Spiritibus morbificis, impuris & poteſtati Satanæ. Mutos quoque & ſurdos à dæmoniis obſeſſos nominat; quos non tamen ſimpliciter ægros nominamus. Sed hæc alibi prolixius demonſtrabimus. Spiritus ille, qui vulgo Natura dicitur, vel naturalis, cujus eſt ordinis? Revera ſpiritus eſt terreſtris, à ſpirituum cœleſtium ordinibus ſegregatus, nullam omninò habens eum eis communionem; Imò nec cum ſpiritu humano propriè ſic dicto; Nam hic divinæ aut eſt conſors Naturæ, aut fieri poteſt; ſed ſpirituum inferiorum homine nullus. Naturale itaque eſt ſicuti eſurire & ſitire, ſuperbire, odiſſe, &c. ita & vermes cacare, & vomere, vel alia quæcunq; cujuscunq; formæ vel nominis;

*Morborum cauſæ dæmonia ſunt.*

*Natura quid.*

*Naturalia quæ.*

nis; Quod autem extraordinaria interdum excernant ægri, adstantibus stupenda, illa æquè naturalia sunt ac ea, quæ ordinariò fiunt. Audivimus in scholis, quod ex his vel illis cibis generentur calculi, bilis, vel aliæ corporeitates inutiles & excrementitiæ; Ita quidem est, quod ex his principiis tanquam ex terrestribus materiis, spiritus animalis virtute, nascantur caro, sanguis, ossa, omnia deniq; corporis hujus membra; tamen citius omnia fiunt vapor, humor, sanguis in nobis, quàm aliud quid; ex sanguine autem immediatè proveniunt biles, pituitæ, urinæ, sudores, aliiq; humores excrementitii; ita & vermes & calculi; Sed hæc in nobis fiunt non simplici mutatione corporeitatis unius in alteram, qualiter vinum mutatur in acetum; sed occultiori quodam actu, quam sensus assequi nequit, donec est in fieri, sed saltem jam absolutum judicat. Simplici mutatione non possent generari vermes, aut calculi in vesicula bilis. Bilis enim substantia ob nitrosam lubricitatem capax nō est ejusmodi mutatio-

 nis;

nis; ſine ſingulari putrefactionis occultioris ſubſidio. Ita calculus generatur, dum generatur & ubi generatur, à certo ſpiritu lapidifico, qui ex ſanguine erumpens ſuæ corporeitatis quoque ſecum inde trahit materiam; Nam ſi ex cibulentis & potulentis materiis ſimplici mutatione fierent calculi, tum neceſſe eſſet omnes unius generis cibo & potu utentes, calculoſos fieri, ſimul & uno tempore; Quod tamen falſum eſſe clamat experientia. Et quamvis Endemici morbi ex talibus cauſis oriantur; tamen non omnes peregrini ab iisdem infeſtantur, à quibus infeſtantur illi, qui ex parentibus, avis & abavis, longâ ſucceſſionis ſerie in communionem telluris ſui degenerarunt. Quæ in ſtomachum noſtrum extrinſecus ingrediuntur, ea iterum per monoculum, eodem pondere, quo ingreſſa ſunt, expelluntur, quamvis eorum ſubſtantia longiori intùs morâ omninò immutata ſit; tamen nobis aliter non ſunt moleſtæ, quàm ſolo pondere, ſi moleſta ſunt; Sed quæ ex vaporibus cibulentorum & potulen-

*Calculus à ſpiritu generatur.*

tulentorum in nobis generantur, virtute animæ carnis, ea vel ad vitam carnis faciunt, vel ad morbos, vel ad mortem: Et nobis molestæ fiunt ob saporum, odorum, colorum excellentiam, qui ex vaporibus nascuntur à seminalibus scientiis sui ordinis generati; in nos ex terra transplantatis; Quod autem non omnes virrutes seminales inferiorum ordinum in nobis manifestentur, vel actus suos formales determinent, actu nobis inhærentes; Causa est alia in nobis, alia in ipsis; Quia animæ carnis non sunt sibi similes in singulis individuis, sed sicuti concupiscentiis decertant, earumque varietatibus in specie & gradu; ita quoque & scientiis & virtutibus. Aliæ amant dulcia, aliæ amara, acria, acida, austera; & qualia quæ amant, talia sciunt; & qualia sciunt, talia & possunt & agunt, nisi eis vel deficiant materiæ, vel earum formales virtutes à virtutibus superioribus impediantur, vel trahantur in diversum. Non opus habet anima carnis, ut ab homine extrinsecus informetur, quid, quale, ubi, quando generatur-

*Simul & simel.*

*Anima carnis sine nobis generat varia.*

 nera-

nerare aut efformare debeat; penes ipsam est cognitio saporum, odorum, colorum, ponderum, numerorum, locorum, temporum, ortus, occasus; felicius quidem omnia agit, incipit & perficit nullis destituta materiis, ad ejus opera requisitis; Nihil enim ex se ipsa formari potest, quamvis in se ipsa habeat quæ format formandi scientiam. Tamen non mutat actus suas ob varietatem materiæ; sed materiæ homogeneæ heterogeneizantur pro varietate scientiarum & concupiscentiarum seminalium; sive non generat calculum ex calculo; vel bilem ex bili similibus cibis; sed quæ seminalis virtus habet scientiam generandi calculi, vel bilis, vel urinæ, illa generat corporeitates scientiæ suæ conformes ex vaporibus subtilissimis, inter quos & generata, nulla omninò est affinitas, aut conformitas. Sive non se accommodat formalitas materialitati; sed materialitas formalitati; Ex aqua, lacte, oleribus, æquè fit bilis, calculus, &c. ac ex spiritu vini, carnibus piscium, aut quadrupedum vel avium. Sicuti ex

eadem

eadem pluvia innumeri colores, sapores, odores vegetabilium. Spiritus seminales omnium specierum & individuorum, ex vaporibus iisque subtilissimis, efformant suis scientiis conformia; Si autem vapores aliqui in officina eorum deprehẽduntur aliquo modo sensibiles, illi & tales evaserunt à Spiritibus, operis certè architectis; qui à vaporibus incipiunt, quæ in humoribus, aut solidioribus corporeitatibus terminant. Sciunt quoque spiritus omnes humidas & siccas corporeitates in vapores resolvere, sine omni externorum adminiculo; Ita sunt non solæ bestiæ, quæ crudis pasci amant carnibus; sed & inter homines multi; Ideò fœminæ ab aliquo tali spiritu irritatæ, multa deglutiunt, & digerunt innoxiè, quæ citra illum impetum minimè deglutire, multò minus concoquere, absq; periculo potuissent. Ordinarii affectus in anima carnis, ordinarios causantur in sanguine motus; ordinarii motus sanguinis, ordinarias excernunt fæces; *Ordinarium autem est id, quod est cujusq; individui consti-*

*Pica mulierum unde.*

*tutioni conveniens vel congruum, & quamvis utile non sit, tamen nec noxium est.* Ideò homines iracundi, invidi, timidi, audaces, voraces, bibaces, &c. pluribus sunt obnoxii, & frequentioribus periculis, quàm modesti animo; nisi ex parentibus ipsis comunicata sint morborum certorum seminaria. *Omnia excrementa sanguinis, sunt vel vaporosa, vel humorosa*; Vaporosa per emunctoria arteriarum, cor, pulmones, asperam arteriam ex corpore expelluntur. Humorosa, vaporibus permista; per emũctoria venarum hepati & lieni inserta, ad intestina propelluntur; illicque excrementis stomachi solidioribus permista, una cum illis per monoculum egeruntur. Bilis ductus manifestus est; ita & aliarum fæcum; Venæ enim sunt illæ, quas vulgo mesaraicas vocamus; per quas vias sanguis ipse quoque syncerus prolabitur. Excrementa maximâ ex parte humorosa, superioribus graviora, per renes, ureteres, & vesicam excernuntur; Eosdem ductus sequitur sanguis quoq; ille qui interdum mingitur: de

de quibus plura ſuo loco: Vaporoſa excrementa ſunt humoroſis pernitioſiora & vehementiora. Humoroſa, moleſta quidem ſunt valdè quoquè & noxia, non ſaltem ob pondus, ſed & ſapores, odores, colores ipſis permiſtos magis vel minus diviſibiles. Omnia tamen lentius fiunt ab humoribus quàm à vaporibus. Vapores vel integrum corpus, vel plura membra gravant ſuis impetibus ſimul & ſemel; Sed humores non niſi unum aliquod, vel unius partem; Vapores uno impetu irruentes in cor, plures quàm ut expelli omnes ſimul poſſint; vel ſuffocant hominem, vel in ſuffocationis periculum eum dejiciunt; Humores abſceſſus faciunt, diuturnos tamen quamvis continuos, & valdè graves vel periculoſos. Vapores & nervis noxii ſunt; ſed humores non; Nervi enim concavi non ſunt, ideò nec humoribus pervii; In cerebri tamen concavitatibus, uti multi vapores coacervari, ita in humores coagulari poſſunt, citius quàm à nervis abſorbeantur; à quibus *Vapores maximè noxii.*

variæ

variæ naſcuntur moleſtiæ, & illic ubi generantur, & alibi ad quascunq; partes prolapſi fuerint, vel deſtillârint. Sæpe autem humores diutius hærent in ſuis emunctoriis, quàm par eſt, à quibus non ſola obſtructionis moleſtia derivatur, ſed ex putreſcentibus, in venas regurgitant vapores ſanguinis motum variè perturbantes; & niſi maturè obſtructio depellatur, non tantum ſanguini, ſed & emunctorii ſubſtantiæ noxii fiunt, eam exulcerantes, erodentes, excoriantes. Quod ſi verò vapores copioſiores in venis inferioribus naſcantur; atque in renes, vel per renes & ureteres, ad veſicam usque penetrent? tum quamvis non adeò periculum de vita, tamen magnam mejendi difficultatem excitant, donec per crepitum ventris minorati, vel omninò omnes evacuati fuerint. In extremitatibus manuum & pedum, ex humoribus gravibus & craſſis coagulatis proveniunt ungues, verrucæ, calli, clavi; Quod ſi verò eos illic citiùs putreſcere contingat, quàm omninò in ungues aut callos deſierint; tum

tum pterygia, aliaq; crudelia ulcera inde naſcuntur; ob ſummam quæ in eis occultatur ſalſedinem.

## Caput VI.

### *De variis Emunctoriis, variorum Excrementorum.*

In ſuperiori capite recenſuimus excrementa vel omnia vel pleraquè, ordinaria & extraordinaria cibulentarum & potulentarum materiarum; ita & maſſæ ſanguineæ, ſanguinis arterioſi & venoſi; ſuperiorum venarum & inferiorum, vaporoſorum & humoroſorum, ponderibus, ſaporibus, odoribus coloribus, invicem decertantium; His quoq; adnumeravimus res eas quæ communiter injecta dicuntur, vel præſtigiæ dæmonum; quas vulgus ſtupet & miratur, dum eas excernere ægros videt, magno quidem cum conatu, tamen ſine omni vitæ periculo. Hic in hoc capite & emunctoria excrementorum ſingulorum recenſebimus, tum peculiaria, tum com-

*Emunctoria quid.* communia omnium. *Sunt autem emunctoria, vasa animalis corporis vaporibus aut humoribus pervia*, ideò ab utraque parte sui hiantia; unâ recipere quod ad ea ex officinis vaporum & humorum ablegatur excrementitii; alterâ quod prius exceperunt expellere, vel foràs ejicere apta. Ad concursum vaporum nutritivorum cum anima carnis, nullo est opus sensibili meatu, quia & id quod nutritur, & id quod nutrit, est insensibile; & imperium seminalium rationum & obsequium materialium principiorum; Quæ enim sunt insensibilia, vel spiritualis consortia naturæ, ea solidas quasque corporeitates penetrare possunt, sine omni continuitatis solutione aut læsione; Et nisi talis esset constitutio vaporum nutritivorum, tum ossa medullæquè eorum sæpè defraudarentur debito nutrimento. Prima itaq; conditio vaporum nutritivorum ex cibulentis & potulentis materiis halantium, est vel omninò spiritualis, vel spiritui vitali & animæ carnis maximè congrua vel affinis; ideò nervos qui

qui intus sunt medullares, solidissimaq; ossa penetrat, in suo cum anima carnis congressu. Quapropter desideria famis & sitis quietantur quàm primum sufficiens quantitas cibi & potus in stomachum injecta fuerit; *Unde liquet non à vaporibus sanguinis; sed cibi & potus, pendere satiationem famis & sitis*; Sanguis enim aptus non est quietare illos affectus, quamvis ad saginandum corpus vel ad carnificationem sit idoneus. *Prius autem satiantur spiritus, quàm generent sanguinem; prius autem generant sanguinem quàm faciant carnem.* Post satiationem spirituum fit sanguinis generatio, ex vaporibus è nervis ad venas usquè & arterias penetrantibus. In sanguinea massa jam generata, novus fit motus, non tam ad affectus famis & sitis satiandos vergens, sed ad plurium humorum & vaporum generationem proclivis; quorum alii in carnes varias desinunt; alii in humores varii generis mutati, ex anatomia venarum & arteriarum iterum ex corpore propelluntur. Quod omninò fuit spirituale in primo cum

*Unde satiantur Spiritus.*

*Unde Sanguis.*

*Mutatio saporis in humorem.*

cum spiritu vel anima carnis congressu, id in venas & arterias delatum in sanguinem mutatur, & in substantia ejus variis vestitum formis, iterum ex corpore egredi festinat, aut urgetur. Non autem sterilis tantùm vapor est quod ex cibulentis & potulentis materiis spirat, ad nervorum fontem, sed revera seminalibus rationibus prægnans, illius ordinis, vel speciei cujus individuum in stomachum injectum vel receptum est. Quamvis seminales rationes ex corporeitatibus suis in rempublicam corporis nostri transplantatæ quiescant omninò, & se ab anima carnis in membra corporis nostri transformari patiatur, E. g. Nux habet intus in se reconditam substantiam formalem & seminalem, suæ speciei signaturarū consciam, sed omninó insensibilem in nobis aliquandiù; vel si non omninò, in primo tamen ejus cum spiritu nostro congressu. Hæc substantia separatur à nuce, digestionis in stomacho beneficio, vel ejus corporeitate, sine ulla ponderis ejus diminutione; separata autem ab anima famelicâ

*Nucis non corpus, sed spiritus nutrit.*

melicâ rapitur vaporosâ ſpecie, ſeq; inſinuat nervis, tandem ſanguini materialiter inſervitura, donec omnia penſa ſua in ea abſolvent ſpiritus carnis; Poſt iterum ex venis & arteriis excernitur vaporosâ vel humorosâ ſpecie, tincturis veſtita ſaporum, odorum, colorum, illius ſpeciei è qua proceſſit, citius quàm in corpus ingeſta fuiſſet. Sicuti autém vapores & humores ſanguinis ſenſim ex maſſa ſanguinea evaporant, per exſpirationem; vel excernuntur ad inteſtina; ita ſenſim novi affectus animam invadunt, famis & ſitis ad omnium vaporum nutritivorum ex nervis & arteriis, vel humorum ex venis evacuationem. Non enim defectus vel diminutio maſſæ ſanguineæ irritat famem & ſitim; ſed defectus vaporum in nervis. Concatenati quidem ſunt actus omnes animæ carnis, & ſibi invicem mutuò ſubordinati, ita ut uno vix terminato, ſuccedat alter; tamen unus eſt tantùm à quo incipit, ita unus in quo terminatur, tum famis & ſitis, tum ſanguinis, tum carnis, tum vaporum tum humo-

*Cauſa famis & ſitis.*

rum generatio, & excretio. Primùm autem post assumptum cibum & potum satiantur desideria animæ, sive quietantur famis & sitis molestiæ; tandem & sanguini, & carni satis fit: & excrementorum vel fæcum excretioni, post saturationem & refectionem membrorum superfluarum. Et quamvis in generationis fœtus processu, prius sensibilia fiant membra, quàm motus in sanguine; tamen jam in spermatis corporeitate latuit totum id; quod in absoluto omnibus numeris fœtu ultimum fit sensibile; ita & primum se occultat, in carnis destructione; non posset enim putrescere aliquid, nisi se spiritus seminalis absconderet primùm à judicio sensus. Nam animæ virtus est corporis & arctitectus & cõservator, & restaurator. Habet autem necesse anima carnis humanæ seminaliũ rationum vegetabiliũ, animalium, mineralium, meteororum, elementorum subsidio donec in his terris agit; ex se enim ipsa nihil sensibilis efformare potest, nec sui ipsius præsentiam aliis indiciis demonstrare quàm

*Putrefactionis causa.*

ex

ex inferioribus hauſtis principijs materialibus; ideò vaporoſa ſunt omnia prima ejus opera; poſt humoroſa, ultimò carnalis,oſſeæ & ſolidioris conſiſtentiæ; nam anima primò ſibi ipſi providet; poſt carni & ſanguini; tandem cuti, pilis & unguibus. Nervorum uti nutrimenta, ita excrementa vaporoſa omninò ſunt; Hæc autem ex nervis ad arterias & venas delata ſenſim craſſeſcunt, & in humores commutantur primo actu, homogeneos; ultimo heterogeneos; Donec in nervis ſunt eorumque origine,ſive in cerebro; omnis generis imaginum impreſſioni ſunt obnoxiæ qualeſcunque ſibi effingit anima, triſtes,jucundas, externis ſimiles, vel ex tenebricoſo ejus ſinu in lucem progredientibꝰ. Hæ imagines, quamvis anima ipſa non ſint,ſunt tamen animæ Ideæ, vel ei affiniſſimæ ſubſtantiæ, ex quibus nos præſagire poſſumus vel præſcire futura nobis ocyùs vel tardiùs imminentis,Atque tales imagines naſcuntur in nobis,à receſſu animæ,vel eà ſe occultius ab externorum ſenſatione abdente; ſive vigi-

*Nervorum excrementa vaporoſa ſunt.*

lantibus nobis, sive dormientibus: Interdum adeò vehementes sunt imagines illæ, ut ipsissimam animam æmulentur, & membra omnia sibi in obsequium trahant, violente impetu, nullo habito respectu exteriorum, metus aut pudoris. A talibus Imaginibus urgentur Noctambulones, & omnes illi, qui somniantes se tamen somniare nesciunt; sed vigilantibus sunt simillimi, quoad verba & gestus. Vapores qui sunt insensibiles, illi vel omninò evanescunt steriles, vel per imagines internas abolentur; Qui autem sunt sensibiles aliquo corporeitatis indicio, illi sensim in humores desinunt, & per sensibilia emunctoria foràs propelluntur, intereà temporis, vel citius quàm omninò in humores desinant, variè & sanguinem turbant, & membra alia, in quibus continentur; Atque à talibus vaporibus oriuntur vertigines, aurium tinnitus, Epilepsiæ, Apoplexiæ, Paralyses, Spasmi, convulsiones omnis generis. *Sanguis in corpore humano genuinus est, alius arteriosus, alius venosus*; Quia enim

*Noctambulones.*

Vena-

Venarum & Arteriarum conformatio diſſidet, igitur & eorum contenta diſſidere certum eſt. Natura enim nihil operatur fruſtra. Quamvis verò ſanguinis arterioſi ex venis egreſſi, nulla animadverti poſſit diſcrepantia; uterq; enim æquè rubet; Tamen arterioſum, magis vaporoſum; Venoſum autem magis humoroſum eſſe, ipſa perſuadet Ratio, indiciumq; tactu perceptibile; Arterioſus enim ſanguis pulſat in ſuis vaſis contentus, ſed non venoſus: Ad oculum autem diſcerni eorum ſubſtantia nequit, ita ut parenchyma hepatis à corde & pulmone diſcrepare videmus, vel venas ab arteriis. Nam illi intus diſſident non colore, ſed tantum vaporum pluralitate & paucitate, vel motus vehementiâ & tarditate; non quidem localis, ſed fermentativi: qui eſt ſpecies generativi mot⁹. Motus autem ille in ſanguine ex arteriis egreſſo ceſſat, quia vapores in ſeipſos contrahuntur, externi aëris frigore: quod ſanguinis eſt contrariæ virtutis. Sanguis arterioſus ſuo pulſu, vel ſyſtole vel diaſtole cordis, te-

*Arterioſi & Venoſi Sanguinis diſcrimen.*

ſtatur ſe vaporibus multis intumeſcere, atque per exſpirationem diminutis detumeſcere; Plures autem vapores neceſſe eſt reperire in ſanguine arterioſo, quia eſt inter nervos & venas medius, cum nervis in vaporibus, cum venis in humoribus communicans; Venoſus verò ut carni proximus, vel in eam & excrementa mox deſiturus, ſenſim craſſeſcit,& quæ per emunctoria ſuperiora hepatis & lienis non evacuat, ea deorſim repercutit & præcipitat ad partes corporis inferioras, per ramos trunci iliaci deſcendentes: Nec deſtituitur ſanguinis portio gravior infra ſuâ utilitate; ob ſuam enim ponderoſitatem bajulando corpori eſt accomodatior. Dum ordinaria cibi & potus principia moventur in ſanguine, tum legitima fit heterogeneorum in ejus maſſa ſecretio & expulſio; Dum verò peregrina principia in ſanguine movētur vel extùs hauſta, vel infernè ſublimata; tum turbatur ejus motus ordinarius, cordis ſyſtole & diaſtole, arteriarum pulſus, reſpirationiſq; moleſtiæ intēditur,& aggravatur.

*Utilitas Sanguinis gravioris.*

Ani-

Anima carnis periclitatur utrinq;, tum ab extra, tum ab intra; tum ab aëre vel vaporibus mineralibus & metallicis per aërem disperſis; valdè contagioſis vel diviſibilibus; qui virtutibus animalibus ſubordinati ſub tali ſtatu non ſunt, ſub quali in aëre vagantur: ſed eas ſubagunt & opprimunt, ſuâ diviſibilitate; quam vulgus venenoſam qualitatem nominat. Quæ enim infernè, vel ex infimis ordinibus in ſummos, ſcilicet animales ſublimantur, ea hos quaſi ex inſidiis lædunt, per occultiores ſignaturas, quàm ut de eis ſenſus judicare poſſit, à principio: vel non niſi poſt factum. Tum à vaporibus fæcum ſanguinearum quæ in extremitatibus manuum & pedum ſub pondere quietæ delitescebant aliquandiu, tunc innoxiæ, & ſenſus judicium effugientes. Tum à ciborum vel potuum ſaporibus, odoribus, coloribus manifeſtis. Externas violentias hic non recenſeo. Nam ſicuti ſeminarium febrile, Epilepticum, aliorumq; ſymptomatum plurium, ſanguineæ maſſæ propinquum eſt, vel in iiſdem vaſis conten-

*Unde anima carnis periculum.*

*Seminarium morborum in ſanguine abſconditũ eſt.*

tum in quibus sanguis, & tunc dum id adesse ignorent ægri, vel nullam omninò molestiam inde patiūtur; sive ignorant illius seminarii morbosi quiescentis adhuc, ubi centrale. Ita se habent seminaria morborum omnium, nostra corpora continuò vel per intervalla, vaporosâ vel humorosâ specie affligentium. Quæ autem causa sit, quæ motum & quietem seminarii morbosi moderatur, sive id ad motum irritet, vel ad quietem trahat, atque utrinque custodiat longius aut brevius? Id scire nobis Medicis non saltem pulcrum est, jucundum & utile, sed & omninò necessarium; Nam sine tali cognitione, omnis conatus noster & labor, quamvis sedulus, tamen est frustraneus, vel fortuitus; non autem artificialis. Quodlibet semen in suo centrali chao, scientiam & virtutem occultat suæ corporeitatis futuræ saporum, odorum, colorum, ponderum, sive quantitatum & qualitatum suæ speciei, vel ordinis illius, cujus est soboles. Nam si conjeceris plurima semina simul & semel in unam terram, E.g. La-

*Intermissionis morborum quæ causa.*

*Semina simul sata.*

ctucæ, Petroselini, Majoranæ, Salviæ, Basilicæ, &c. illa tamen simul omnia non germinabunt, nec florescent, nec fructificabunt, sed singula suis temporibus; peculiaribus quoq; signaturis extra vestita. Sic se habent in nobis & seminaria morborum. Nihil astra possunt in nos, vel eorum influentiæ sine seminibus in nobis occultis; sed qualia quis nostrum in sui sanguinis massa occultat principia, cujus ordinis, cujus speciei, cujus scenæ terrestris? tales quoq; suo loco & tempore fructus eorum est sensurus, suo vel sui corporis magno aut commodo aut incommodo. In se ipso occultat semen quodq; sui & motus & quietis authorem; suarum signaturarum achitectum, locorum & temporum, motus & quietis directorem; Ideò, à se ipsis moventur & omnia & singula; Imaginationis autem nostræ motum sequuntur quoq; quædam, vel extrinsecarum occasionum auxilia vel impedimenta; non tamen singula vel omnia. Quæ in venoso sunt sanguine, ea sunt motus valdè tardi; Quæ in arteriis vehemen-

*non simul germinant.*

*A se ipsis moventur, quæ moventur in nobis.*

N 5 hemen-

hementioris, quæ in Nervis celerrimi. Sed hæc alibi latius prosequemur. Nervi, Arteriæ, Venæ, earumq; propagines, ossa denique, carnes, cartilagines, tendines, membranæ, ossium medullæ, intestina, uterus, vesica, testes, & singula denique membra exteriora, sunt loci excipiendis impressionibus seminum in nobis latentium, quiescentium, vel operantium, & fructificantium idonei; Plura tamen simul afficiantur à vaporibus, quàm ab humoribus; Semina oleaginosa & odorifera, magis infestant membra superiora; quàm inferiora; Sed semina Aëria, salsa, vel quæ extremi sunt saporis, ea quia ponderosa magis sunt, ideò non nisi inferioribus partibus molestiora existunt, vel solis extremitatibus manuum, pedum, articulorum, unguium; quod si verò alios vapores & ad superiora spiraverint; tunc illic varios acutos valdè dolores causantur, donec in humores coagulati, vel eo undè surrexerunt repercussi, vel ad emunctoria superiorum partium demandati fue-

fuerint; Et quod nisi humores emunctoriorum orificia satis apta aut hiantia habuerint, dum in ea irruunt, tum in solis emunctoriis sentitur, quod prius latius dispersum membra gravabat vaporosâ specie; Quod si verò humores irruant in orificia emunctoriorum, per quæ vapores evaporari consueti sunt? Tunc in periculo suffocationis tamdiu hæret patiens, quousque vapores vel per sua propria, vel per peregrina emũctoria eruperint; quod sæpè cum magnâ violentiâ fieri solet: vel sanguinis per nares; aut fæcum alvi per nares; aut urinæ per penem largiorem fluxum; aut per pustulas intus in naribus, vel circum labia, aut in lingua erumpentes; Sæpè per ulcera, bubones, Apostemata in inguinibus; in alis, ponè aures, fiunt abscessus vel vaporum vel humorum subtiliorum excretiones; Interdum per umbilicum; sed de his alibi.

*Vapores obstructi suffocationis causa.*

Quousque animal vivit, eousq; movetur sanguis, vel agitatur reciprocativè ex vaporosa in humorosam, vel humorosa in vaporosam consistẽtiam: Quantum-

*Sanguinis motus continuus.*

tumque vel vaporum vel humorum ex sanguine egreditur, tantum eorum iterum egressis succedit, ex vaporibus cibulentarum & potulentarum materiarum; vel fæcum in extremitatibus venarum aut arteriarum quiescentium: Atque hoc modo & sanguis crescit, & morbi recrudescunt. Ad renes humor labitur salsus ex sanguine tum venoso tum arterioso, atque per ureteres ad vesicam defertur, & illic coacervatur donec pondere onerosus fiat. Si autem ex venis aut arteriis inferioribus vaporum tantum fiat impetus, ille ad vesicam usque pertingit; & conatus mingendi causatur, absente urinâ; illaque molestia durat, quousque vapores vel coagulati in humores, vel alio delati non fuerint. Per quas vias cibi & potus in stomachum; vapores extrinseci in corpus intrent; vel intrinseci, ex corpore exspirent; Quâ urina ad vesicam, vel ex vesica forâs prolabatur; vel stercora, ex stomacho ad monoculum usque ferantur? novimus; sensibiles enim sunt viæ sensibilium vaporum & humo-

humorum; eorumque ingressus & egressus; Sed quâ pituitosus, chyragricus, podagricus &c. humor, vel febrilis, aut calculosa materia, ex vasis suis continentibus, per medicamentum purgans irritata aut protracta, ad intestina prolabatur, ut per monoculum sicuti fæces stomachi egeri possit? Quis est qui sciat aut qui demonstraverit? vel qui id scire affectaverit? Nullus Anatomicus in eas vias inquirendas applicuit animum; imò si id demonstrare studuisset, nequaqam tamen alias vias, per quas humores noxii & excrementitii ex sanguinea massa ad intestina communia feruntur, reperire potuisset, quam venas mesaraicas, ab hepate, vel liene ad intestina propendentes; Sed qui venas illas à sanguificationis officio absolvere nolunt, illi necessariò alias vias vel ductus sensibiles stercorum sanguineorum demonstrare debebunt; nam per insensibiles vias ferri nequit sensibile corpus; Omnia autem excrementa sanguinis arteriosi & venosi, sive sint vaporosa, sive humorosa sensibilia sunt; si non plu-

*Venæ Mesenterii Emunctoria excrementorum.*

pluribus sensibus, uni tamen tantùm. Per quos ductus prolabitur sanguis ipse verus & syncerus ex venis erumpens ad intestina, & renes. Syncerus enim sæpè uti cacatur, ita mingitur & vomitur. Præstigias Satanas esse putamus, dum per vomitum egrediuntur res solidæ, quas deglutire esset impossibile; & nasci intùs in nobis miraculosum, vel stupendum; Sed æquè mirabilis esset processus humoris podagrici, chyragrici, vel epileptici ex pedibus, manibus, aut matrice, ad intestina, nisi per sensibiles meatus terretur eò unde excipitur. Ab ulceribus intestinorum, vel ex ruptis aut erosis venis, sanguinem ad monoculum prolabi, vel ex ulceribus, vel ex vesica; fabula est & impostura Empiricorum. Identidem si nobis comminiscamur aliquos meatus insensibiles, per quos sensibilis vapor aut humor ferri oporteat extra corpus; præter eos quos natura illi officio destinavit, visibiles & tangibiles. Nam si per follem inspiretur aër in intestina corporis exanimis, ille non saltem intestina attollet, sed & venas

*Sensibilium Excrementorum sunt sensibiles meatus.*

venas ipſas totumque corpus à capite ad pedes; uti hæc alibi demonſtrabimus: Quia eſt ſenſibilis cõtinuatio venarum, arteriarum,& inteſtinorum; venæ itaquè illæ meſaraicæ aut meſenterii dictæ non ſugũt ſuccum infernè ad hepar deferendum,& illic in ſanguinem commutandum; ſed ſunt emunctoria ſanguinis venoſi, ſuas fæces vel vaporoſas vel humoroſas, ad inteſtina per eorum ductus propellentis; Hæc non opus eſt ut credantur ſaltem; nam oculanter demonſtrari poſſunt: illis qui rationibus moveri non poſſunt. Arteriarum quidem excrementa & vaporoſa & humoroſa, ſimul quandoque per emunctoria venarum erumpunt; ſicuti per emunctoria arteriarum, venarum fæces; ſed potiſſimum & ordinariò, arteriæ per pulmones, venæ autem per inteſtina alvi, ſuis ſe exonerant oneribus, tum vaporoſis tum humoroſis. Utrinque autem manifeſtæ viæ ſunt egredientium; Per renes exacuantur ex venis ſimul & arteriis humores tantùm ſalſi, raròautem vapores; niſi cum magna patientis mole-

*Per Renes non vapores ſed humores exeant.*

molestia. Quod si verò per venas mesenterii humores salsi evacuentur, quibus evacuandis renes destinati sunt, vel venæ emulgentes dictæ; tùm in intestinis præter rugitus, sentiuntur dolores graves & obtusi; alvus admodùm lubrica & varia alvi profluvia; quibus adnumerandus est, fluxus hepaticus vulgò apellatus. In talibus enim affectibus, est urina admodum pauca, sed mingendi conatus frequens; ob vaporum in venas emulgentes irruentium copiam, sed humorum paucitatem: cum tamen humores soli per dicta emunctoria evacuari deberent, ex ordinario naturæ requisito; uti apparet in animalibus illis, quæ rarò quidem aut nunquam bibunt, sed frequenter & multum mingunt. Sæpè solet in quibusdam ægris urina omninò subsistere; quod non fit ob simplicem renum vel ureterum obstructionem, aut constipationem; sed ideò quandoquè, quod humor illàc evacuari consuetus, vel ad superiora regurgitat; vel quod à superiorum venarum emunctoriis absorbeatur totus, & vel per sudores,

dores, vel per inteſtina alvi evacuetur: aut per venarum propagines, vel in abdomine in humorem hydropicnm coacervetur, atque viæ omnes vel emunctoria vaporum & humorum ſanguinis excrementitiorum, ſunt ſenſibiles, quia ſunt corporei; corporum autem nulla datur penetratio, absquè manifeſta continuitatis læſione. Vaporum autem nutritivorum cum ſpiritibus vitalibus, vel animæ carnis concurſus talis non eſt, ſed omninò occultus, ex parte utraque; ſpiritus enim ſunt illi qui materialiter nutriendis ſerviunt; ita & illi qui materialibus formaliter dominantur: Sive inſenſibilis eſt anima in nervis, in oſſibus, oſſiumq; medullis, inſenſibilis in ſanguine, igitur inſenſibilis eſt quoque vaporum nutritivorum ad animam penetratio, horumque cum illa communio. Eſt itaq; Anatomia corporis humani, vel ejus artificialis diſſectio utilis omni Medico ad acquirendam cognitionem diſpoſitionis membrorum internorum eorumq; continitatis, quomodo nempe & per

*Concurſus animæ cum vaporibus nutritivis eſt inſenſibilis.*

*Anatomia utilitas.*

quas vias aſcendant aut deſcendant, ſublimentur vel præcipitentur, ex uno vaſe in aliud effluant vel influant, evacuenentur, aut excipiantur tum extrinſeci tum intrinſeci vapores aut humores, cibulentæ, potulentæ & excrementitiæ ſubſtantiæ. Quæ autem ſpiritualia omninò ſunt, illa per nullas ſenſibiles vias feruntur, nec ſenſibus indagari poſſunt, donec adhuc ſunt in motu, vel in fieri. Ideò creviſſe videmus ſicuti gramen vel pilum vel unguem, ita & carnem & ſanguinem, non autem creſcere. Calculus jam generatus, etiam & rudimenta ejus exilia, ſenſum afficiunt, ſed non ſpiritus lapidificus; Ita epilepticus humor poteſt quandoque deprehendi; ſed non ſpiritus, per ocularem demonſtrationem; Sunt multa in nobis quæ ratione ſolâ metiri debent; pauciſſima & viliſſima, ſenſu. Vapores quidem excrementitii, quamvis humoribus & vaſis eos continentibus ſint ſubtiliores, tamen non ſunt omnes omninò inſenſibiles, ſed ſe ſuis quoque indiciis produnt ſinguli peculiaribus; ſapidi, nempe odo-

*Spiritus lapidificus inſenſibilis eſt.*

odoriferi, colorati, leviores vel graviores confluentes, diffluentes &c. certis; ſicuti alii leniter exſpirant, alii nõ niſi cum tinnitu, rugitu, intumeſcentiâ crepitu; talis autem eorum differentia commodius obſervari poteſt in animali vivente, quàm in mortuo cadavere. Sed qui circa ſenſibilia tantùm verſantur Medici, illi de cauſis ſenſibilium non ſunt ſolliciti; quia ipſis tantum cum membris & ſtercoribus res eſt, & non altiora ſapiunt quàm vulgus; ei quoque acceptiores, præ rationalibus: Quomodo autem ſapores ſaporibus vel ponderibus ſuccedant, & quo ordine; qui priùs, qui poſteriùs; qui motui, qui quieti, ortui vel occaſui ſunt propiores? De eo ſenſuales & Empirici ſolliciti non ſunt, quia inde nullum, vel exiguum ſperant lucrum; largius ex labore manuum; ideó de iis magis ſunt ſolliciti, quæ ad eorum commoditatem faciunt in præſenti; nõ autem de ægrorum brevi reſtitutione, aut longâ valetudine; nam hæc non in cognitione, vel ablatione, aut mitigatione ſymptomatum ſenſibilium, ſed in

*Anatomici cauſas inſenſibiles morborum demonſtrare non poſſunt.*

mortificatione & ex republicâ corporis nostri expulsione spirituum morbificorum sita est. His enim omninò enervatis vel mortificatis, vel ex Anatomia membrorum exclusis, nulla est metuenda recidiva; aut doloris unius in alterum transitus, vel ex uno membro in aliud transplantatio. Locorum affectorum habenda quidem ratio est, sed maximè humorum vel vaporum afficientium; Nam si hos neglexerimus, nostrum studium nec multum, nec diu proficiet ægris; Et quod si à vaporibus vel humoribus liberaverimus partem affectam aliunde ad eam amandatis; nihil quoque proficiemus; nisi prospexerimus radici quoque & centro quietis eorum. Ideò sæpe ægri in majores & duriores paroxysmos incidunt post purgationem, quàm fuerunt illi, quos senserunt ante; quia sublatis superficialibus, commodior est motus occasio oblata centralibus: Sicut qui flammam suffocare vult, auget fumum; à fumo autem si non magis, æquè tamen periclitatur corporis vita: Ideò præstat materiam

teriam incendii;vel flammæ & fumi capacem aggredi, quam vel flammam solam,vel fumum solum. Purgantia Medicamenta,Cathartica, sudorifera, diuretica,ptarmica,anodyna, capitalia, pectoralia, cordialia, nephritica, uterina, hepatica,&c. habent se uti amurca Vini, musto recenti; vel fermentum vetus massæ novæ; aut fex cerevisiæ,similagini permista; nam mustum turbatur,& ad novum motum proritatur amurcæ mistione; ita & ad alia,quibus fæces vel fermentum vetus miscetur , intumescunt, & se ipsis majora fiunt, non per acquisitionem majoris ponderositatis, sed saltem diffluxus humoris in vaporositatem; Vapor enim adeò angustis terminis contineri nequit, vel moveri, uti humor; aliàs inter confluxum & diffluxum ejusque terminos nulla est discrepantia. Imputatur quidem medicamentis, secundum dogmata scholastica, vis quædam trahendi, uni bilem, uti Rhabarbaro; alteri pituitam, uti Agarico, &c. Sed erramus valdè, medicamentis vim attractivam imputãtes; Nam quic-

*Purgantium efficacia.*

*Vapores latiores locos exigunt, quàm humores.*

*Purgantia non trahũt, sed pellunt.* quid contingit substantia medicamenti purgantis suo vel sapore vel odore, id stimulat ad motum; non trahendo, sed urgendo ut intumescat; quicquid autem intumescit, se ipso majus fit, & prioribus terminis contineri nequit, sed amplius spatium quærit; sine delectu autem purgat, vel stimulat humorem quemq; obvium; bilem ubi bilis; pituitam ubi pituita ei obvia est: Sed de his in libro Tractatus hujus Secundo agamus. *Anodynorũ & purgantium contraria virtus.* Anodyna autem appellata, virtutem habent purgãtibus omninò contrariam; non quod constipent vasa, renes & intestina; sed quod vapores coagulent, & in humores cogant, humores autem in quiete custodiant, & motum eorum effrænem compescant; Nam virtutem habent repercussivam; non propriè, frigefaciendi; nunquam enim tantum frigus est in venis & arteriis, ut ei aliquis affectus imputari possit, qualis appropriatur frigori externo; sed qualiter acetum actu calidum coagulat lac; sic & anodyna vapores. Quia autem plurimi & Medicorum & ægrorum

rum malunt sequi sensum, potius quam rationem; ideò & Medici falluntur, falluntq; sæpè, promittendo aut sibi aut ægris eventus dexteriores, aut minando pejores, quam veritas permittit. Experientiæ enim non semper tutum est credere, nam quæ succedunt in multis, non omnia in omnibus. Rationem sequi est tutissimum; hæc enim semper includit exceptiones argumentis suis æquivalentes; temeritatis fræna; Nunquam etiam est quiescendum Medico aut ægro prudenti, in ratione prima, sed inquirendum in ultimam, quousque aliqua supersit. E. g. Hæmoptoicus, vel purulenta screans, quærit rationem affectus sui, unde oriatur? Respondet Medicus, affectum esse pulmonem; Hoc responso contentus æger decipitur; nisi urgeat sibi reddi rationem Medicum, an ab humore, an à vapore patiatur pulmo, an ejus parenchyma, aut venæ, aut arteriæ; an intùs vel extra? An sit Idiopathia, an saltem per consensum affectus sit. Ideò multi sæpe nomini parant

*Experientia fallax.*

*Ratio prima non tollit dubitationem omnem.*

medicamenta morbi tantum, non autem morbo; Sed de his plura in libro Secundo.

---

## CAPUT VII.

### *De Sanguinis motu in Arteriis & Venis.*

*Omnia moventur semper.*

NIhil est in hoc mundo sensibili terrestris conditionis, quod non sit alicui mutationi obnoxium, eique & locali & temporaneæ; Omnia sunt, quæ aliquo modo sentimus, in perpetuo motu, augmento vel decremento; Et ea, quæ quiescere putamus; Et concupiscentiæ, & scientiæ, & virtutes terrestres omnes, & spiritus & corpora, in continuo sunt motu, & ea quæ mortua sunt vel dicuntur, & ea quæ vivunt. Solum Cœlum, & cœlestia imobilia sunt. Pili, ungues, ungulæ, pennæ, squammæ, pelles animalium, folia, flores, fructus vegetabilium jam crescunt, jam decidunt; Ita & vapores & humores in nobis; sanguis denique ipse jam augetur, jam

jam minuitur, jam intumeſcit, jam de- tumeſcit. Et quamvis multa quoq; ſint quorum motus in fieri valdè tardus eſt, ita ut nec viſu, nec auditu, nec tactu a- nimadverti poſſit; tamen poſt factum agnoſcitur, eum omninò nũquam quie- tum fuiſſe. Ita non videmus creſcere ungues, vel pilos, ſed creviſſe; Non eſt conſpicuus ſanguificationis modus; ſed ſanguis eſt ſatis ſenſibilis; Sic ſanguinis illa portio, quæ in extremitatibus un- guium, manuum & pedum aliquandiu hæret, ſenſim & per atomos quaſi indu- reſcit, & unguibus incorporatur, vel in ſubſtantiam eorum deſinit. Vaporum motus ſunt celerrimi, & ſubtiliſſimi, ideoq; fermè inſenſibiles, præſertim in medio fluxus ſui. Ideò inquiunt Philo- ſophi & Phyſici, quod quædam in nobis fiant citra omnem ſenſum & voluptatis, & doloris. Ita ſanguinis motus conti- nuat nobis vigilantibus & dormienti- bus; ex quo tamen motu ejus ordina- rio, nullam nos & voluptatem ſentimus vel dolorem; niſi internæ ejus ſignatu- ræ, ſapores, odores, colores adeò excel-

*Inſenſibiles ſunt motus & vaporum & humorum in nobis ſæpè.*

lant, ut calore, vel frigore aut pondere se prodant. Tamen aliter judicat de sapore ejus lingua; aliter pes, aliter intestina; aliter dentes. Vaporum autem sunt interiora nostra plena omnia, sed non sunt ubique æquè sensibiles; In arteriis, per pulsus systole & diastole innotescunt: In venis, calore aut frigore se insinuat sensibus. Anima carnis non potest communicare cum corpore, ejusq; membris, nisi mediantibus vaporibus; Sanguis indesinenter plenus vaporum est, sed arteriosus plenior venoso, ideò & vivacior; Vivit tamen uterque, nam uterque est domicilium animæ. Arteriosi sanguinis vapores valdè sunt copiosi, ita ut ab illis periclitetur patiens de suffocatione, nisi eorum portio per exspirationem dematur; Venosi autem sanguinis vapores nec valdè multi sunt, nec etiam per exspirationem expelluntur, sed sensim in humores commutantur; Nisi enim vaporosus sanguis esset; tum vel admodum tardè, aut omninò non moveretur, cum summa molestia corporis sui.

*Sanguis semper vaporum plenus.*

Vapo-

Vapores ſtimulant humores,& eos,qui jam ſunt in emunctoriis, & eos, qui in ſanguine quidem adhuc ſunt, ſed mox ad emunctoria prolapſuri. Vaporum autem differentia valde magna eſt; ita ut eam nemo ad ſufficientiam enarrare poſſit; Soli Chymici ſunt illorum differentiæ præ cæteris capaciores; Nam illi alios vocant volatiles, alios fixos; illos ſpiritui vini, hos aceto ejus deſtillato imputant: item alios ſublimativos, alios repercuſſivos; alios inſipidos omninò,alios extremo ſapore præditos. Nos hic de motu Sanguinis philoſophabimur,tum in arteriis,tum in venis, eumque concomitantibus indiciis. *Motus ſanguinis, eſt ejus indeſinens in Arteriis & Venis fiens mutatio*; ſive ex non ſanguine in ſanguinem; & ex ſanguine in non ſanguinem converſio, quam moderatur anima carnis cujusque individui; hæc enim nunquam eſt quieta,ſed indefeſſis concupiſcentiis, cognitionibus,virtutibus occupata; Cognitiones quidem & virtutes animæ ceſſant, deſtructo corpore; ſed nequaquam concupi-

*Vaporum differentia.*

cupiſcentiæ; hæ enim comitantur animam quoque hominis ad æternitatem usq; niſi ſe maturè ipſis hic ſubtraxerit; quæ eſt prima mors. Anima carnis ignis eſt voraciſſimus, qui quo plura acquirit, eo plura habere cõcupiſcit: imò eſt gehenna ipſa, quæ ſuo proprio æſtu exagitatur & turbatur, nec quietari poteſt, citius quàm acquiſiverit extrà, id quod intùs concupiſcit; Ideò ſanguis continuò reciprocatur inter augmenta & decrementa, jam ſe ipſo major fit, jam minor, jam levior, jam gravior, jam vapor, jam humor, donec cum pondere ſanguinis nomen acquirat vel deponat. Nam ſanguis non diu manet quod eſt, ſed fit quod non fuit, & deſinit eſſe quod fuit; Ad quam autem ſpeciem motus, motus ſanguinis referri debeat; difficile eſt determinare. Nam dum fit ex non ſanguine ſanguis; tum ab eâ ſui parte generatur, vel generativè movetur; Dum verò, vel ex quâ parte deſinit eſſe quod fuit; tum eâ parte corrumpitur, & cum forma, nomen ſanguinis exuit. Dum ſe ipſo major fit vel minor,

*Anima carnis quid.*

*Motus Sanguinis varius.*

minor, atquè cor, pulmones, arterias & venas distendit, dilatat aut coarctat; tum augeri vel minui dicitur in quantitate; dum autem se ipso fit calidior aut frigidior, salsior, dulcior, tum ad qualitatem refertur motus ejus & à qualitate ejus fit denominatio. Nullus autem motus ejus potest dici localis, quo usque adhuc in vasis suis hæret, nisi fermētativum motum localem appellare velimus. Dum verò ejus fermentatio eo usquè exaltatur, ut extra vasa sua prosiliat, & venâ vel arteriâ ruptâ, erosâ, sectâ effluat? Tum localiter movetur, terminusq; motus ejus uterq; est sensibilis, & à quo & ad quem. Internū autem motum ejus oculariter demonstrare, vel deprehendere, est impossibile; sive is ab externa, sive ab interna causa generetur; sed ratione potius quàm sensu motus ejus species est demonstrabilis; sive per similitudinem, non autem revera. Sunt variæ Medicorum opiniones, imò & dissidentes de sanguinis motu, quousquè in venis & arteriis adhuc manet; sed qui eum illic localiter moveri

*Motus sanguinis non est localis.*

veri

veri asserunt, illi suam sententiam sanis rationibus defendere nequeunt, nisi motum fermentativum, qualis est musti, localem appellaverimus; Quæ autem localiter moventur in massa sanguinis, ea de sanguinis natura non sunt, sed jam & ab animæ comunione & à sanguinis natura segregata. Ita quandoq; ex pedibus ascendunt vapores, & vaporibus sanguinis permiscentur, vel cum sanguine moventur; vel à capite deorsum præcipitantur humores, qui in vaporosa substantia, vel caput vel membra superiora aliquandiu gravabant. Sed vapores & humores aliunde in venas delati, quam ex proprio ejus chao nati, proprio quoque motu moventur, qui sæpè durat longius post mortem, etiam in cadavere, quamvis nativi ejus motus omninò cessarint. Dum sanguis fit ex non sanguine, vel ex vapore humor; tum non potest de eo dici quod moveatur localiter, vel ex uno loco ad alium; nam nescimus illius prius ubi. Dum verò sanguis esse desinit; Tum fit bilis, pituita,

tnita, urina, caro, cutis, os, &c. nam multa fiunt ſenſibilia in ſanguinea maſſa, vel in ejus vaſis, quæ prius omninò occulta fuerunt & inſenſibilia. Factus ſanguis ex non ſanguine, vel actu ſanguis, non diu manet quod fuit vel eſt, ſed mox à ſe ipſo iterum diſſidere incipit, donec cum forma nova, prius nomen omninò amiſerit; bilis, vel alius aliquis humor factus, lac, ſperma, urina, &c. Excrementum autem factus ad emunctorium feſtinat, illicq; depoſitus ſenſim à ſuccedentibus aliis ulterius urgetur, donec vel ſtercoribus aliis permiſtus, vel ipſe ſolus foràs procidat. Donec orificia emunctoriorũ libere hiant, tum uti excipiunt aliunde ad ea ablegata, ita & excepta exonerant, beneq; ſe habent eousq; omnia; Sed emunctoriorũ orificiis obſtructis vel conſtipatis, ſuffocantur vapores ſanguinei, & ſanguificatio ceſſat aut impeditur, vaporesque alimentales non in ſanguinem abeunt, ſed in aquam aut ſudorem, vel alium aliquem humorem, corpori oneroſum, vel omninò noxium; Non vitio hepa-

*Sanguis non manet diu ſanguis.*

*Sanguis in humorem mutatur diverſum.*

*Obſtructionis noxa.*

hepatis, uti delirat vulgus, sed vitio vaporum peregrinorum massam sanguineam inquinantium. Ideò sanguis ultrà modum vaporosus valdè est inquietus & turbidus, quia vasa ejus, præsertim orificia venarum quæ excipiuntur ab orificiis emunctoriorum, distendi eousque, vel adeò breviter nequeunt; quàm citò, & quàm largè, vaporum præsens status exigit: Ideò vapores fortius in emunctoria irruentes, succedentib⁹ præcludunt viam, ita ut evacuari simul omnes non possint, iusto tempore, sed iterum in sanguinem regurgitent; atq; à tali affectus violentiâ, mors ipsa accersitur; præsertim si vapores illi sapore aliquo styptico conditi fuerint. Vaporum autem major copia generatur in sanguine, à vehementi membrorum agitatione, ab immoderato risu, à frequenti exercitio Veneris; potissimum autem ex sanguine ipso, quod massa ejus infecta sit à seminibus, quorum unicus atomus est extremè divisibilis & communicativus sui, ita ut integrum corpus suis tincturis materialibus

inqui-

inquinet, citius quàm insensibilis,& animæ communionis capax redditus fuerit; Nam non omnes vapores cum anima cuiusque carnis conveniunt,nec etiamnisi omnibus sensibilibus signaturis spoliati, vel omnino insensibiles redditi; quales fieri nequeunt omnium in nobis contentorum. E. g. Crocus & curcuma; ille antherâ sui floris; hæc radice plantæ suæ, quoad colorem sunt ambo valde divisibiles; sed crocus excellit curcumam, hujusque grana decem vix tantùm quantitatem humoris alicujus tingere possunt, quantum unum granum croci tingit. Una gutta spiritus vitrioli, magis est communicabilis sui, quàm scrupulus integer aceti; Granum unum antimonii crudi, magis est divisibile,quam integra drachma salis communis; nam hominem prosternit illud; quod magna satis aut vitrioli portio efficere non possit. Prout itaquè affecta fuerit intus natura vaporum in sanguine, eo tardior aut celerior est vaporum dissolutio in insensibilitatem,vel coagulatio in humorem. Talis quoque na-

*Vapores cum anima uniri non possunt, nisi omnibus sensibilitatibus spoliati.*

tura est medicamentorum quocunque modo purgantium, vel per sedes, vel per vomitum, aut per sudorem; Nam quædam eorum spirant vapores graviores, leviùs & ocyùs dissolubiles, vel tardius in humores coagulabiles: Diuretica vim non debent habere discussivam humorum in vapores; sed coagulativam vaporum in humores. Cathartica quæ penetrant ad sanguinis usque vasa, arterias nempè & venas, illa vehementia admodum sunt, atque fermentationem sanguinis immoderatam causantur; ideò plures evehunt ex sanguine humores & vapores; quàm ea medicamenta quæ in stomachum saltem, & ejus contenta, vel in intestina eorumque fæces furiunt. Quædam ita vehementia sunt ut ad extremitates manuum pedumq; penetrent, illicque contentas sanguinis fæces sanguini de novo permisceant, non sine magno patientum incommodo; non enim ita facile sopitur & ad quietem redit sanguis semel irritatus, quàm irritatur: Actum autem, vel virtutem medicamenti purgantis, nomi-

*Citius turbatur quam quietatur sanguis.*

nominant Scholæ attractivum. Ideò à varietate humorum nacta sunt medicamenta suos titulos; ut alia dicantur trahere bilem, ex toto corpore; alia ex venis, alia ex arteriis, alia ex alia aliqua corporis parte, ab unguibus ad pilos usque; Tamen nullum medicamentum agit per modum tractionis, sicuti magnes trahit ferrum; sed per modum explicationis virtutum suarum per massam aut vaporum aut humorum in venis, in arteriis, in nervis, aut eorum emunctoriis contentorum; sive per eum modum, per quem contagiosa quæque suo materiali contagio inficiunt, quæ tangunt; se insinuantia peregrinis corporeitatibus; Ita quoque purgantia se insinuant massæ sanguineæ, & omnibus in ea contentis, irritando ad motum, & ea quæ illic priùs vel tardiùs movebantur, vel omninò quiescebant; dissolvendo humores in vapores; vapores autem discutiendo latius, ita ut prioribus terminis contineri nequeant. Talis est operatio catharticorum & diaphoreticorum; sed diuretica, non ex humoribus

*Medicamentum nullum trahit.*

*Purgantium vis.*

vapores, verùm ex vaporibus humores provocare debent; Sic vinum inebriat, se insinuando nervis, & per nervos toti corpori; aliter autem nervis, aliter sanguini; Nam portio ejus illa, quam nervi habent, inebriat tantum; reliquæ ejus corporeitatis portiones non inebriant, sed in humores abeunt, non ita nervis vel sensibus, quàm sanguini & membris onerosos; quæ inebriant? earum substantia est merè vaporosa, alias enim inebriare non posset, sive imaginationem vel gravare vel turbare, vel juvare; Ideò non omne vinum ex æquo inebriat potatores; recens autem mustum, potius intestina turbat quàm caput; nec inebriat, sed alvum solvit. Vapores autem ex fæcibus putrescentibus in venis nati, pro diversitate speciei suæ, omnia vehementius agunt quàm vapores cibulentarum & potulentarum materiarum; hi enim servituri nobis intrant; sed illi absolverunt sua officia servilia, & ad sua naturalia inclinant, vel ea in nobis agunt, quæ extra nos agere destinata sunt per leges fatorum. Vapores

*Mustum recens non inebriat.*

pores inebriantes à virtutibus animæ carnis ſuperantur, diſcutiuntur, vel in humores abeunt innoxios, ita ut ſine omnis doloris ſenſu per emūctoria communia excernantur. Sed vapores excrementorum in corpore putreſcentium animæ carnis ſunt ſubjici neſcii; ſed & ſenſus,& ſenſoria lædunt vel offendūt ſuis tincturis; ita ut patientes interdum non ſaltem bonâ valetudine, ſed & judicio,& vitâ ſpolient. Ita Epileptici ſubitò ruunt; & quamvis loquantur multa,tamen quæ loquantur neſciunt, nec intelligunt: imò & ſe ea pati neſciunt, quæ patiuntur: Sed hæc alibi latius proſequemur. Spiritus ſeminales excrementorum ſanguinis,ſunt naturæ conſortes ordinis mineralis, & meteoricæ; ideò mineralibus quoq; indiciis in nobis agentes ſe produnt: ſub utraq; ſpecie & vaporosâ ſcilicet & humorosâ; hâc ſaltem cum differentia, quod ſub vaporibus, partes corporis ſuperiores infeſtent,quas rami trunci iliaci aſcendentes perrepunt; Sub humoribus autem, ſaltem inferiores à renibus ad pe-

*Vapores excrementorũ ſunt naturæ mineralis conſortes.*

des usque. Quod verò magna valdè sit discrepantia tum vaporum, tum humorum in corpore nostro contentorum, id vel Ratio sola dictat, vel sensuum judicium. Quod vapores nervos penetrantes sint subtilissimi, sive animæ maximè affines; id inde liquet, quod nempè nervi intus sint medullares, non autem concavi; quod autem medullarem corporeitatem penetrare possit; necesse est, ut sit ita subtile, ut motum ejus medullaris soliditas impedire non possit. Non pulsarent arteriæ, nisi à vaporibus agitarentur vehementioribus, quàm venæ; Non essent pedes idonei ad bajulandum corpus; nisi sanguis in venis inferioribus contentus, & gravior esset & crassior sanguine superiori. Si vapores sanguinis venosi essent similes vaporibus arteriosis? tum æquè frequens esset excretio excrementorum urinæ & alvi, sicuti vaporum per pulmones; Quantæ autem molestiæ creentur à vaporibus in intestina, ureteres, vesicam, renes irruentibus; id tenesmus, dysuriæ, stranguriæ, fici ani, mari-

*Pulsus arteriarum ab excessu vaporum.*

*Vaporum noxa.*

scæ,

ſcæ, alia denique ſymptomata loquuntur, quorum conſtitutio magis eſt vaporoſa quàm humoroſa. Spiritus vini facilius ſeparatur à ſuæ corporeitatis vinculis, quàm ſpiritus aceti, decoctum hordei ſimplex, non inebriat, etiam largius bibitum; ſed zythus parcius potus vires inebriantes habet, quamvis identidem ex hordeo fiat. Talis quoque eſt vaporum & humorum in nobis contentorum varietas, tum eorum qui nutritivi ſunt, tum eorum qui excrementitii. A ſubſtantia externa & ſenſibili venarum, arteriarum, nervorum, membrorum, nullum in vapores vel humores derivatur vitium; ſed à vaporibus & humoribus membra afficiuntur, læduntur vel reſtaurantur. Stomachi largitas, aut laxitas, nihil conducit ad cibi & potus in eo digeſtionem; ſed ipſæ cibulentæ & potulētæ materiæ ſtomachum diſtendunt, laxant, aut coarctant, ſuis tincturis, ſaporibus, vaporibus, humoribus; A contentis vaſorum, non autem à vaſis continentibus afficimur dolore, vel gravamur pondere. Non

itaque ventriculo propriè, aut ejus substantiæ sensibili adhibemus, vel adhibenda sunt medicamenta, dolores aliquos patienti; vel hepati, vel cordi, vel renibus, vel utero, sed eorum contentis; vel in ea irruentibus vaporibus & humoribus est occurrendum. Hepar nisi læsum nos non lædet: ita nec dens, nec ventriculus,&c. Sed læsa aliundè, illa cōstitutionis suæ sensibilis damnum patiuntur nos dolemus: nos judicamus per passionem in sensu, de modo læsionis eorum,quamvis eam nō videamus. Actiones, passiones, virtutum Terrestrium mutuæ vel eorum Sympathiæ & Antipathiæ, convenientiæ aut contrarietates inter ipsas fiunt sine omni sensu, & in nobis; Nos autem sentimus soli,quid inter ipsas determinatur sive noxii,sive innoxii.

*Contenta sunt noxia, non continentia.*



CAPUT

## Caput VIII.

### *De Sanguinis extra vasa Naturalia Effluxu.*

Quæ quotidiè fiunt, quamvis ab occultis & nobis ignotis principiis fluant, nec ea quæ rarò fiunt, si saltem ordinariis & justis in locis vel temporibus fiunt, miramur vel stupemus; sed Naturalia dicimus; hoc solo nomine contenti, in causas eorum non inquirimus. Naturale est, secundùm judicium nostrum, fæminas justæ ætatis, singulis mensibus sanguinem per genitalia excernere; æquè apud Medicos, ac apud vulgus. Sed non est naturale, eas talem fluxum pati in infantia, vel continuò, sed tantùm in justa ætate, & per intervalla menstrua. Quia autem à tali fluxu solum fæmininum sexum ordinariè inquietari videmus; mares autem plerosq; ab eo manere immunes; Ideò hic conquiescimus; nec sumus solliciti inquirere in causas, ob quas fæminæ potius quàm mares, à tali fluxu mole-

*Naturalia quæ.*

ſtentur? vel quare potius virgines quàm anus? & quare non & puellæ ſeptennes vel novennes, ſed adultiores? nec etiam omnes uno ætatis vel menſis tempore; ſed aliæ ocyus, aliæ ſerius; aliæ largius, aliæ parcius? Nam ſi noſtri officii eſſe judicamus illum fluxum proritare, ſi emanſerit debitò longius; vel reprimere, ſi juſtò largius fluxerit; certè noſtri quoque officii requiſitum erit, illius fluxus cauſam indagare & ſcire; ne quid temerariò aut accidentariò agere videamur. Quod Deus illi ſexui dolorum neceſſitatem impoſuerit tempore imprægnationis, & inſtantibus diebus partui proximis; Factum id Jehovæ nos non abſolvit ab omni in cauſas naturales inquiſitionis ſedulitate; noſtramq; non excuſat ignorantiam, vel indaginis incuriam; qui noſtro conſilio vel auxilio prodeſſe volumus, fluxus illius immoderati moleſtiam, aut obſtructi incommoda patientibus. Si in Deum ſolum eſt devolvenda illius fluxus paſſionis cauſa? tum certè inutilis erit Artis opus in ejus vel cohibitione, largius fluentis;

*Cauſæ cognitio neceſſaria.*

entis; vel promotione, subsidentis. Virile est, barbatum esse; tamen multi reperiuntur imberbes inter mares, ideò tamen mares. Nec etiam omnes fœminæ mente sunt glabro; sunt & barbatæ multæ, maximè autem inter anus, tamen fœminæ; Ita sunt quoque multi mares, qui sanguinis fluxum menstruum patiuntur, si non per genitalia, tamen per venas hæmorrhoides; Multæ quoque sunt fœminæ quæ rarò aut nunquam menstruum sanguinis fluxum senserunt; nec tamen ideò mares; nec omninò steriles. Fœminam honestam & nobilem noveram, nobilis quoque viri uxorem, quæ nunquam menstrua passa in statu virginitatis suæ, tamen annos unum supra viginti nata, septimæ prolis parens fuit; Annos antē quatuordecim expleverat & peperit filiū primogenitū, totoq; vitæ suæ tempore vivida & vegeta fuit: ita & omnes ej⁹ liberi. Tales casus quamvis rari sint, & extraordinarii; sunt tamē naturales; sive à certis causis fluunt iisq; vel materialibus, vel formalibus intùs in nobis hærentibus.

*Mares quoque mēstrua patiuntur.*

*Fœmina menstrua nunquam passa, tamē fertilis.*

*Rarum quoque est naturale.*

Nec

Nec ſufficit nobis Medicis, eorũ hiſtoricam ſaltem habere cognitionem; aut eos cum vulgo admirari potius, quàm in eorum cauſas inquirère, cum prudentibus; vel ideò eorum cognitionem acquiſitu impoſſibilem judicare, quia nullos audivimus qui eos noſſent; aut legimus authores qui de iis philoſopharentur; vel ipſi unquam de illis cogitare, per occaſiones externas coacti fuimus. Miracula fiunt quotidiè adhuc inter humanæ ſpeciei individua; quamvis nos ea in ſiniſtrum trahamus ſenſum vel ea aliter interpretemur quàm id vel officium noſtrum, vel rei veritas exigit. Nullus Philoſophus, Phyſicus vel Medicus ita felix eſt in vita hac, ut nẽpe omnes caſus maſculini & fœminini ſexus, omnis ætatis, complecti animo poſſit; etiamſi ipſe vel Hermaphroditus eſſet, & ingenio ſagaciſſimo, vel indagini omninò deditus. Ex qua autem causâ oritur ordinaria ſanguinis menſtrui eruptio, non ſaltem in fœminis ſed & in maribus? ſi non per genitalia membra, tamen per alia? ſcimus enim quamvis

pau-

paucos, aliquos tamen dari viros qui menſtruatim ſanguinem excernunt ſicuti fœminæ; nec ſymptomaticum eſſe fluxum illum in viris illis; ſed ordinarium & ſalubrem, ſicuti in fœminis; Ejusque obſtructionem, vel quietem æque ac fæminis periculoſam. Scimus quod Sol Zodiacum percurrat, ſed ſpatio menſium duodecim. Scimus quod luna idem emetiatur iter, ſed breviori tempore; ſpatio nempe dierum triginta circiter; Cauſam quoque illius varietatis novimus: Si verò inquirere in cauſas motuum externorum, opus eſſe laudabile judicamus? Quare quoque non ſcrutamur cauſas varietatum in nobis odinario vel extraordinario fientium, in omnibus, vel plerisq; vel ſingulis, & viris & fœminis, & ſenibus & juvenibus. An non ſæpè ſanguis menſtruus, per genitalia fœminæ evacuari conſuetus, tamen per os à quibusdam ejectus eſt, ſi practicis credendum eſt; An non & maſculi ſanguinem vomunt, tamen ſine menſtrui titulo; utrique tamen & pari moleſtiâ, & pari periculo, ab

*Menſtrua fœmina per os ejecta.*

ab iisdemque causis coacti: Quid si hæc videns vulgus non animadvertat; vel saltem miretur, aut stupeat, aut damnet, quia non intelligit? An lex & favor vulgi, nos sibi quoque subjugabit Medicos, qui tamen philosophico titulo superbimus: ita ut & nos admirari oporteat quæ admiratur vulgus; vel probabiliter tantum de eis ratiocinari; non autem solidè & ex congruo veritatis! Dum videmus sanguinem vomere, cacare, mingere mares; Eum ex vena aliqua intùs non simpliciter hiante, sed omninò ruptâ emanare pronuntiamus. Quare autem aliam sententiam ferimus de sanguinis menstruâ eruptione in fœminis? Non enim dicimus venam aliquam toties rumpi in utero, quoties illinc sanguis erumpit largius; sed saltem ex hiantibus venis in uterum eum manare pronuntiamus; cum tamen sit causa eadem, iidemq; meatus per quos egreditur sanguis in maribus ac in fœminis, per os erumpens. Si vomitus sanguinis menstrui fit sine omni venarum

*Philosophi sublimiora sapere debent.*

rum

rum rupturâ in subjecto fœminino; quare de eo aliter judicamus in subjecto masculino? Quod fatuis mulierculis satis faciamus de re aliqua ineptè & fatuè judicantes; Tamen non satisfacimus nostro officio, titulo & veritati. Scire enim est rem per causam, non fictam sed veram cognoscere. Una eademque est causa quoad speciem motus sanguinis quotidiani, menstrui, annalis in subjectis omnibus utriusquè sexus; sive moveatur intùs in venis, sive inde prosiliat: Quamvis certa quædam membra in sexu utroque varient, non tam motui sanguinis conducentia quàm ejus excrementis excernendis, vel recipiendis destinata, intus & extra. Quandocunque movetur sanguis motu vel ordinario vel extraordinario, nulla fit inde mutatio vel læsio continuitatis venarum & arteriarum; sed saltem ea quæ in sanguine aliquandiu occulta latuerunt ea revelantur, sive sensibilia fiunt ex insensibilibus. Ruptâ venâ per externæ causæ violentiam, vel sectâ, prosilit quidem sanguis ex vulnere hiante;

*Causa eadem sanguinis motus omnis.*

*Sanguis erumpit sine læsione continuitatis venarum.*

Sed

Sed non ſequitur, venam aliquam rumpi oportere ſanguine per os largius effluente; nam hic à principio intrinſeco & in maſſa ejus hærente intumeſcens, per hiatus & ductus venarum vel arteriarum foràs fertur, ſine omni continuitatis læſione; ſive per quos meatus fuligines ex arteriis exſpirant, aerque in locum eorum ſuccedit; per eosdem & ſanguis ebulliens erumpit. Dum enim ſanguis generatur ex non ſanguine, tum maſſa ejus augetur à parte unâ; ſed à parte alterâ, ſanguinis portio illa quæ aliquandiu ſanguis fuit, maſſæ ejus decedit, & vel vapor fit, vel humor excrementitius; ideò ſanguis eſt in motu continuo, atque per intervalla ſe ipſo fit tum major tum minor; nomenque ſanguinis cum forma, vel induit vel exuit: atque hinc cordis, arteriarumq; ſyſtole & diaſtole principium trahit; Hinc famis & ſitis reciprocatio. Quod verò ſanguis in vaſis ſuis venis & arteriis moveatur, hìc vehementius, illic tardius; id non à calore vel frigore fit; Sed unde calor vel frigus, inde quoquè ſanguinis

*Sanguis in continuo motu.*

*Sanguinis motus non à calore.*

nis tum celerior tum tardior motus. Impetus animæ in ſanguinem, cauſatur in ejus maſſa omnes motus, vel formas heterogeneas quæ ex homogenea ejus maſſa prodeunt; ſive quod ex vaporibus carnes, oſſa, humores; & vice verſa ex humoribus, carnibus, oſſibus, &c. vapores generentur. Humores quo ſalſiores, eò ſunt quoquè diviſibiliores; in ſale enim abſconditi ſunt omnes ſaporum, ponderumque ſpecies; calorum, frigorumq; differentiæ. Dum enim ſal dilatatur, tum calorem & ſaporem pro comite habet & indice conatus ſui; dum in ſe ipſum coarctatur, tum per frigoris & ponderis indicia ſe prodit. Dum ex puncto centrali latius exporrigitur, tum non friget, ſed cum augmento motus incaleſcit, donec omninò in vaporem reſolutus exſpiret per pulmonem, cum aliis vaporibus. Dum verò ex vaporoſa conſiſtentia in humoroſam, vel terreſtrem & ponderoſam deſinit, tum ſe frigore prodit, aut pondere; ſuis quibus ſignaturis deorſum in pedes præcipitatur, ad extremitates

*Humores ſalſi contagioſi.*

*Frigoris & caloris cauſa.*

manuum vel pedum, vel per interiora ſanguinis emunctoria expurgatur cum fæcibus alvi, aut cum urinæ. Hepar calidum, vel frigidum dicitur non ob calorem vel frigus propriè ſic dictum, illius parenchyma occupans, ſed propter humores valdè ſalſos per emunctoria hepar penetrantia effluentes ad inteſtina. Non ſemper autem vapor ita attollit ſanguinem, ut terminis arteriarum vel venarum contineri nequeat, & foras proſiliat, ſemper tamen in quantum ejus vaſa diſtendit, quæ flacceſcunt fuliginibus vaporoſis egreſſis, & aëre eis ſubſtituto per inſpirationem attracto. Niſi enim vapores ſanguinis maſſam attollentes exſpirarent ſæpius, non poſſent novi ex ſanguine generari; vel ſi plures generarentur in ſanguine ſimul, quàm unâ vice exſpirant, tum ſuffocaretur homo, ab internorum vaporum mole obrutus. Nec etiam omnes vapores ex ſanguine ſolius exſpirationis beneficio exhalant; vel per ſudorem & inſenſibilem exſpirationem evacuantur; ſed quædam earum quoq; portio

*Hepatis caloris cauſa.*

*Vapores alii exſpirant, alii in humores coagulantur.*

per

per confluxum in humores coagulatur variæ consistentiæ, qui postmodum in intestina prolapsi, & fæcibus permisti, unà cum illis per monoculum excluduntur; Iterum pars eorum quoq; una deorsum ad extremitates manuum & pedum præcipitata, in unguium desinit substantiam, vel in callos, clavos, verrucas mutatur. Ideò non semper adeò intumescit sanguis in venis & arteriis, ut foras prorumpat; sed sæpius uti mox intumuit, ita mox detumescit; atque hoc modo tum excrementis in orificiis emunctoriorum hærentibus stimuli adduntur ad egrediendum, & novis vaporibus generandis optima occasio. Nulli autem vapores vel humores in sanguinea massa sub homogenea ejus forma latentes, minores sunt quoad quantitatem extensivam, vel magis uniti & in se ipsos contracti, quàm qui sunt mineralis & metallicæ naturæ consortes; Tamen nulla sunt in corpore nostro ita contagiosa vel divisibilia, & communicativa sui materialiter, quàm tales vapores & humores; Nam granum

*Minerales humores maximè contagiosi.*

eorum vel gutta una, per multas libras vaporis vel humoris alicujus est dissipabilis; Ideò à vaporibus talibus maximè periclitatur homo, & molestatur sanguis; præsertim si cum pondere sapores quoque illis permisti fuerint; Ex talibus vaporibus ortum trahunt Epilepsiæ, Apoplexiæ, Vertigines, Bubones, Carbunculi, Exanthemata, & abscessus omnis generis. Minerales enim virtutes, quæ in talibus vaporibus excellunt, ob summam eorum divisibilitatem, venenati, maligni, pestilentes, contagiosi, dicuntur & sunt; Signaturæ autem eorum, occultæ qualitates, quia citius lædunt, & tragœdiam suam absolvunt, quam sensus eos deprehendere possit in fieri. Si autem in principio statim se prodant, tum diuturni valdè indè sequuntur tumores, ulcera, fistulæ, carcinomata, aliaque incommoda, carnes & ossa depascentia, sine manifesta sanguinis deperditione; Præsertim si ex sanguine oriantur in ramis à trunco iliaco descendentibus, contento; si verò in venis superioribus, tum sanguini utriq; & arteriosi

rioso & venoso noxii sunt, suarumq; tincturarum materialium portionem subtilissimam & nervis infundunt, unde sensibus & sensoriis magna iminet molestia, cæcitas, surditas, olfaciendi, gustandi, membra movendi impotentia: alii denique & plures & vehementiores affectus; pro diversitate saporum salis in massa sanguinea prædominantis: A vaporibus surgunt tales incommoditates, etiam citius quam humores fiant; In humorem autem degenerantes, non ita pluribus membris sunt metuendi, sed uni alicui; nec etiam sensui, sed sensorio; non in nervis, sed extra nervos prolapsi abscessum faciunt, membro patienti valdè periculosum; hic omnes oculorum affectus, vulgò notissimi, trahunt originem, ad quos curandos circumforaneorum adhibetur opera, horum maximo lucro, sed patientum maximo periculo. Sicuti autem extra nos unus vapor vapori, humor humori, pulvis pulveri, vel vapor & humori & pulveri, vel alicui corporeitati solidiori quoque, potest esse, vel esse deprehenditur

*Vapores quorũ morborum causa.*

*Vapor vaporem pellit.*

ditur irritativ⁹ ad motum vel quietem; E.g. Spiritus Vitrioli, oleo ♀ ☿ omnibus metallicicis corporeitatibus, maximè autem argento & auro; Idem eodem modo contingere solet & in corporeitatibus animalibus; nam nihil est magis activi in nobis, quàm vapor; hic enim solus, omnes humores ita attollere & irritare potis est, ut intumescant seque ipsis majores facti terminis prioribus contineri nequeant, sed foràs erumpant pro diversitate impetus vaporosi in eos irruentis. Nulla autem contenta corporis nostri adeò sunt obnoxia tali motui, quam massa sanguinis tàm venosi quàm arteriosi; quia in sanguinis chao latent seminales rationes omnium specierum terrestrium & mutabilium, ab affectibus animalibus, ad virtutes usque metallicas; Ideò jam ab illis, jam ab his patimur varias impressiones, jam animo, jam sensui, jam sensorio, jam sanguini ipsi, jam excrementis molestas; jam toti corpori, jam uni alicui membro, vel membri parti molestiores; jam caput gravantes, jam manus,

*Sanguis seminalium rationum chaos est.*

nus, vel pedes ſyderantes; Jam imaginationem variis imaginibus jucundis vel triſtibus exercentes,&c. Non opus eſt,ut venâ ſemper ſecetur in ſanguinis profluvio proritando; multa enim habent emunctoria & venæ & arteriæ, quæ ſunt hiantia; vel quorum orificia ab aliis hiantibus excipiuntur; ut ſicut ex venis vapores vel humores exſpirare vel effluere; ita extrinſecus in venas & arterias influere quid poſſit. Quomodo alias aër per inſpirationem attractus venas & arterias ingredi poſſet, vel ſubſtitui fuliginibus indè exſpirantibus. Non eſt itaque ulcus vel aliquod, quod ſanguinem vel ſaniem in ductus communes influit, à ſe ipſo ruptum, ſicuti ita multos de ſanguinis profluvio philoſophantes audimus; ſed vapores ſunt in ſanguinea maſſa nati, qui magno impetu erumpentes ſanquinem ſimul trahunt, per vias & ductus communes, ſine omni continuitatis læſione; Quod verò non ſolus ſanguis erumpat recens & ſyncerus, ſed ſæpè cruenti, vel purulenti quid, & peſſimè olentis? id tale

*Ulcus nullum cauſa hæmorrhagiæ.*

non ex ulcere derivatur, ſed ex primis emunctoriorũ orificiis; quod illuc vapor extra venas protruſit debilior quàm ut id omninò foràs propuliſſet; interea temporis autem ſanguis illic hærens computruit, & vel in pus fœtidum, vel in ſaniem mutatus eſt. Errant itaque valdè, qui ex ulcere, vel apoſtemate rupto ea effluxiſſe putant intus, quæ ſæpè ab ægris per vomitum, ſcreationem, urinam, matricem, fæces alvi ſubitò excernuntur. Turpius autem errant illi, qui parenchyma hepatis vel pulmonis, vel evomi, vel mingi, tum ſibi tum aliis perſuadent: Quamvis tales reddant ſuæ opinionis rationes, quæ cum authoritate plurium conſentiunt, & quibus acquieſcunt multi etiam non contemnendi viri, qui naturalium mutationum in ſanguine fientium, earumque modi & cauſarum conſcii non ſunt; quia officii eorum non eſt talium ſcrutinio occupari. Infantes & provectioris ætatis, & tenerrimæ, ſolent hoc incommodo, ſanguinis effluxus per ſedes, ſæpiſſimè infeſtari; rarius autem ſanguinem vomunt

*Parenchyma pulmonis non poteſt exſpui.*

*Quare infantes ſanguinem cacant, non vomunt.*

munt quam cacant; Quia in venoso sanguine est peccantium vaporum vitium, non in arterioso; nec etiam in venosi sanguinis massa integra, sed saltem in venis à ramo iliaco ascendentibus; Solet autem magnus quoque vomendi conatus cum tussi vehementiori infestare infantes, qui tamen impetus sedatur solius lactis ex stomacho ejectione; ita ut laxatis interioribus vapores in venis contenti subsideant; Dum autem sanguis per venas mesenterii ad intestina prolabitur, tum illic vel generationi vermium commodam objicit occasionem, vel in pus commutatus, aliisque alvi fæcibus permistus per monoculum egreditur, non tamen sine omnis doloris sensu. A vermibus autem multos quoque excitari noxios vapores, persuadent credulis mulierculis multi Medici, ita ut illæ nihil magis sint sollicitæ, quàm de solis vermibus ex corpore eorum pellendis, & in eam rem conducentia ipsis obtrudant medicamenta; quos tamen potu frequentiori, eoque diuretico reficere deberent, majori eo-

*Vermes in intestinis unde.*

rum commodo & feliciori eventu. Sed ego hic non adsum, ut omnes errores Medicorum corrigam; id enim est nunquam futurum; saltem ut prudentioribus satisfaciam, qui scilicet cavent errores, & tamen porrò vel ignari errant vel inviti.

## Caput IX.

### *De Sanguinis Vomitu, cruentaq; vel Purulenta Screatione, ejus causis modoq; & incommodis.*

MAre ad cujus alveum omnes aquæ fontanæ & pluviales deferuntur, ex præstituto Creatoris, in eo per confluxum terram siccam pariturae, citius quàm omninò confluant, & limus vel terra fiant, vel sub humorosâ adhuc specie; variis sunt obnoxiæ mutationibus, jam intumescunt; jàm detumescunt; jam à littoribus, jam ad littora fluunt & refluunt, jam superbis fluctibus attolluntur, jam quietiores, jam ventis exagitantur; non ubiquè autem sunt littora saxea, vel rupes solidæ & altæ, quæ se ejus

ejus furoribus opponant, terram ab ejus innundatione defensuræ sed sæpè ripæ satis depressæ, molles & arenosæ id præstant. Ita cibi & potus à nobis comesti & bibiti, caro nostra, ossa & membra futuri, citius quàm id fiant vapor sunt, & ex vapore sanguis sive humor fiunt; plurium iterum non saltem vaporum, & humorum, sed solidiorum quoque corporeitatum ferax; citius autem quàm fiant quod esse debent, formam quam prius habuerunt deponunt, & novam eamq; variam pro diversitate locorum & temporum induunt. Humor autem ille, sanguis dictus, donec adhuc & nomen & formam sanguinis habet, variè in venis & arteriis agitatur, fermentatur digeritur, attollitur, deprimitur; vel ut scholæ medicorum docent, interdum utilis est, interdum quantitate, interdum qualitate, interdum utroq; modo peccat; Iam in arterriis, jam in venis; mox in superioribus eorum ramis à trunco iliaco ascendentibus; mox in inferioribus à trunco eo ad femora & pedes propendentibus; Jam ad vires, jam

*Sanguis ex vapore nascitur.*

jam quoad vasa. Jam vomitur, jam cacatur, jam mingitur syncerus; jam per nares stillat; jam per hæmorrhoides venas; jam per uterum copiosior aut parcior effluit; jam venas in cruribus arrodet inde erumpens cum impetu; jam phlegmones jam erysipelata producit, vel pedes sphacælat &c. Tales mutationes sanguinis nobis, maximè autem, Medicis notæ sunt, omni enim ætati utriusquè sexus valdè sunt familiares; Sed causas earum omnes ex æquo non cognoscimus, sed multi nostrum tales nobis comminiscimur quæ non inter causas, sed potius inter causarum effectus essent numerandæ, si singula secundùm justitiam & veritatem judicarentur. Dum venti ab orientali plaga versus occidentalem spirant, tum majori quantitate & vehementiori impetu aquæ fluviales in mare ruunt; Nullum tamen metuunt maris accolæ periculum innundationis aquarum marinarum suo damno. Sed si ab occidente versus orientem spiraverint venti, præsertim circa novi & plenilunia, tum lo-

*Ventorum differentia.*

ca

ta mari vicina magnis damnis afficiuntur ab aquarum ejus innundatione; quamvis & tardius & parcius aquæ in mare tunc prolabantur, quàm ſpirantibus ventis ab oriente: Vel ſi nullum ſit damnum incolis; tamen magnum infertur aggeribus, impetum aquarum tumultuantium excipientibus. Talis mutationis & maſſa ſanguinis noſtri in venis & arteriis contenti conſors eſt; Id autem in philoſophia noſtra prolixius demonſtrabimus, hic ſaltem breviter de præcipuis ſanguinis exceſſibus philoſophabimur, ſecundùm requiſitum tituli & officii noſtri. Exordium autem faciemus à ſanguinis eruptione per vomitum; vel per os, ſive purus & ſyncerus inde proſiliat cum magno impetu, & magnâ copiâ; ſive cruentus & aliqua ſui parte immutatus per intervalla exſcreetur, vel omninò purulentus, & putidus. hujus affectus variæ aſſignantur cauſæ, tum à medicis, tum ab ægris ipſis; & quamvis rarò conſentiant cum rei veritate, tamen facilius eſt compeſcere ſanguinis violentiam, quàm emollire contuma-

tumaciam semel conceptæ persuasionis in animis hominum; quamvis & illud singularem requirat & industrium laborem. Si scholis & communi Medicorum Hypothesi credendum est; Tum sola venarum continuitatis solutio, sive fiat per ictum externum aut per lapsum ab alto; sive ab erosione humoris alicujus acrioris, causa est sanguinis vomitus. An autem hanc rationem medici à vulgo hauserint primum, sicuti multa medicamenta; vel vulgus à medicis, hic non disquiremus, saltem considerabimus an possibile vel verisimile sit sanguinem per fauces & os copiosius erumpentem, vel effluentem non stillantem, ex aliqua vena fissa, aut rupta prosilire; præsertim si vena illa in pulmone aut pectore sita est, à faucibus profundius? Quod excessus sanguinis & in quantitate, & in qualitate, & quoad vires & quoad vasa consideratus, à certis & materialibus & formalibus principiis in sanguinea massa hærentibus, sive occultis, sive manifestis proveniat, id extra omne dubium est; Quæ autem illa sint

*Medicorum Vulgaris opinio de causa vomitionis sanguinis.*

&ubi

&ubi propriè hæreant, an nempè in ſanguine arterioſo, an in venoſo tantùm, an in utroque, an alibi extra venas & arterias; nemo certò ſcire poteſt, niſi primùm ſciat ubi, & à quibus cauſis, quoque proceſſu generetur ipſa ſanguinis ſubſtantia? Ideò ea quæ de re hac ſcire ſunt utilia & neceſſaria, præmiſimus; ut breviori & leviori labore hic probare poſſimus veritatem theſis hujus noſtræ de ſanguinis vomitu, ex ſuperiori hypotheſi. Quæ cum cauſis ſæpè concurrunt; illa erroneo judicio inter cauſas numerantur, cauſæ enim non ſunt, nec cauſarum inſtrumenta, ſed effectus potius vel indicia tantùm. Ideò calor, motus, illegitima diæta, cibi vel potus acriores, immoderatæ vigiliæ, & exercitia Veneris, rerumq; non naturalium uſus vel abuſus, vel parum, vel nihil omninò ad vomitum ſanguinis faciunt, vel ſi faciunt, non niſi occaſionativè, non autem cauſaliter. Nam & illi qui temperatiſſimè vivunt, vel juſtiùs quàm id regulæ medicorum diæteticæ docent, tamen in affe-

***Cauſarum indicia cauſa non ſunt.***

in affectum hunc incidunt: sive vomitu sanguinis, vel purulentorum exscreatione infestantur; æquè ac helluones. Nec etiam sanguis cogitur ex vasis suis elabi solâ multitudine, sed solâ magnitudine; Nam sæpè qui sanguinem vomunt, vel cruenta & purulenta excernunt, comparati cum aliis, fermè exsangues sunt, macilenti, & venas admodum exiles habent depressasque valdè, ita ut extra eorum vestigia vix appareant. *Intumescit itaq; sanguis vel se ipso major fit, non per acquisitionem augmenti ponderositatis suæ, sed saltem magnitudinis; dum videlicet ex humoroso vaporosus fit.* Talis autem fit non à calore; calor talis ejus mutationis non est causa, sed comes & index; Sed certæ quædam seminales rationes quæ aliquandiu sub insensibili specie in massa ejus occultabantur, in sensibilitatem impetum facientes; Nihil autem fit ex insensibili sensibile per subitam mutationem, sed primùm vapor fit, sive corporeitas sine pondere, sensim in pondere proficiens, donec omninò humor fiat, ultimo caro,

*Plethora nō est causa hæmorrhagiæ.*

*Calor hæmorrhagiæ non est causa, sed causæ index.*

os,

os, vel stercus. In primo suæ scilicet generationis ortu; sed in secundâ revolutione, quod aliquandiu corpus fuit soli, dum, grave, humidum, &c. vapor iterum fit per certos gradus omnes ponderositates exuens, donec omninò insensibile fiat, aëri & ætheri simile. Tales mutationes corporeitatum, humorum, vaporum, & circulares revolutiones, non saltem fiunt in corporeitatibus elementalibus, sed & in metallicis, mineralibus, animalibus omnibus, etiam in corpore nostro, maximè sensibiles autem in sanguine, tum venoso, tum arteriosos; Igitur sanguis donec animal vivit est in continuo motu, uterque, semper vaporibus plenus in humorosa sua consistentia, tamen arteriosus venoso vaporiosior; Hic autem arterioso humorosior; Iterum à se ipso diffidens in venarum ramis versus caput vergentibus, & ad pedes propendentibus; nam illic leviora, hic autem graviora sunt omnia; quamvis nec nomine, nec colore ejus substantia ab invicem discrepet hic vel illic, sed uti est homogenea suprà, & in-

*Arteriosi & venosi Sanguinis differentia.*

frà, ita nullus localis hiatus vapores ejus ab humoribus, nec etiam levia à gravibus segregat, sed permista sibi invicem sunt omnia; saltem conatibus discrepant, non quidem voluntariis, sed virtutibus eorum materialibus & seminalibus congruis. Ita & aëris corpus continuum est, nec alicubi vacuum in eo datur; tamen aliæ generationes in eo fiunt suprà, aliæ infrà, aliæ in media ejus regione: aliæ in terris profundis, aliæ in cavernis sublimibus montium; aliæ in convallibus, aliæ in planitie: Alia moventur motu locali recto, supernè deorsum, vel infernè sursum tendentia; alia circulariter; &c. Quodlibet anni tempus, Autumnus, Ver, Æstas & Hyems, imò quælibet lunæ quadra; vel matutinæ, meridianæ, vespertinæ nocturnæ horæ; peculiares habent aëris humorum, vaporum, lucis, tenebrarum, umbrarumq; mutationes; imò nullum est loci adeò exiguum spatium vel temporis particula, quæ non diffideat ab altera suis signaturis. Orientalia, Occidentalia, Meridionalia, Septentrio-

*In Aëre non datur vacuum.*

trionalia, montana, convalles, planities, umbroſa, aprica, arenoſa, limoſa, ſpecies à ſpecie, individuum ab individuo, ſexus à ſexu, imò membrũ à membro, & pars una membri ab altera diſſidet, extra nos, certis indiciis & ſignaturis; ſic & arteriarum venarumq; contenta in nobis; vapores & humores, vaſa denique ipſa, & vaporum, & humorum: Sicuti autem aquæ marinæ, à fluvialibus & fontanis; Vivæ, à ſtagnantibus diſcrepant, vel nebulæ à nubibus; Lumen Solis, à lumine Lunæ; ſic vapores à vaporibus, ita & humores ab humoribus. Et quamvis tales mutationes vel diſcrepantiæ, vaporum, humorum, ſiccitatum, humiditatum, motuum, &c. alibi ſint ſenſibiles, alibi non; alibi minus, alibi magis, &c. tamen omnium eſt eadem ratio; ubique fiunt ſecundum eosdem ordines & gradus; ab uno fit exordium motus, in uno terminatur cujusq; numerationis finis; illud dicitur primum in ſuo ordine, hoc ultimum; nullus tamen eſt hiatus vacuus inter ultimum primæ vel præteritæ, vel pri-

*Vaporum à vaporibus differentia.*

*Unum eſt primum, unumq; ultimum.*

mum præſentis & creſcentis numerationis; ſicuti ſoni ſonis, ita ſapores ſaporibus, odores odoribus, colores coloribus, pondera ponderibus ſuccedũt, donec cum nomine & formam amittant ſuperioris, vel acquirant inferioris ordinis; Ita variant omnes motus vaporum & humorum cujuscunq; nominis vel formæ in nobis quoque, in nervis, in arteriis, in venis, in ſanguine, in membris, in carnibus, in oſſibus, in cartilaginibus, in oſſium medullis, &c. Nos hic de ſanguine ſolo ejusq; hæmorrhagiæ, vel eruptionis ex venis & arteriis cauſis acturi ſumus. Intumeſcere & detumeſcere ſanguinem utrumq; jam probavimus; Tamen motus ille in ſanguine venoſo adeò manifeſtus non eſt, qualis eſt in arterioſo; nam hîc, moventur vehementiùs omnia, & ea quæ vaporoſa ſunt vel fiunt; & illa quæ humoroſa; in venoſo autem omnia tardius & mitius; ideò tactus non judicat de motu ſanguinis venoſi, ſed ſolùm arterioſi, ex pulſus varietate; quamvis venoſus nunquam ſit ſine motu, quousq;

*Motus ſanguinis venoſi occultior, quàm arterioſi.*

usq; animal vivit; Vapores Orientales sunt alii, alii occidentales, alii meridionales, alii septentrionales, &c. non saltem extra nos venti, sed & in nobis; Sunt & alii nocturni, alii diurni, alii matutini, alii vespertini: sive tanta est varietas vaporum in nobis & humorum, quanta extra nos ventorum, nebularum, nubium, pluviarum, fontium, aquarum fluviorum, stagnorum, &c. Quanta est autem discrepantia operationis ventorum extrà nos, qui pluvias discutiunt, qui nubes conglobant, qui eas dissipant, qui pluvias pariunt, nives, grandines, tonitrua; Totuplices sunt quoque & vapores in nobis. Meridionales & occidentales sunt fertiles humorum & pluviarum; Orientales & septentrionales serenitatis authores; Illi diluvia & inundationes aquarum causantur; Hi aquas ad mare cogunt, vel eas glacie incrustant; Tanta est quoque discrepantia vaporum in corpore nostro. Quo autem Lectores sensum animi mei assequi possint, ecce explicabo meipsum, ut sciant per quæ indicia ego

*Vaporum varietas.*

vapores à vaporibus localiter distinguam,& singulis peculiares virtutes imputem,quemadmodum venti extra nos discrepant. Orientales vapores in nobis sunt illi,qui primum ex cibulentis & potulentis materiis halant, extraq; cerebrum & nervos, deprehenduntur nullibi. Meridionales sunt, qui in sanguinem, alios denique humores utiles coalescunt; alii qui carnes fiunt & ossa Septentrionales, qui fiunt excrementa, per suas species divisa; Occidentales autem, qui ex fæcibus vel excrementis, gravibus; ponderosis in extremitate manuum & pedum quiescentibus regurgitant sursum, & sanguineam massam suis tincturis inquinant; atque hi inter omnes sunt periculosissimi & perniciosissimi toti sanguineæ massę, omnibus ejus emunctoriis, omnibus deniq; membris; Hi soli sunt vapores illi, qui sanguinem, quem contingunt ex vasis suis erumpere cogunt, si violentius in eum irruant; Omnes vapores faciunt intumescere sanguinem, quibus per exspirationem evacuatæ arteriæ & venæ, detu-

*Vapores orientales qui in nobis.*

*Meridionales.*

*Septentrionales.*

*Occidentales.*

detumeſcunt; atque hæc eſt reſpirationis utilitas; nam niſi exſpirarent vapores, eorum mole aut pondere ſuffocaremur. *Reſpirationis neceſſitas.* Jam reddidimus cauſam, per quam ſanguis & ordinariò, & extraordinariò intumeſcit, nempe quod vapores ſint, qui vel ſoli foràs erumpunt, vel ſecum quoque ſanguinem trahunt. Reſtat ut demonſtremus & vias, per quas vapores, imò & ſanguis ipſe ex vaſis ſuis ebulliens, foràs feratur: Inſtrumenta reſpirationis, ſive in & exſpirationis quæ ſint, demonſtrant ad oculum Anatomici; quod nempe ſint, Cor, Arteriæq; inde per pulmones ad trachæam usque, vel per aſperam arteriam aſſurgentes, cuj⁹ extremitas in palatum hiat. Senſibiles itaq; ſunt meatus fuliginum ex arteriis, vel vaporum ex ſanguine arterioſo aſcendentium: de eo enim nullus dubitat; *Vaporum meatus ſenſibiles.* Iique adeò; compacti, ut ne hilum quidem vel vaporum exſpirantium, vel aëris introgredientis ad arterias exſpirare unquam poſſit. Quia autem communis eſt Medicorum ſententia de Sanguine qui vomitur, quod

is ex fiſſa, vel eroſa vena aliqua, aut pe-
ctoris aut pulmonis erumpat, & per os
*Vomitus ſanguinis cauſa ex vulgi ſententia.* effluat: Igitur omnes illi, qui id ſenti-
unt; negant ſanguinem per meatus va-
porum ordinarios fluere, dum effluit,
vel vomitur; ſed certas eſſe venas, ex
quibus ruptis, continuitate earum ſo-
lutâ effluit; iterumq; alias, à quibus a-
liundè egreſſus excipitur, & foràs, vel ad
os progreditur; atque ita geminam
continui ſolutionem; unam per quam
*Canales reſpirationis exſangues.* ſanguis effluit; alteram cui influit. Sci-
mus autem vias, per quas vapores ſpi-
rant vel exſpirant, eſſe omninò exſan-
gues, quamvis vapores ex ſanguineis va-
ſis, nempè arteriis iiſq; hiantibus, ad ex-
ſangues illos ductus & propagines arte-
riæ aſperæ deriventur. Sunt autē orificia
venarum vel arteriarum ad impetum
vaporum hiantium, certis munita val-
vulis, ita ut ab eis impediatur ſanguis
cum vapore prodire, niſi ſcilicet impe-
tus vaporum prævaleat illorum virtuti:
Solis itaque vaporibus patet libera via
egrediendi & ingrediendi in corpus, vel
cum ſanguine, aut ſanguini cum aëre
ex-

extrinſeco communicandi, per ductus illos exſangues. Dum verò vapores non alimentales, ſed fæculenti, violentius irruunt in valvulas illas; tum ſecum trahunt quoque ſanguinem, & per easdem vias, quâ ipſi vadunt, ſecum & ſanguinem ducunt, pari motus violentiâ, quo ipſi moventur, ad palatum usque: ſine omni venarum & arteriarum continuitatis læſione, abſente omni rupturæ & eroſionis vulnere, vel periculo. Nam ſi minimum eſſet foramen in viis vaporum; reverà ſubito ceſſaret reſpirationis reciprocatio, & exanimaretur patiens. Quod verò lapſis ab alto ſanguis quoque per os erumpere ſoleat interdum; illa ejus eruptio non arguit venam aliquam, vel arteriam à lapſus violentiâ intus in pectore aut in pulmone læſam vel ruptam eſſe; Imò potius contrarium: nempe integra eſſe intùs omnia, ſed ſanguinem ſolâ corporis concuſſione ex vaſis ſuis proſiluiſſe; nullamque in ſanguineis vaſis intus eſſe continuitatis ſolutionem; Quod ſi à violentiori lapſu nullus ſanguis proſiliat

*Nullum vulnus in ſanguinis vomitu.*

*Sanguis quare poſt lapſum erumpat.*

liat vel supernè vel infernè; tum patiens revera brevi est moriturus, quia interiora vasa nòn saltem læsa, sed omninò fissa & dirupta sunt. Ita si à lapsu vel fæces alvi, vel urina eruperit? salva sunt & intestina & vesica; si verò non, tunc metuendum est, hanc vel illa lapsu rupta esse. In talibus casibus non est audiendum judicium vulgi; nec eorum etiam Medicorum, qui toti ab authoritatibus aliorum pendent; sed Ratio sola est consulenda; vel ex pluribus collatis simul, solidissima est multis præferenda. Mortuis interdum, strangulatis, suffocatis, solet quoque ex naribus vel faucibus manare sanguis; interdum purus, interdum aliis quoque humoribus permistus; non quod in ipsis aliqua vena rupta sit; sed quod sanguis interrupto voluntariæ in & exspirationis motu, adhuc à vaporibus intus agitetur & intumescat, atque foras propellatur per ordinarios vaporum meatus. Nam venâ aliquâ aut arteriâ intùs ruptâ, non influeret sanguis in alium ductum, in palata hiantem, nisi & hic ruptus esset;

*Urina post lapsum ab alto erumpẽs, bonum.*

sed

ſed nec ſic efflueret per os,ſed & in concavitatem læſæ cōtinuitati proximam; Diximus breviter, Amice Lector, à quibus cauſis, & per quas vias propellatur vel progrediatur ſanguis per vomitum erumpens; Adhuc reſtat, ut de cruenta, vel purulenta Hemoptoicorum exſcreatione, affectu admodum lento,moleſto,turpi & periculoſo ratiocinemur; Illi qui ſemel ab internis cauſis in affectum eum devolvuntur,ut ſanguinem vomant, finito ejus vomitu, qui ſæpe mox ceſſat,non tamen im̃unes manent ab ejus recidiva, ſed ille communiter circa dies novi & plenii lunii recrudeſcere ſolet, cum æſtu maris, quem nautæ communiter Springſluth nominant: Non quod luna eos motus cieat vel moderetur, hic vel illic; ſed quod luna,mare, & ſanguis valde ſimul conſpirent; de qua mutua eorum affinitate plures rationes reddemus in Philoſophiæ noſtræ ſacræ Tomo. 1. lib. 1, cap. de Mari. A vomitu autem ſanguinis patiuntur ægri aff. ctum alium, uti diximus quem vomicam pulmonum nomi-

*Purulenta excretio unde.*

*Vomica pulmonum in Hemoptoiſi nulla.*

nominant Medici; ab exulcetato pulmone procedere existimantes, ea quæ cruenta vel purulenta & putida exspuunt patientes, cum majoris vel minoris tussis violentia. Imò sunt multi qui parēchyma ipsum hepatis aut pulmonis per palatum exscreari pronuntiant, à tali affectu præditis: ideò vocant affectum illum **das Lungen-und Leberspeyen**; cujus affectus indicia & ex urinæ sedimento capiunt. Ita quidem est quod per os sæpè prodeat massa quædam parenchymati hepatis vel pulmonis non absimilis; tamen eam pro ipso parenchymate alterutrius visceris habere velle, erroneum omninò est, quod nulla sana ratione defendi potest. Ipsissima enim est sanguinis substantia vi vaporis intrinseci ad alterutrum ventriculum cordis propulsa, quæ illic concreta est, modo quo sanguis in terram prolapsus concrescere solet, in similitudinem parenchymati hepatis rubens, fibris striata intus, quæ ramenta venarum repræsentant. Quia autem longius interdum illic hærere solet, ideò illius moræ occasione colo-

Lungē speyen falsch.

rem

rem mutat, ita ut post pulmonis substantiæ similior appareat quam hepatis; quem livorem ei conciliavit putredinis exordium. Nec etiam omninò innoxia vel insensibilis est ejus in cordis cavitate mora, sed patienti valdè molesta, cordis substantiam pondere gravans, quod non nisi vaporibus pervium est; in & exspirationisq; difficultatem efficiens, quousque violentior vapor in cor irruens, eam non sine magno suffocationis periculo & conatu patientis, ad trachæam, & per consequens ad palatum usquè propellat. Quod verò & fœteat valdè foràs egressa, vel adhuc intus hærens suo fœtore halitum per exspirationem egredientem inquinet? Non mirum est; fœtent enim communiter putrescentia omnia: fœtoremque suum spirant & ad longè distans; Ita sæpè odor fæcum in pedibus putrescentium vapores ordinario per pulmonem exspirantes suo fœtore inficit; quid vetat igitur quod idem in corde putrescens massa ad brevius distans efficiat. Putrescere autem interdum vel exulce-

*Fœtor sputi unde.*

rari

rari parenchyma pulmonis non negamus; sed saltem inficiamur parenchyma vel hepatis vel pulmonis per os ejici posse; Nisi demonstrentur nobis ad oculum ductus sensibiles & manifesti, per quos putrescens materia crassa & cruenta & purulenta ad os ferri possit; Parenchyma autem pulmonis non intùs in venis est; sed suâ substantiâ omnes illos ductus ambit qui hiant vel versus cor, vel versus asperam arterium, ejusque extremitatem gulæ vicinam. Quod si verò occasione putrescentis & exulcerati hepatis, erodatur, vel alicujus venæ, propaginis arteriæ asperæ continuitas solvatur, tum subitò exanimatur patiens; nec posset adeò longè continuare affectus illæ, purulentæ vel cruentæ exscreationis, uti communiter fit, ita ut & patientibus ipsis tædium vitæ conciliet. Sed hæc breviter de sanguinis vomitu, cruentorumq; & purulentorum per os exscreatione dixisse, prudentibus sufficient; plura ipsi suo judicio dictis addere scient: nos quoq; plura in sequentibus dicemus.

*Apostema intus ruptũ lethale.*

CAPUT

## CAPUT X.

## *De Sanguinis Cacatione, vel per Sedes fluxu.*

A Quibus causis & per quas vias sanguis propellatur vel manet dum vomitur syncerus; aut exscreatur per os cruentus & purulentus; demonstravimus breviter: in capite superiori; idem & hic faciemus de ejus per sedes, vel per monoculum, synceri, aut purulenti excretione. Quod sit maximâ ex parte arteriosus sanguis ille qui vomitur per os docuimus supra quoque; sive quod plures sint arteriæ, sed exsangues quàm venæ sanguineæ, cordi infixæ ad interiores ejus capacitates hiantes, ita & ex pulmone ab aspera arteria versus cor propendentes propagines, per quas fuligines ex sanguinis arteriosi massa continuò exspirant; benè se omnibus intus in nobis habentibus. Habet itaquè & sanguis venosus, sua quoq; emunctoria, quorum beneficio ille suis se tum vaporibus tum humoribus ordinariis exonerat, *Venosi sanguinis emunctoria.*

rat, ad inteſtina communia. Nec tamen omninò humoroſus eſt, ſed ſuos quoq; intus vapores habet à quibus agitatur; ſed arctius humoribus permiſtos, quàm vapores arteriarum eorum ſanguini permiſti ſunt; Sæpius enim, imò continuò, fuligines ex corde absque ſanguine tamen, per emunctoria arteriarum ſpirant; Ita continuò quoque humores ex venis ad inteſtina prolabuntur, non tamen proprii ponderis virtute, ſed ſimul vaporibus permiſti, ex maſſa ſanguinis erumpentibus. Nullus autem datur ſenſibilis & manifeſtus meatus ex venis ad inteſtina propendens, cujus orificia ab inteſtinis exciperentur hiantia, quàm venæ meſaraicæ dictæ; Igitur per venas has omnibus ſuis excrementis ſe exonerat ſanguis venoſus, ſicuti bile, per ductum biliarium dictum; quamvis alii officio à Natura dicatas eſſe venas illas ſentiant & doceant Medicorum plurimi. Sunt autem meſaraicæ venæ multæ, numerum autem earum certum nullus hucusque Anatomicus reddidit: Aliquæ tamen earũ inſeruntur

*Venarum meſaraicarum uſus.*

duo-

duodeno; aliquæ jejuno; aliæ ileo, aliæ cæco; ultimæ inteſtino illi quod Colon dicitur; Aliæ iterum ab hepate, aliæ à liene ad inteſtina propendent; quidam earum ductus verſus ſtomachum feruntur, vel in ejus concavitatem hiant; ſi Anatomicis credendum eſt, qui humorem quendam acidum ei inſtillant, ad acuendam ejus digeſtionem. Non itaque à venis meſaraicis incipit ſanguificatio, ſed illic potius terminatur à Parte illa; ſicuti ab altera in carne, oſſibus, & cute. Non enim ab hepate incipit nutritionis actus, ſed à cerebro; atque tunc dum quietantur famis & ſitis deſideria, quæ prius valdè moleſta fuerunt ea patientibus. Quæ ex ſtomacho poſt evaporationem ſubtiliſſimorum vaporum per pylorum ad inteſtina ejiciuntur, ea nihil amplius ſucci nutritivi habent, ſed pura puta ſunt ſtercora; vel ſi aliquid utilitatis habent, ex ſtomacho egeſta, revera nihil pro membris aliis, quàm pro ſolis inteſtinis. Illa autem quæ in venis meſaraicis continentur, vel illic diſſecto cadavere appa- *Contenta meſaraicarum quid.*

 rent,

rent, illa non ex intestinis eo ascenderunt sursum suctionis eorum actu attracta; sed ex venis eo propulsa, vel prolapsa sunt, porrò cum fæcibus alvi expellenda; contenta autem venarum mesaraicarum æquè sunt inutilia ac stercora alia, mox noxia futura nisi maturè loco cedant excrementis aliis ex venis eis successuris. Si enim ductus biliarius dictus, non sugit bilem infernè, sed eam supernè in vesiculam ejus hepati adnatam excipit, deorsumque ad intestinum ileon porrò amandat: per quam rationem aliæ venæ sugere dicuntur, cum tamen ductus hic non sugat sed vomat bilem versus intestina: Quis non miraretur, si venæ aliæ præter bilis ductum, sugerent ex intestinis chylum, quod non inde sugerent & bilem, quæ illic æquè est ac ea, quæ inde venæ mesaraicæ sugere dicuntur. Si venæ mesaraicæ sugunt succum ex intestinis in sanguinem convertendum; idem erit & eorum officium ante, quod post enixum ex utero fœtum, si verò fœtu adhuc in utero hærente exonerantur per eas

venæ

venæ ſuis excrementis ad inteſtina! tum idem agunt & poſt, quamvis poſt per os ipſis ſuppeditantur nutritionis ſpirituum fomenta; quæ ipſi in utero non per os, ſed per vaſa umbilicalia hauſerunt. In venis enim fœtus recens nati, æquè venæ illæ turgent ſuccis intùs ac poſt, dum eum ex inteſtinis gracilioribus ſugere dicuntur: Undè igitur ille ſuccus tunc ab eis attrahitur, cum nihil ſit, quod ex ſtomacho ad inteſtina egeratur; quia in ſtomachum nihil per os demittitur, quod inde iterum excerni oporteat? Nemo eſt qui nos arguere poſſit temeritatis, quaſi inquiramus in rem dubiam, vel omninò falſam; nam certum eſt, multos patientes cacare ſanguinem, & quamvis interdum multi ab eo affectu liberentur, vel ſpontè ſubſidente, vel artis beneficio; tamen nemo inficiari poteſt Medicorum, ſanguinem ſyncerum & verum cacari, vel per monoculum ſolùm, aut aliis fæcibus permiſtum egeri. Igitur hic ſaltem nobis demonſtrandum erit, à qua cauſa ille ſanguinis fluxus per inteſtina proveniat, & *Quæ cauſa ſanguinis cacationis.*

per quas vias ex venis ad inteſtina prolabatur? Senſibiles eas autem eſſe oportet; nam & maſſa ſanguinis eſt ſenſibilis, craſſa & ponderoſa, quæ ſine læſione continuitatis nullatenus penetrare poteſt ex vaſis ſanguineis ad communia inteſtina prolabens; Sanguinem propriè ſic dictum, omnes humores in maſſa ſua complecti, qui inde naſcuntur; audivimus in ſcholis Medicorum; Si igitur ſanguinis maſſa omnes humores, bilem, pituitam, melancholiam, &c. complectitur; id ei imputandum erit adhuc in vaſis ejus naturalibus hærenti; nempe in venis & arteriis, eorumque propaginibus capillaribus. Sed arterias verſus inteſtina hiare, vel verſus hepar; nullus id unquam docuït Medicorum; Igitur ductus concavi hepar perreptantes, non arteriarum, ſed venarum ſunt rami; ſi autem venarum? ergò & ex venis ſolis ſanguis, vel multus vel paucus progreditur, ſive omnis qui cacatur; Sed per quas vias id fit? per ductum biliarium non; Nam hunc ſolum bili evacuandæ eſſe à Natura deſtinatum,

ſen-

ſentiunt & ſenſerunt omnes, qui unquam de uſu partium ſunt aliqua commentati; Quoniam autem non ſola bilis tantum cacatur, ſed plures alii humores quoque; Per quem igitur ductum ex venis humores illi egrediuntur, ut ad inteſtina prolabi, aliisq; excrementis miſceri poſſint? Ex ventriculo nullus ſanguis in inteſtina prolabi poteſt, quia nullus illic eſt; Imò ſi ipſisſimus ſanguis edatur vel bibatur per dies aliquot, tamen ſub ſanguinea forma vel nomine inde non egreditur, ſed in fimum commutatus; ſicuti alia eſculenta & potulenta nulla, tali formâ egrediuntur, quali ingreſſa ſunt; Nec etiam ſanguis in inteſtinis generatur, vel generari poteſt, talis qualis cacatur; Neceſſario itaque ex aliquo alio vaſe prolabi debebit in monoculum ſi non ex ventriculo; nec etiam in inteſtinis ſanguis factus eſt; ſed nullibi datur ſanguis, niſi in concavo venarum & arteriarum, earumq; propaginum; nec etiam aliquis datur meatus hians ad inteſtina ex venis, niſi venæ meſaraicæ di- *Sanguis venoſus cacatur.*

ctæ. Quod verò ſentiant multi ex ulcere inteſtinorum eum naſci; vel ex aliquo apoſtemate rupto ad inteſtina, vel monoculum detrudi: id erroneum omninò eſt; Nam poſito quod ulcus, vel apoſtema aliquod in inteſtinis naſci poſſet; Impoſſibile tamen eſſet, ut tanta copia ſanguinis inde naſceretur, quantam cacant ægri ſæpius: Nec ægri tantum, ſed etiam benè valentes; Filius meus biennis cacavit ſanguinem per aliquod ſeptimanas continuò, ſine ullo ægritudinis indicio, nec aliud ſenſit incommodum, niſi frequentem dejectionem. Poſtquam autem ceſſaſſet cacare ſanguinem, purulenta quædam alvi fæcibus permiſta, dejecit, ultimo vermes eruperunt teretes & oblongi; tandem, ſit Deo Laus, nihil incommodi in corpore ſenſit. Si autem ab ulcere vel apoſtemate inteſtinorum derivatus fuiſſet ſanguis ille, reverà nec adeò diuturnus, nec adeò mitis fuiſſet futurus affectus ille, quem infans biennis ſine lacrymis tolerare potuiſſet. Sed nemo unquam vidit intus in inteſtinis ulcus aliquod,

*Apoſtema in inteſtinis nullum.*

aut

aut apoſtema; quicquid deliret fatuum vulgus; quamvis inteſtina ſint obnoxia multis, variis, iisque valde gravibus torminibus: ab humoribus ſalſis, qui in ea ex ſanguinea maſſa valdè multi interdum excernuntur; Non autem per alias vias, quàm eas ipſas, per quas eò ex venis, vi alicujus purgantis medicamenti, vel pituitoſus vel melancholicus humor præcipitatur, ex articulis manuum vel pedum, vel ex hepate, aut liene, uti perſuadent Medici, attractus: Nam humores, cujuscunque ſaporis, odoris aut coloris ſint, ſive ſint bilioſi, ſive pituitoſi, ſive melancholici, ſive febriles, ſive epileptici, &c. humores tamen ſunt, aut malè agunt Medici, quod aliquid humorem nominent, cum tamen humor non ſit; ſunt corpora gravia & ſenſibilia, quæ ex venis exſpirare nequeunt ad exitum virtute medicamenti irritata, ſed per ſenſibiles eosq; concavos meatus moveri debent, & ad ſua propria, & ad communia emunctoria feſtinantia ex ſanguine; Hi autem nulli alii ſunt, quam venæ meſaraicæ; De bile id ne-
 gare

gare non audemus; quia manifestus est ductus ejus biliarius dictus: Quia autem & omnes alii humores, æquè ac bilis, sensibilem habent consistentiam ex massa homogenea sanguinis exclusi, igitur & per sensibiles ductus ferri debent ex uno vase in aliud, sicuti bilis, aut penetratio corporum non est neganda. Quomodo autem verificare possent Scholastici sententiam suam de sanguine, cujus substantiam non saltem ex humore eo constare docent, qui propriè sanguis dicitur, sed ex aliis pluribus, quorum singuli à sanguine & nomine & forma discrepant, nisi sanguis actu fermentationis heterogeneos illos humores, sive virtute propriâ, sive subsidio medicamenti Chologogi, Phlegmagogi, &c. à se ipso tum singulos ab invicem segregaret & excerneret. Stat itaque sententia, sanguinem eum, qui sæpè cacatur, non in intestinis nasci, ab aliquo ulcere vel apostemate; nec etiam eò, sive ad intestina, aliunde derivari, quam ex ipsissimis venis; Nec etiam per aliquos insensibiles meatus, sed per venas

*Sensibiles via vaporũ omnium & humorum sensibilium.*

*Sanguis venosus est qui cacatur.*

venas mesenterii, pari modo, quali bilis ad intestina ex hepate fertur. Sæpe quidem sanguis ipse, talis qualis in venis est, ad intestina prolabitur; sive sub nomine & forma sanguinis; non tamen semper, nec etiam semper cum æquali impetu, vel quantitate: sed multifarii tantum humores, & nomine & formâ à sanguine discrepantes, qui tamen aliquantò prius sanguis fuerunt; vel à massa sanguinis non discrepabant proprietatibus saporum vel odorum, sed tantum vaporosâ consistentiâ, atq; certo sensibilitatis modo vel gradu, nam fuerant adhuc sub vaporosa vel homogenea forma æquè acres, austeri, acerbi, &c. quales tandem sunt, postquam humorosam suscipiunt consistentiam: quorum sapor non saltem saporem aquæ stygiæ, sed & flammæ æstum æmulatur, nisi superat; substantiamq; vasorum per quæ fluit, vel extra fertur, corrodit, excorticat, abradit & sphacælat, ut omninò usibus quibus inserviebant prius, post adaptari non possint, sed vel putrescant, vel sensu omni orbentur; in-

gentem perpeſſa aliquandiu cruciatum; citius quàm patientem exanimaverint omninò. Tales humores ſæpè in egreſſu ſuo tantum ſæviunt; ſed profundius à venis prolapſi, miteſcunt ſenſim; interdum & in ſtomachum regurgitant, ex venis meſaraicis ad inteſtina graciliora prolapſi. Talem autem eorum mutationis diverſitatem, facilius ab ægris ipſis vel patientibus diſcere poſſumus, quàm ex libris medicorum. Omnes tamen humores qui vaporibus onuſti, vel vapores humoribus annexi, ex communibus vaſis ſanguineis ad venas meſaraicas pertingunt; vel inde ad inteſtina usq; prolabuntur, & vel ſynceri, vel aliis humoribus & alvi fæcibus, permiſti, per monoculum ejiciuntur, non aliunde quàm ex venis, nec etiam per alias vias quàm ſenſibiles, ſive per eas quæ ex hepate verſus inteſtina propendent, atquè deinde per inteſtina feruntur, donec omninò ex corpore excludantur. Nullus ſanguis cacatur, qui ex vaſis ſanguineis ſub tali forma, quali egre-

*Vapores interdum & humores ex venis regurgitant in ſtomachum.*

egreditur, egressus non fuerit; Ideò aliquem ex apostemate vel ulcere intestinorum oriri, qui cacatur, error est. Atq; id ex supra recitatis rationibus liquet. Superest, ut causam quoque demonstremus, quæ sanguinem irritat, tum ut ipse se major factus, extra vasa sua effluat talis, qualis intus est; tum etiam, ut humores alios excernat, vel secũ ex vasis suis rapiat: Sive ut ipse, suæ animæ corporis, ejusque membrorum destructor fiat, Revoca tibi, amice lector in memoriam, ea quæ diximus in capite superiori de causa sanguinis vomitus; nam ea quoque ad cognitionem causæ ejus cacationis adaptari possunt, certo respectu. Quæcunque fiunt in venis, eadem fiunt & in arteriis; quæ hic fiunt, fiunt & in nervis; sed ubique suo modo; alibi occultiori, alibi manifestiori; alibi ut de eis sensus judicare possit; alibi vix ratio eorum operationis modum assequitur. Ubique vapores sunt, & illic ubi non sunt sensibiles, & illic ubi sunt sensibiles. Nervi sunt medullares, attamen vaporibus pervii; Arteriæ sanguine tur-

*Error de causa sanguinis cacationis.*

*Vaporum sunt omnia plena, sed variorum.*

ne turgent, sed magis vaporoso quàm venæ, per intervalla momentanea quasi intumescente & detumescente: venæ sanguinem continent, sed humorosum magis, attamen nunquam omninò quietum, sed per intervalla tardiora & remissiora crescentem & decrescentem; Interdum fortiùs in vaporosam, interdum in humorosam consistentiam vergentem; Omnia itaq; contenta arteriarum, nervorum, venarum, intestinorum, in continuo sunt & indefesso motu; & vapores, & humores, & carnes, & ossa, & sanguis, & sanguinis excrementa; Et ungues & crines; & concupiscentiæ, & scientiæ, & virtutes animæ vel affectus carnales, & membra omnia. Quædam autem eorum tantùm passivè se habent, quædam activè; quædam materialiter, quædam formaliter; quædam inter se reciprocant officia, locorum & temporum intervallis; aliquæ frequentius, aliæ rarius; sicuti mutantur vel mutari sentimus ea quæ corporea dicimus, sive sint vaporosa, sive humorosa; sic mutantur & ea quæ omninò sunt

nò sunt spiritualia, vel quæ sensuum cēsuris non subsunt: De his tamen quoq; philosophari possumus & de illis pari certitudine, sed à posteriori saltem; nam non moventur sensibilia, nisi mota à principiis insensibilibus; Nec quiescerent illa, nisi derelicta ab impetu insensibilium causarum. Quod igitur sæpè cacatur sanguis, syncerus, non semper, vel rarius sanguis, quàm humores alii, &c. causa est in sanguine motus illius, non extrà eum; non tamen sensui obvia, sed occultior; ratione solâ pervestigabilis; Cujus capaces non sunt omnes vel conscii, qui de sanguine, ejusq; motu differunt; sed saltem prudentiores, quorum animi profundius penetrare possunt, quam sensus pertingere. Anima est author sanguinis, hic autem est sedes animæ; Animæ affectus sunt concupiscentiæ; hi citius quietari debent in anima, quàm hæc extra se generare possit sanguinem, vel generatum usibus illis & officiis adhibere quibus destinatus est, scilicet corpore nutriendo & restaurando: subitò saturantur animæ

*Sanguis cur non continuò cacatur syncerus.*

nimæ desideria, sed non ita subitò carnis vel sanguinis defectus; prius fit sanguis quàm caro; sed citius quàm fiat sanguis, vapor est, quia vapor est animæ affinior & propinquior quam humor; Nihil autem movet anima immediatè quod corporeum est sed mediantibus vaporibus omnia; hi enim eam annectunt corporibus; sed de hac subordinatione spiritus, vaporum, humorum, membrorum &c. alibi prolixius disputabimus. Dum igitur sanguis movetur; ille movetur non ab alio principio nisi ab eo quod ei est & proximum & affinissimum; sed propius nullum est quàm id quod universam ejus massam occupat; id autem est vapor; non nervosus, non arteriosus, sed venosus; ideò peculiaris est vapor qui medullas nervorum penetrat, nervosquè movet, & eorum contenta; sicuti peculiaris est arteriosus; hic est inter nervosum & venosum medius; ita venosus, inter carnem & excremẽtitium. Tamen nullus est hiatus localis inter omnes, sed continuitas perpetua omnium, quousque vivit

*Anima movet sanguinem mediantibus vaporibus.*

cor-

corpus; ſicuti unus aër eſt,in plures regiones diviſus. Anima ſemper manet numero una,ſed affectus ejus,deſideria, cognitiones, virtutes continuo fluunt, vel effluunt, vel refluunt, donec omnia officia à fatis definita, in locis & temporibus conſummaverint, adq; quietem, ex quâ primus eorum motus ſurrexit, iterum redierint. Integer mundus eſt in nobis ſingulis; igitur omnia quæ mundus habet; aut homo falſò dicitur Microcoſmus; ſi autem omnia ſunt in nobis quæ extra nos, tum non minus vel magis ſunt otioſa in nobis contenta noſtra, quàm contenta mundi exterioris; ſed eâ lege locorum & temporum ducimur vel trahimur ad motus & quietes, quâ trahuntur omnia extra nos. Si in nobis adſunt principia, terreſtria ſemina animalizantia,nec diſtant longe à nobis principia animales rationes terrificantia; illa non ſubitò erumpunt in lucem; ideò & hæc ſenſim redeunt, vel nos trahunt ad tenebras. Sed per intervalla locorum & temporum,jam hæc augentur jam illa; ſecundùm

*Mundus in nobis & mundana omnia.*

dùm quod in fatis de nostrum singulis decretum est. Iam in nervis, jam in arteriis, jam in venis, jam in sanguine, jam in carne, jam in ossibus, jam in internis, jam in externis membris, fiunt antiquationes, & innovationes, ad corporis structuræ incrementum, decrementum, ornatum, turpitudinem &c. cum sensu vel doloris, vel voluptatis, vel jucunditatis vel tristitiæ &c. Pauca agnoscimus in fieri, pleraq; à posteriori, vel post factum nosse discimus: quædam prævidemus; à quibusdam obruimur: alia speramus, alia metuimus; alia credimus, alia negamus; Atque circularis est omnium reciprocatio & revolutio, & eorum quæ in nobis sunt, fuerunt, vel fiunt, & eorum quæ extra nos: Jam venti, jam nubes, jam nebulæ, jam rores, jam grandines, jam imbres, jam procellæ, jam tonitrua, jam fulgura, jam nives, jam gelu, jam pruina, jam innundationes, jam siccitates, vel exornant vel deformant, mundi hujus faciem; omnia hæc & alia plura in nostro quoquè fiunt corpore; & monstra & miracula, & prodigia,

digia, noster fert microcosmus; Et salia & sulphura, & montes, & saxa & animalia & insecta, nostra parit tellus; Nihil habet cœlum, nihil terra, nihil æternitas, nihil abyssus; Nihil excelsi, nihil inferi, quod in nobis reperire non possemus si saltem seriò inquireremus: si non ut pateret sensui; tamen ut innotesceret rationi. Omnibus tamen est definitum justæ revelationis tempus, eiq; tempori congruus locus. Dum intestina cacant sanguinem; Tum venæ deglutiunt carnem; Omnia sibi invicem concatenata sunt; donec & intestina, & carnes, & ossa, & sanguis &c. absolverint pensum suum. Dum cacamus sanguinem, & cum nos cacare scimus? tum dolemus, angimur, & metuimus ea quæ nondum videmus; nempè mortem; sed dum cacamus humores sanguini omninò dissimiles, tùm gaudemus & meliora speramus præsentibus; tamen tunc æquè sanguinem cacamus, quamvis id de eo & de nobis ignoremus. Quid quæso fuit bilis, pituita, cholera, &c. citius quam taliter nominata fuissent. Re-

*In homine omnia.*

*Cacamus sanguinem semper.*

vera ſanguis; igitur opprimimur à ſanguine tunc, dum omninò ne cogitamus quidem de ſanguine; & vapores exercent tyrannidem ſuper nos in nobis, tunc maximè, dum nos minimè nobis ab eis metuimus, ſed optima quæq; de ipſis promittimus. Prudentia humana quæ de infrà eſt, ſive animalis, docet nos præcavere has vel illas ſanguinis mutationes, quæ noſtro incommodo per impreſſionem virtutum vegetabiliũ quandoque nos infeſtare ſolent; ſive fugere hos aut illos cibos, abſtinere ab hoc vel illo potus genere, &c. Ita quidem eſt, quod ex ciborum & potuũ abuſu, multa & magna ſolent derivari in ſanguinem ejusq; vapores, indeq; oriri cõmuniter conſuetos humores, incõmoda; ſed nũquã ita gravia, adeò crudelia, adeò perniitioſa, uti ex ſeminibus in nobis quieſcentibus; vel ex ſeminariis illis, quæ in ſanguine prius, imò & ſanguis ipſe aliquando fuerunt, & ſanguis eſſe deſierunt, nec unquã amplius ſanguis eſſe vel ſanguineæ maſſæ reconciliari poſſunt, vel poterunt; in nobis ſcilicet; quamvis

*Seminaria morborum.*

vis alibi illi usui subservire possint post longam temporum revolutionem. In nobis autem secundò, sanguini cuicunque venoso vel arterioso, vel eorum nervorumq; vaporibus majori vel minori portione permista; sic turbant omnia, discutiunt, dissolvunt, dissipant, quasi omninò nos nunquam cognovissent: & animæ carnis nostræ nunquam servivissent; quod tamen factum est, fortassis & prius quam nos nati fuissemus; non enim saltem ea nobis nocent ultimò, quæ nos edimus vel bibimus unquam; sed etiam & ea quæ in nos, per vel cum semine parentum, transplantata sunt. Ex his causis pernitiosissimæ surgunt humorum & vaporum turbæ; violentissimi cacandi & mingẽdi conatus; vel irriti, vel admodum frequentes & copiosi: Plura hic dicere vellem de Dysenteria, cum ejus speciebus; De Lienteria, de fluxu Hepatico, aliisq; intestinorum profluviis; sed ea in partem secundam Tractatus hujus differimus, ne in imensum excresceret, quem brevem esse voluimus.

## Caput XI.

### *De Sanguinis minctione.*

Quod sanguis sæpè uti syncerus vomitur & cacatur, ita & mingatur; res est notissima; A quibus autem causis ille affectus oriatur; undè & per quas vias feratur, donec omninò foràs erumpat? in hoc capite demonstrare nobis proposuimus, ideò & conabimur, si non ad mensuram voluntatis, tamen virium ingenii nostri; Id enim exigit officii Medici titulus, quem nos profitemur, scilicet non solum à comuni opinione pendere, sed & in primas rerum causas inquirere: ne quid fortuitò, vel sine ratione, solius cæcæ experientiæ dictamine moliri in praxi nostra, convinci possumus ab aliquo scriptorum nostrorum Censore. Quia verò, rarò mingitur solus vel syncerus, sed vel urinæ pauciori & rariori permistus, vel à naturali suo statu aliquantulum, vel omninò immutatus, non sanguis, sed pus, albescens, livescens, & mucilaginosa massa; Harum

rum quoque in eo ſignaturarum reddemus rationem. A demonſtratione quidem cauſæ eruptionis ſanguinis per urinarios meatus exordiri deberemus; ſed nos ab altera extremitate incipiemus, nempe ab examine viarum, per quas ſangnis fluit, donec effluat; difficilius enim eſt, incipere à priori; igitur nos faciliori progrediemur ordine. De illius fluxus commodo vel incommodo ratiocinantes, caput hoc concludemus. Conſulendi autem nobis ſunt Anatomici, in hujus materiæ primæ partis examine: An alii dentur nempe meatus ſenſibiles ex venis ad veſicam usque, quam illi, quos in ſectione cadaverum artificioſa, demonſtrant & deſcribunt Anatomiæ Profeſſores; nempè venæ & arteriæ emulgentes; renes, & ureteres; veſica denique ipſa, omnium quæ per prædicta vaſa deorſum ex venis & arteriis communibus prolabuntur receptaculum; Urinæ ſcilicet, humoris propriè ſic dicti, vel ſanguinis, vel arenularum, vel calculorum, vel carunculārum; aliarum deniq; corporeitatum, quæ per

penem in manibus, per vulvam in fœminis, ſine vel cum ſingulari conatu aut dolore excernuntur; Si credendum eſt Medicis, & ſenſui, tum videmus ad oculum ſubſtantias venarum, à ſubſtantiis arteriarum diſcrepare: Atque inde liquet, cæteris rationibus neglectis, diſcrepare quoq; & eorum contenta; nihil enim Natura agit fruſtra extra nos, nihil in nobis: ſed omnis diſcrepantia ſuum habet, Quare. Diſcrepant autem ſubſtantiæ venarum & arteriarum non ſaltem in ramis à trunco iliaco aſcendentibus, ſed & deſcendentibus; Quamvis ambæ in unum truncum coeant ſpinæ adnato; paulò ſupra renes; Iterum in diverſos ramos dividuntur, tamen infrà renes; ex quibus ramis deſcendentibus laterales quidam ſurgunt ductus, quos libuit Anatomicis nominare venas & arterias emulgentes, eos videlicet qui ad renes in utroque latere exporriguntur, & à renibus excepti, verſus ureteres hiant, ab utroq; rene, uno ſic nominato ductu, ad veſicam propendente, & in eam hiante. Sunt & aliæ propagines

*Arteriarũ & venarum diſcrepantia.*

gines

gines venarum & arteriarum ex utroq; latere ad paraſtatas, & teſtes, tum in viris, tum in fœminis propendentes; ſed harum contemplatio ad præſentem noſtram materiam non conducit, quia non ſunt vaſa urinaria, ſed ſeminaria vel ſpermatica. Nos itaque hic ſaltem diſquiremus, An ſanguis qui mingitur, ſive ſolus ſive urinæ permiſtus, per eoſdem meatus fluat ad veſicam, per quos urina? an per alios, ſive urina & ſanguis per peculiares? Nos hic affirmabimus & demonſtrabimus prius; Qui verò aliter ſentiunt, illis quod aliter ſentiunt, non invidemus; ideò nec illi invideant & nobis rationes illas, per quas vel ſibi vel aliis perſuadẽt, quod ex rupta aliqua vena intùs, non autem per urinarios meatus, illæsâ omni earum continuitate ſanguis in veſicam influat; vel demonſtrare & nominare ductus alios, per quos ſanguis intactâ veſicæ capacitate, vel ureterum ſubſtantia, ad penis ductum penetrare poſſit. Niſi fortaſſis inquiant ſanguinem, & per vaſa ſpermatica egredi poſſe; quod facilius & liben-

*Sanguis in-de manet ad veſicam, un-de urina.*

tius concesserim, quàm prius; Sæpè enim fit, quod mares lacessiti à lascivis fœminis, ad immoderatum Veneris exercitium, loco spermaticæ materiæ, sanguinem per penem ejaculentur; certo suo exitio; Quod sæpè contingit & illis, qui usi aliquo Veneris irritativo Pharmaco, ita pruriunt, ut mitigare non possint pruritum, vel penis tumorem, sed ad sanguinis usque profluvium se defatigent impuro illo actu; quam libidinem post fœtidissimâ gonorrhæâ, & ingentibus cruciatibus luunt; Quod si verò sanguis per renes & ureteres ad vesicam usque & penem penetrare possit; nihil vetat, eum & per vasa spermatica ad penem quoque penetrare posse; nam sicut per venas emulgentes, ita & per vasa spermatica hiantes ductus sunt ad penem vel vulvam usque. Quicquid fit, sive per venas emulgentes, vel ureteres, sive per vasa spermatica excernatur sanguis; nulla tamen hic aut illic demonstrari potest, vel per manus, vel per rationem veram, continuitatis solutio: quam multi sanguineæ per penem eru-

*Sanguis æquè per vasa spermatica erumpit, ac per ureteres.*

eruptionis sibi comminiscuntur: Sicuti delirant & illi, qui vomicam pulmonum, vel apostema, vel venæ alicujus rupturam, ejus per os, vel per sedes egressum, causam esse illius affectus, de quo supra egimus, docent. Igitur in examinando hoc affectu consideranda est ætas; Nam sunt multi juniores & pueri & puellæ, quæ sanguinem mingunt, in quibus vasa spermatica nondum hiant; Igitur in talibus subjectis sanguis ad penem defertur, vel ad vulvam, non per alias vias, quam per sola vasa urinaria; In ætatis autem provectioris utriusque sexus, præsertim libidinosioribus subjectis, si interdum per vasa spermatica erumpat, & ad penem usque pertingat; Casus ille non erit contra naturam, nec miraculosus judicandus, sed morbosus tantum; si non ab internarum causarum, sanguinis ipsius violentiâ, tamen ab affectibus subjecti sui supra modum exacerbatis derivatus. Non itaq; quævis sanguinis per penem eruptio, cruenta vel purulenta est sanguinis aut puris minctio appellanda; sed ea tantùm,

*Eruptio sanguinis per vasa spermatica naturalis.*

quæ fit per ureteres,& veſicam; Quæ autem fit per vaſa ſpermatica, ureteres & veſicam non contingens, nec renes nec venas emulgentes dictas; ea eſt non ſanguinis minctio, ſed Gonorrhæa nominanda, quamvis propriè non ſit fluxus ſpermaticæ, ſed ſanguineæ maſſæ, ſive nondum, ſive jam putrefactæ, longioris moræ in vaſis ſpermaticis occaſione. Per eosdem enim meatus,per quos vadit ichor ſanguinis,vel ſeroſa ſuperfluitas ad renes, ex venis & arteriis; per eosdem & ipſe ſanguis ferri poteſt inde egreſſus; & per quæ vaſa vadit ſanguinis portio ad paraſtatas & teſtes, in ſperma commutanda; per eadem quoque & ſanguis ipſe eò prolabi, & in ſuccedentis vaporis inde ejaculari poteſt, unde ſpermatis corpus omnibus numeris abſolutum,ejicitur. Nulla itaque eſt difficultas, demonſtrare meatus illos, per quos ſenſibiliter maſſa ſanguinis ex trunco venæ cavæ & arteriæ magnæ elabitur, & à venis vel vaſis urinariis & ſpermaticis, per certos diviſosq; ramos excipitur, in renibus in urinam; in paraſta-

rastatis in spermaticum corpus comutanda; & utrinque per penis meatum ex corpore propellenda. Sed scire causam, per quam sanguinis massa, origine eadem, aliam in vasis urinariis, aliam in spermaticis acquirat consistentiam vel formam; & utramque à sanguine; & ambas à se, nominibus formarumque signaturis discrepantem. Hanc autem causam illius mutationis indagare vel demonstrare non est hujus loci; Esset itaq; extra propositum illius definitioni prolixius immorari velle. Quare autem non semper sanguis syncerus, vel talis, qualis in venosis & arteriosis vasis continetur, per ureteres, & vasa spermatica egrediatur, vel ejiciatur foràs, sed vel sub urinæ, vel spermatis nomine & forma? Vel etiam interdum verus, nihil ab eo differens, qui in vasis venosis & arteriosis continetur? Priorem hujus quæstionis partem prægrediemur, ob evitandum tractatus hujus prolixitatem, non tam mihi quidem tædiosum; quàm quibusdam ex plebe

viris. Secundum autem, quâ brevitate poterimus ita expediemus, ut paucis verbis, si non omnia, pleraquè tamen complectamur; quæ hic scitu sunt & utilia & necessaria. Excusabunt tamen ingenui Lectores brevitatem meam, ego enim eam eis sum abundantia rerum recompensaturus. Arduum valdè est & difficile cujusque sensibilitatis inquirere vel acquirere causæ cognitionem; tamen sagaci & ingenuo animo nihil impossibile. Sanguinis massam omninó esse homogeneam scimus, heterogenea autem omnia ex homogenea sanguinis substantia nasci, non ignoramus; Nam & membra, sive corporis partes similares & dissimilares; & excrementa humorosa, vaporosa, solida, per pilos, ungues, biles, sudores, phlegmata, urinas, spermata, alvi fæces, &c. saporibus, odoribus, coloribus, ponderibus, consistentiis, & per consequens virtutibus quoque seminalibus discrepantes corporeitates, ex sanguine provenire, quamvis non videamus donec adhuc in fieri sunt; tandem tamen sive post factum,

ctum, certioramur certis indiciis. Unde liquet non ita homogeneam esse sanguinis substantiam, intus, qualis esse videtur extrà, sed innumeras heterogeneas seminales rationes sub sua homogenea massa occultare; non ab omnigena quidem, sed à sensualis tantùm cognitionis possibilitate. Et quamvis occulta sint sub sanguinea massa omnia quæ inde tandem diversis in locis, & temporibus in lucem erumpunt, & sensibilia fiunt; tamen non æquè omnia in omnibus. Sunt quoque animi qui prævident futura citius quam fiant, æquali certitudine, si non præstantiori, quali præsentia, vel facta agnoscunt: Et qui de rebus futuris philosophari sciunt, æque ac Historici de rebus factis narrare; Hoc fundamento nixi causam quoquè reddemus hic sanguineæ cujuscunque eruptionis, sive ea fiat per urinarios meatus, sive per vasa spermatica. Quoties itaque sanguis mingitur solus, vel urinæ permistus, multus vel paucus, cruentus adhuc, vel omninò purulentus, ille non aliunde in vesicam influxit, quam per urete-

*Homogenea massa sanguinis heterogeneitatibus plena.*

res,

*Sanguis mingitur sine læsione continuitatis venarum.*

res, nec in hos aliunde quàm per venas emulgẽtes dictas, ex ipsissimis ramis venæ cavæ & arteriæ magnæ, à trunco illiaco nominato, versus pedes propendentibus; Ex quibus venis & arteriis ordinario serum sanguinis excernitur, & per supra nominatos ductus sub forma & nomine urinæ à vesica excipitur; nulla est in eo affectu continuitatis venarum solutio; nulla internarum partium, vel colli vesicæ exulceratio; sed simplex sanguinis venosi vel arteriosi, aut utriusque, ex vasis eorum propriis effluxus, per meatus ordinarios urinales fluxus, & in vesicam influxus; quamvis non semper statim iterum ex vesica effluat, sed in ea aliquandiu hæreat, cujus moræ occasione vel solum colorem mutat, vel omninò in pus, vel purulentam convertitur massam: A qua mutatione in vesica facta, alia iterum suboriuntur symptomata, quàm à simplici ejus & subitaneo per vesicam effluxu: eaquè multò crudeliora. Ideò simplex sanguinis minctio non omnis est æque vel molesta vel noxia; sed interdum & quæ-

*Absente omni exulceratione vesicæ.*

*Minctio sanguinis non omnis symptomatica.*

quædam utilis, patientes à multis gravioribus tum liberans, tum præservans affectibus. Venarum & arteriarum orificia, tempore sanguineæ minctionis, versus venas emulgentes hiantia, hiant & extra id tempus, sive & tunc dum solum serum mingitur, vel urina simplex, nulli cruori permista; Quod verò non semper influant sanguinem venæ vel arteriæ venis emulgentibus, sed solum serum; vel si influunt interdum ejus guttam aliquam non autem tantam copiam ut eâ vesicæ fiat onerosus? Non est causa in renibus, quod illi valvulis certis, vel exilitate ramorum, quos colum nominare placuit Anatomicis, sanguinem à sero segregent, & eum in venas regurgitent; sed quod nullus adeò vehemens vapor exagitat massam sanguinis, qui requiritur ad ejus sive modicam, sive largiorem minctionem irruente autem vapore fortiori in venarum orificia, quamvis ille sit momentaneus si non plus, tamen una tantum guttæ sanguinis non saltem ad renes usque, sed ad vesicam ipsam penetrat, &

cum

cum urina excernitur; sive syncerâ, sive aliquantulum à sanguinea forma immutatus. Sunt autem variæ causæ, à quibus vapores in sanguinis massa inferiori, & plures & vehementiores generantur, ordinariis; Externæ & internæ; plures tamen, frequentius & vehementiores à potulentis vaporibus derivantur, quàm à cibulentis; vel ab externis exercitiis, & motibus violentioribus, subitò cessantibus. Pernitiosissimi sunt vapores, infernè, ab extremitatibus pedum ascendentes; quibus quia raro à Medicis vel ægris obviam itur; ideò inde surgentia renum, ureterum, dorsi, vesicæ, & penis incommoda, longius affligunt patientes, quàm futurum fuisset, si vel Medici vel ægri eos maturè compescuissent, & ad extremitates retraxissent, aut repercussissent. Sanguis quoque raro solus mingitur; sed urina ordinario sine sanguine; Imò etiam & ægri emittunt urinam sæpè, in qua nulla omninò apparent sanguinis indicia; Quando scilicet non inferior sanguinis massa, in ramis trunci iliaci deorsum pro-

*Ex pedibus causa passionum nephriticarum.*

*Sanguis rarò mingitur solus.*

propendentibus, sed saltem superior laborat, in ramis ejus ascendentibus; quam tunc sanguis sua excrementa per emunctoria venarum & arteriarum superiora excernit, sive sub vaporosa forma ex arteriis per pulmones & trachæam, sive per hepar & venas mesaraicas ad intestina propendentes. Vapores autem sanguinem utrinquè agitantes & suprà & infrà, salsi sunt & terrestris proprietatis; Non saltem in vesica & renibus, sed & in pulmone, & hepate humorum ad terrestreitatem vergentium feraces, sive in arenulas & calculos desinentium; Ideò ubiquè generantur calculi; vel si non calculi, tamen tumores duri, œdematosi, callosi, spōgiosi, vel excrescentiæ verrucosæ, carnosæ; vel exanthemata, bubones, apostemata, fistulæ &c. Nulla autem horum sunt diuturniora, graviora, periculosiora, quàm ea quæ à vaporibus surgunt infernè ascendentibus; sive in superioribus, sive in inferioribus membris promineant; quæ autem à vaporibus supernè natis deorsumque præcipitatis surgunt, ea

*Calculi ubiq. generantur.*

*Vapores inferiores periculosissimi.*

quamvis sint quoque interdum [illegible] crudelia nequaquam tamen sunt [illegible] periculosa quam ea, quæ ex inferis generantur vaporibus, quamvis [illegible] proveniant, vel membris ignobilioribus, & mitiora aliquandiu sint [illegible] ut sibi ab eis metuant patientes. [illegible] hæc breviter sufficiat dixisse de [illegible] sanguinis minctionis. Quia autem [illegible] penem sæpè quoquè effluit [illegible] ex vesica in eum prolapsus, [illegible] bus derivatus; nec ita copiosus [illegible] syncerus, uti per ureteres; [illegible] que affectus hic nobis erit [illegible] tio. Sicuti rami venarum [illegible] & arteriarum, alii versus cor [illegible] versus intestina, uti jam in capitibus superioribus demonstravimus: Ita [illegible] rami venarum & arteriarum alii [illegible] venas emulgentes hiant; alii [illegible] spermatica; ex orificiis superioribus arteriarum spirant fuligines continuo [illegible] sanguinem ex orificiis venarum [illegible] quoque, sanguinem saltem interdum. Ita quoque versus emulgentes [illegible] mores; versus autem vasa [illegible]

*Gonorrheæ causa.*

[illegible]

falli vapores falsi vergunt; Vel si non soli humores & vapores utrinque; tamen quod in venarum excrementis prædominatur ordinario humorosum est; quod in arteriarum, vaporosum. Et quamvis vapor ex venis & arteriis in vasa spermatica irruens, non coalescat in sperma in qualibet ætate cujuscunque sexus vel subjecti; Ideò non semper spermatizant vasa spermatica, parastatæ & testes; tamen semper sunt pervii vaporibus salsis; Ureteres vel venæ emulgentes raró; sed quoties vapores irruunt in venas emulgentes, toties in dorso, circa lumbos, & situm ureterum, graves vel omninò acres sentiuntur dolores, nec urinam pondus ejus vel copia stimulat ad egressum ex vesica, sed vaporis acrimonia aut vehementia. Indeq; variæ sentiuntur mingendi incommoditates, & conatus steriles, qui unius ventris crepitu vel mitigantur, vel cessant omninò. Ideò prospexit Deus huic necessitati & vitæ beatitudini, quod vasa vaporum feracia, non longè situarent à vasis, per quæ humores vadunt, ut sibi

*Vapores in arteriis plures, in venis humores plures.*

essent subsidio mutuo his vel illis furi-entibus magis. Membrum virile intu-mescit & in infantibus tenerioris ætatis, in quibus nulla fit spermatizatio: imò verò à flatibus ex venis & arteriis in va-sa spermatica irruentibus generatione herniæ, testium tumores; alia denique incommoda, citra omnem spermatis generationem, vel ejus generationis in-dicia; Ideò pueri puellæq; sentiunt pru-ritum in genitalibus, etiam citius quam spermatizent, à solo vapore falso geni-talia eorum penetrante; qui, quia in quibusdam subjectis interdum vel fal-sior, aut vehementior; ideò pruritus quoque vel intumescentia in genitali-bus sentitur vel acutior, vel diuturnior. Rarò autem in infantibus, vel ætate te-neriore, ante tempus spermatizationis, erumpit sanguis, eò per vasa spermatica delatus; quamvis interdum cum & in quibusdam subjectis erumpere non ne-gaverim; quoniam utraq; semper hi-ant, scilicet & venæ & arteriæ versus e-mulgentes venas, & vasa seminaria: quæ eos nominare nos Anatomici docent.

*Penis intumescit sine spermatis præsentia.*

*Sanguinem rarò edunt infantes per genitalia.*

Sæpius

Sæpius autem, imò frequenter, vel in a-
mictionibus sanguinem ex vasis sperma-
ticis per genitalia excerni, quamvis ne-
scientibus, tamen verum est; Tales au-
tem personæ quamvis non impotentes
ad Venerem sint, sed satis validæ; tamē
sunt steriles; Non enim à spermate bo-
no tantum attollitur vel erigitur penis,
vel virga; sed etiam à sanguine, vel sper-
mate immaturo, vel etiam ipsissimo va-
pore; Ideò spadones, vel qui destitu-
untur testibus, sunt apti ad congredien-
dum cum fœmina, quamvis non idonei
ad eam impraegnandum: Si non omnes,
tamen eorum aliqui; nam & illi qui spa-
dones non sunt, non sunt quoq; ad rem
Veneream omnes ex æquo fœcundi;
Infantibus tenerrimæ ætatis sæpè intu-
mescit penis, imò & præputium, quasi
hydrope affectis; tamen nihil inde sub-
est periculi, nisi quædam mingendi in-
commoditas, non ab ureteribus; sed à
vasis spermaticis causata. Vapores ita-
que & humores ordinarii, ordinaria
quoque vasa vel meatus consuetos cu-
stodiunt; sed extraordinarii, aberrant

*Penis attollitur à sanguine, æque ac à spermate.*

*Penis infantum intumescens.*

sæpè, non tantum in mensura fluctuum [illegible]rum; sed & in custodia locorum: [illegible] nisi ars sciverit vel reducere vel [illegible]quere ad locos cõsuetos & ordinar[illegible] eousque dolere debent patientes. [illegible] autem tantum à fatis exci[illegible]antur in [illegible]sa sanguinea, tum vapores, [illegible] res extraordinarii; sive [illegible] sæpè ab affectibus nostris derivatur [illegible]commoditas in sanguinem; [illegible] ultra modum furiat, & æstuat; [illegible]peat, & algeat; Nisi quis & affectus [illegible]stros non nisi à fatis moveri [illegible] autem ex arbitrio nostro: sed [illegible] hanc materiam disputare [illegible] sentimus autem, quod multa [illegible]res sanguinis excretiones surgant à no[illegible]bis, quàm à fatis; alias in vanum [illegible]

*Affectuum incommoda.* datæ leges affectibus; si [illegible]mnia a fatis dependerent, quæ [illegible] moventur. Ira, invidia, lascivia, [illegible] intemperantia, inordinatæ vigiliæ [illegible]mni, immoderatæ quietes vel [illegible] motusq; animi vel corporis, [illegible] nobis excitant, quæ fata sopita [illegible]sent; & solvuntur, quæ fata nequaquam

sol-

solvissent, vel non adeò laxè, nec illic, nec tunc, dum à nobis id fit: non tot laborarent gonorrhæâ; vel adeò turpi & fœtidâ, si fata vel Naturæ sequerentur impulsionem; verùm quia vel peregrinis lascivientium scorti obsecundant, & obsecundare malunt affectibus; vel suos proprios frænare nesciunt, ideò brevem voluptatem & satis exiguam, diuturnis & crudelibus luunt doloribus. Si quæ surgunt, à flatibus vel humoribus in pene vel genitalibus incommoditates, ex vasis spermaticis in ea derivatis, illæ vel sponte cessant, quamvis durationis tempore variis molestiis vexent patientes; vel futurarum mutationū in vasis spermaticis surgentium, fiunt prodromi. Caeterum nullam omninò sanguinis excretionem, vel dejectionem per penem causari potest, nisi ad collum vesicæ dolorus, vel omninò peni infarctus; Nam venarum arteriarumque, & per consequens ureterum & vasorum spermaticorum substantia, omninò exsanguis est; ideò læsa vel vulnerata, nisi contentum ejus cruentum sit, nullum

ſanguinem ſudare, multò minus alii demandare poteſt: Sed ſanguis acris vel quocunque ſapore tinctus, etiam abſente calculo, ingentes cruciatus excitare ſolet, illis non diſſimiles, qui per ſectionem, punctionem, attritionem, uſtionem externam fiunt: Id autem non negamus, quod calculum & ſanguis comitari ſoleat; nec negamus a calculo ingentes exoriri cruciatus. Hæc pauca de Sanguinis minctione & ejus per genitalia excretione boni conſulent æqui Lectores.

---

## Caput XII.

### *De Hæmorrhagia, vel Sanguinis excretione per Uterum.*

*Mares menſtruam Hæmorrhagiam patiuntur quoq.*

HIc affectus ſolo fœminino ſexui & Hermaphroditicis ſubjectis familiaris; Mares ab eo ſunt omnino liberi & immunes, quoad titulum, qui ab Utero denominationem habet; Sed non quoad motus ſpeciem, modum & cauſas. Nam quamvis mares non habeant uterum; habẽt tamen ſanguinem, qui

qui ſi non per uteri, tamen per alia emunctoria, ſe ſuis exonerat excrementis. Qualiter autem & à quibus cauſis, ſanguis ſe ipſo vel major vel minor fit in fœminis menſtruatim; taliter & ab iiſdem cauſis in maribus quoque intumeſcit & detumeſcit. Differentia membrorum, numerus eorum major vel minor, aut conformationis diſcrepātia in hujus vel illius ſexus perſonis, nullam infert neceſſitatem, varietati cauſarum; Nec ad id confert temporum in motibus diverſitas. Sanguis ex utero fœminarum menſtruatim erumpit, ſed ſpacio dierum aliquot ſaltem ſubſidet. Nec tamen omni ætati ſexus illius affectus ille communis eſt, nec etiam omni individuo. Dum autem prorumpit, vel ordinario & menſtruatim juſtis temporibus fluit, aut fluere ceſſat; Nunquam id fit ex venis ruptis vel conſolidatis extra matricem, ſed ex ramis venarum, quorum orificia intus in matricem hiant, ſine omni continuitatis ſolutione. Venæ autem illæ, vel venarum orificia, non ſaltem hiant tempore fluxus men-

*Venæ verſus uterum ſemper hiant, quamvis nō ſemper ſanguinem vomant.*

ſtrui ſanguinis,ſed ſemper, etiamſi non ſemper ſanguinem hiant, ſed per intervalla; Nam ſanguis ſemper ſibi æqualis non eſt,nec in venis,nec arteriis, ſed ſæpè intumeſcit vel detumeſcit, ſe major & minor fit: ob vaporum in [illegible] rietatem; ſæpè enim vapores halant ex ſanguine, ſimili ſibi permanente ejus ſubſtantiâ; ſæpè autem arctius maſſæ ejus uniti ſunt,ita ut eam ſimul rapiant in altum, vel trahant deorſum, prout huc vel illuc magis inclinaverint; Quamvis autem ceſſet ſanguis effluere [illegible] liquandiu; nunquam tamen ceſſat per orificia emunctoriorum ſpirare vapores alios aliis ſubtiliores, alios aliis manifeſtiores; atque ea eſt conditio ſanguinis utriusque & vaporoſi & [illegible] ſi, in omnibus locis, in quibus ſunt [illegible] aliqua emunctoria ſenſibilia. Quod autem fæminæ non excernant ſanguinem ex utero menſtruatim ab ipſa infantia, quamvis uterum habeant ſemper, & in eum hiantium venarum orificia? Cauſa eſt eadem quæ in maribus, nam & hæ paraſtatas habent & teſtes ab ipſius vir-

*Sanguis ſemper vapores ſpirat.*

exor-

excretio, tamen non spermificant ante adultam ætatem; Omnia quæ in nobis sunt & fiunt, vel esse desinunt sensibilia, illa habent & quieti & motui suo definita tempora locosque; Diversis tum vaporibus tum humoribus sunt destinata quoque diversa membra & emunctoria; alii sunt quos nasci oportet in superiori sanguinis massa, tum vapores, tum humores, sive in ramis venarum & arteriarum capitis, pectoris, lumborum, pedum; alii in propaginibus nervorum per caput, alii per medullam spinalem dispersorum; alii in juventute, alii in media, alii in extrema ætate. Sicuti in aëris diversis Regionibus, diversis Anni vel Mensis quadris, varias Meteorologicas exhalationes, ventos, pluvias, nubes vel nebulas, &c. nasci videmus, Sic & in sanguine fiunt omnia, & in vaporibus vel humoribus illis, quos ille in sua massa complectitur. Postquam autem sanguis in fæminis menstruatim intumescere cœpit, & per emunctoria sua, quorum orificia in matricem hiant, se exone-

*Vaporum varietas in sanguine.*

exonerare, quare id continuò non agat, sed saltem aliquandiu, per diem unum scilicet vel alterum, iterumque [illegible] subsideat, quamvis justo tempore ad reciprocationem fluxus recurrat? Causam illius ejus quietis & motus intervallaris scire, nō saltem est utile, sed & necessarium omni Medico. Nam qui causam ignoraverit motus ejus, vel quietis ordinariæ, ignorabit causam quoq; quietis & motus ejus extraordinarii. Quod venæ vel arteriæ, earumq; orificia versus matricem hiantia sæpè vel constipentur, vel obstruantur, & non semper ex æquo fient; id verum est; verùm simpliciter vel soli eorum obstructioni & constipationi aut hiatui, sanguinis motum, vel quietem imputare velle, delirare est. Nam sicuti non semper hiat os vel gula, dum esurimus vel sitimus; nec dum [illegible], semper esurimus & sitimus; Ita non necessarium est, hiantibus venarum vel arteriarum orificiis, inde sanguinem effluere, sed dum effluit, ea hiare certum est. Non semper erumpit sanguis per trachæam, tamen hæc sem-

*Hiatus venarum est causa eruptionis sanguinis.*

per

per hiat; & quamvis non semper humoribus scateat, nunquam tamen est vaporibus vacua. Equo sitienti, si obtuleris aquam, non cessabit bibere, donec expleverit sitim; Sed non sitiens, eam ne labiis quidem extremis tanget. Quamvis verò sanguis, vel causa intrinseca ordinarii ejus motus & quietis, nullam habeat scientiam, sensitivam locorum vel temporum; habet tamen naturalem, sive ejus massæ implantatam seminalem rationem, quæ ejus motus & quietis tum locos, tum tempora moderatur, atquè plenius observat, quàm ea quæ extrinsecis occasionibus ad motum & quietem cientur; vel arbitrario moventur ut homines. Magnes nec videt, nec olfacit ferrum, attamen trahit; Ad septentrionem fertur, vel ferri fert, etiam homine ubi sit septentrio ignorante. Mare non per visum luminis solaris vel lunaris, bis in diem detumescit & intumescit; Inquè plenilunio pleniori alvéo ad littora fluit quàm extra id tempus, etiam summè tranquillum; quem motum ejus nominant

nau-

nautæ Springfluth. Ita scit sanguis, vel in ejus chao latentes seminales rationes sua tempora, suos locos, in quibus vel quando vel plures vapores inde provocare, vel ejus in humorosam consistentiam contrahere debeat. Et quamvis multæ seminales rationes in sanguinis massa latentes nostris affectibus obediant; Non tamen omnes; sunt & aliquæ quæ illis imperant nisi dominentur omninò, ita ut & eas frænare nequeamus furentes & in eos irruentes quamvis velimus vel conemur; & ipsi subsidium nostræ voluntati, nobis vel per rationem vel per experientiam cognita, adhibeamus media. Sanguis nec semper est æquè vaporosus, nec semper æquè humorosus; sed per intervalla localia & temporanea jam hic proficit vel deficit jam illic; Jam in arteriis jam in venis jam in earum ramis ascendentibus, jam descendentibus, jam in summis, jam in infimis propioribus; jam in uteri, jam in ureterum, jam in spermaticorum vasorum concavitate. Ad augmentum vaporum vel humorum

*Sanguinis discrepantia intervallaris.*

tumido intumescit ejus substantia; ad intumescentiam horum vel illorum, intumescunt vel detumescunt arteriæ, venæ in pectore, in capite, in lumbis, in femoribus, in pedibus, in horum vel manuum extremitatibus. Nec autem omnes vapores vel humores infernè nati, ad superiores ramos venarum vel arteriarum pertingunt, sed vel inferioribus, vel in mediis quiescunt, & sua absolvunt officia; Nec à vaporibus vel humoribus supernè natis afficitur massa sanguinis venarum & arteriarum inferiorum, sive à trũco iliaco deorsum vergentium; sed plurimi supernè nati, per superiorum venarum & arteriarum emunctoria vel exspirant, vel excernuntur. Prout vapores vel ascendendo vel descendendo pertigerint, variat quoq; motus in sanguine ejusque vaporum & humorum per superiora vel inferiora emunctoria excretio; Sicuti autem membrorum vel locorum varietas mutat humorum & vaporum consistentiam, motum, quietem, excretionem, raritatem, paucitatem, parvitatem, &c.

*Vapores nõ omnes ab una extremitate ad alteram pertingunt.*

Idem

Idem & de temporibus ætatis, anni, mensis, diei, horæ &c. est sentiendum. Quod septimo quoquê anno, mense, hebdomade, die, horâ; quædam immutatio fiat in humoribus, in vaporibus, in affectibus, in cognitionibus, in virtutibus terrestribus & animalibus; non est inane commentum otiosorum hominum; sed veritati ipsissimæ congrua prudentia; Nam quamvis Numeri nulla sit efficacia, tamen in numeratione consistit integer omnium generabilium ordo: Sonus octavus à primo, est primo consonus, non secundus non septimus, quamvis ille plenius numeratione primo, septimus autem succedentis sit proximus. Uti hæc omnia in mysterio nostro septenarii latius explicabimus. Momentanea mutatio per successivos gradus fiens, est insensibilis; Sed crescente atomorum numero, sensibilitatis quoque intenduntur gradus; ideò non crescere sed crevisse videmus gramina, pilos, cornua, membra &c. quæ tardiori impetu interni motoris cientur. Quod verò astrorum influentia, sanguini motum

*Septenarii ratio.*

*Influentia astrorum in sanguinem nulla virtus.*

tum influat, vel motorem inſpiret, commentum eſt eorum qui aſtra pro diis coluerunt, vel cœli excellentiam ejusque dominium ſuper terreſtres rationes ignorarunt, in terreſtribus aſtutiſſimi. Quodlibet ens terreſtre, vel quocunque modo ſenſibilis ſubſtantia & corporeitas, in ſeipſa peculiarem habet ſpiritum, vel inſenſibilem eſſentiam ſuarum ſenſibilium ſignaturarum authorem; Imò & aſtra ipſa. Nam ſi ſimul in unam terram injeceris ſemina plura diverſarum ſpecierum, eaque omnia fomentaveris uno eodemque calore & humore; tamen non germinabunt ſimul omnia; nec ea quæ ſimul germinaverint ſimul floreſcent aut fructificabunt, vel defloreſcent & ſuos fructus maturabunt. Ita quoquè variant cujusque individui humanæ ſpeciei affectus, cognitiones, virtutes, quia variant interni ſpiritus; Omnes ſunt quidem terreſtres vel de terra, ideòq; terreſtres, naturales, carnales, animales; ſed diverſi diverſa affectant, volunt, ſciunt, agunt; ſinguli peculiaria; Ideò in-

quit ſcriptura quod nemo ſciat quæ ſint in homine, niſi ſpiritus hominis qui eſt in homine; ſed de his alibi in ſingulari ſcripto Philoſophiæ ſacræ. Qui itaquè ſpiritus ſeminalis habet ſcientiam à fatis ſibi implantatam efformandi corpus & membra fœminina; ille quoquè per ſignaturas illi ſexui congruas & convenientes ſe manifeſtat ſenſui, ejusque revolutio eſt ſimilis motui Lunæ potius quàm Solis; non quod ſol expanſi, magis correſpondeat cum ſexu maſculino, Luna cum fœminino; ſed illa demonſtrant ſemper per orbem integrum diverſitate motuum ſuorum ſenſibilium, quæ infrà inter ſemina generabilia ubiquè fiunt, occultiùs quàm ut ea, in fieri, animadvertere ſenſus poſſit. Luna itaquè non eſt cauſa accretionis vel decreſcentiæ inferiorum, ſed index; Nam fuit mare antequam exſtitiſſet Luna; Reciprocabatq; ſuum fluxum & refluxum; Confluebant & diffluebant aquæ infrà; diſcrepabat nox à die, veſpera à mane, pomus à pyro, arbor à gramine, vapor ab humore &c. citius quàm vel Luna, vel Sol

*Spirituum ſeminalium virtutes ſunt fatales.*

*Luna eſt index motuum inferiorum, non cauſa.*

Sol in expanso prosplenduissent. Atq; talis est quoque causa menstruæ purgationis, vel mutationis fientis in massa sanguinea tum maris & fœminæ, menstruatim & annuatim; singulis quaternariis & septenariis. A principio ortus sui habent mares testes & virgam, vasaq; spermatica, in eo discrimine in quo ea habent adulti; Tamen non spermificant ab ortu, sed multis demùm annis post; Interea autem temporis non omninò otiosi vel quieti sunt in eis spiritus seminales, sed spirant vapores naturæ, officioq; eorum congruos; jam plures, jam pauciores, jam occultiores, jam manifestiores, per vasa spermatica, vaporibus tandem humores sublegaturi. Atque hinc virgæ erectio & in infantibus. Sic se habet & modus purgationis menstruæ, vel fluxus sanguinei per uterum in fœminis. Nam hæ habent uterum, omniaque ad purgationem eam requisita, quæ in provectiori ætate infestantur; tamen ab infantia nulla in eis sanguinis erumpentis sunt indicia; Non igitur in utero, vel venis

in eum hiantibus, sita est fluxus menstrui causa, nec in eorum obstructione vel constipatione, fluxus illius remora; Sed in ipso sanguine, & spiritu seminali eorum. Qui aliquandiu per vapores solos exequitur, quod tandem in humoribus; vel in his, quod tandem in carne & ossibus est determinaturus. Igitur & à tenerrima ætate hiat uterus, venæq; illæ quæ tandem sanguinem in eum profundunt, sed spiritus à vaporibus incipit, & per vapores continuat aliquandiu quod tandem est in eis humoribus permutaturus; Citra autem illud tempus mensis, quo sanguis est per venas uteri erupturus, soli vapores spirant copiosius in puellis, quàm extra; ita ut si quis sedulius animadvertere velit in earum affectus, eos tunc variare ab eorum quotidiana forma sit deprehensurus. Lentus quidem est processus ille vaporum & valdè occultus in principio, sed de mense in mensem ingravescit, donec omninò in sanguineum mutetur fluxum, eumq; largiorem & vehementiorem. Ideò multæ puellæ etiam qua-

*Causa menstrui fluxus in fœminis.*

*Vapores menstrui uteri hæmorrhagiam præcurrentes.*

dri-

driennes, ſeptennes, novennes, variis moleſtantur ſymptomatis, iisque vel mitioribus, vel crudelioribus, non aliundè quàm à menſtruis vaporibus, mẽſtruatim ex ſanguine ſpirantibus; iterumque miteſcentibus; donec tandem in ſanguineum mutentur humorem; vel qui prius ſoli vel nudi ſpirabant, tandem ſecum & ſanguinem rapiant. Non aliundè quam à tali principio Epilepticæ convulſiones, ſuam trahunt originem, in quibusdam ſubjectis ita violentæ, ut eas à certo quodam dæmonio immediatè oriri exiſtimet vulgus. Nec etiam mares immunes ſunt à talibus vaporibus, qui ſenſim in ſperma abeunt; ſed de his alibi prolixius. Sapiens noſtrorum ſcriptorum Lector, ſui ingenii ſagacitate & ea hinc deprehendet, quæ nos ſtudio retinuimus. Non ſufficit ad intelligentiæ integritatem ab aliorum tantum pendere rationibus, vel peregrina allegare teſtimonia pro defenſione veritatis; Quisque legitimus & prudens Medicus, propriis ut fulciatur neceſſe eſt Rationibus, iisque certis, ſive tali-

*Puellæ ante tempus mẽſtrui variis menſtruis affectibus obnoxiæ.*

*Propriis rationibus niti debet Medicus, non peregrinis.*

talibus, quæ collatæ cum aliis, eis non saltem æquivaleant; sed omninò præponderent, si non in verborum sono, tamen in sensu. Qui quæ nudè asserit aut negat sine addita dicta ratione, ille verba dat suis auditoribus, non res. Solent autem fœminæ multæ sanguinis fluxum pati, non tantum menstruatim erumpentem, vel per intervalla cessantem, sed continuò fluentem, non per plures tantum septimanas, sed & Menses & Annos; uti historia illa Evangelica refert de fœmina, quæ annos duodecim continuos eo vexata fuit, Matth. 9. 20. Marc. 5. 25. Luc. 8. 42. 43. Quis autem est, à quo veram talis continui fluxus sanguinei causam discere possimus? Continuus hiatus uteri, vel venarum in eum propendentium, illius continuitatis fluxus causa non est; Nam si constiparentur venæ uteri, ita ut sanguis inde erumpere non posset, ad fluxum proclivis, tum vel per ureteres ad vesicam, vel per mesaraicas venas ad intestina; vel per in & exspirationis vias ad os deflecteret, majori cum incommodo patientis

*Causa continuæ Hæmorrhagiæ uteri.*

tientis & periculo. Si Lunæ imputanda est causa motus ejus ordinarii & menstrui, justis intervallis incipientis & desinentis? Cui astro imputabimus eum errantem; vel continuò fluentem; vel omninò non fluentem; Revera nos ab astris expansi, ad principia sanguini inhærentia recurrere oportebit; si solidè de ejus fluxu qualicunque philosophari proposuerimus. Fontes non pariunt astra, sed saxa; Nec terram siccam generat Sol aut Luna, sed aquæ in mari confluentes; qui confluxus aquis innatus fuit citius quam astra exstitissent. Ita sanguinis intumescentiam & detumescentiam non astra causantur, sed seminales rationes cujusque individui sanguinis; sive virtutes terrestres nostris obsequiosæ, & rebelles affectibus; quæ sicuti in nobis affectus excitant vel acuunt lascivos, ita reciprocè à lascivis regi amant. Quamvis autem nullum animal fuisset ante astra, & proindè nullus sanguis; Fuerunt tamen omnes quæ sunt virtutes in sanguine, vel principia sanguinis & formalia & materialia; ex qui-

*Influentia astralis cõfutatio.*

*Aqua maris generant lapides.*

quibus sanguis consit; fuerunt Arbores, herbæ, gramina, saporibus, odoribus, coloribus, invicem decertantia; vel seminales rationes justorum locorum & temporum custodes; fuerunt enim lucis & tenebrarum diei & noctis, manè & vesperæ discrimina & reciprocationes. Non etiam ex astris cœlestibus, & terrestribus ordinibus, rapiunt materias spiritus Animales, sanguinis authores & motores. Nulla est alia causa, quæ extrà nos vel ventos vel pluvias gignit, vel fulgura & tonitrua, vel fontes, vel saxa, &c. quàm ea ipsa, quæ in nobis vapores, humores, calculos, sudores, urinas, ichores, spermata, &c. vel Vertigines, Epilepsias, Apoplexias, Hydropes, Febres, &c. Nam ex quibus constamus, iisdem nutrimur; & quibus nutrimur, ex iisdem constamus; Aliàs nulla esset, vel esse oportet, inter nos & hūc mundum, mundanaq; communio; nisi scilicet nostra interiora cum externis communicarent. Si in sanguine nostro sunt, quæ Lunaria, vel Solaria, huic vel illi astri motui, quoad tempus confor-

*Spiritus animales non ex Astris, sed ex insitâ.*

*Unde nostra cum mundo communio.*

mia;

mia; illa non astra externa agnoscunt pro authoribus virtutum suarum, sed intùs in eis habent motores suos singula peculiares; non supernè deorsum delapsos, sed infrà cum superioribus in custodia temporum conspirantes. Ideò autem dicuntur Lunares, Solares, Saturnini, &c. inferiores motus, in fœminis & viris; quia sicuti astra alia aliis peculiari motu ocyus vel tardius moventur; sic quoq; in corporibus humanis, vapores, humores, medullæ ossium, carnium, pilorum, unguium, excrementorum, &c. substantiæ, certis temporibus, vel sæpius vel rarius, vel ocyus vel tardius volvuntur & revolvuntur. Fatales sunt Leges, & spirituales Essentiæ, quæ motus & quietes Entium sensibilium moderātur, inviolabili ordine; omnesque species in integritate conservant. Ob hanc causam cujusque speciei & individui vitæ principium, Seminalem Rationem nominarūt Philosophi, certi temporis, loci, numeri, quantitatis, qualitatis, saporis, odoris, coloris, ponderis inviolabilem custodem & propa-

*Fata moderantur motus omnes.*

Caloris sensibilis effectus sensibiles.

gatorem. Caloris & frigoris sensibilis, sensibiles sunt effectus, suis causis similes, & in motus exordio & fine: Sed causæ, vel rationes seminales, occultiùs tractant sua; nam harùm opera non sunt sensibilia in fieri, sed in facto; non in fluxu, sed in fluxus quiete. Calor & frigus, sensibilia ambo, corruptionis & generationis causæ nominata, non se habent ut causæ principales, verùm saltem ut causarum instrumenta sensibilia, aut indicia; Processum generationis & corruptionis in tres dividentia partes, respectu ad mensuras temporum habito, in præteritam, præsentem & futuram; Sed respectu ad Locos, in superficiem motus; in medium, & centrum quietis; Medium sibi vendicat & motus & quies; nam quæ à motu ad quietem vergunt; vel quæ ad motum è quiete, utraque admittunt & loci & temporis intervalla, citius quàm conjungant suæ extremitatis terminos. Ita sanguis non subitò intumescit, vel detumescit, sed per intervalla; nec subito vapor fit aut humor, vel illic simul de-

finit

finit esse vapor ubi humor, sed sensim; tamen alibi ocyus, alii tardius vel in vaporem abit, vel in humorem; diutius vel brevius vapor manet, vel humor. Quæ aliquandiu alicubi calebant extremè, sed frigescunt; illa à motu ad quietem redeunt; & è contra; quæ calescunt sensim, prius frigidiora, ea in vaporositatem tendunt, & ad motus varietatem. Sicuti autem in vomitu sanguinis, vel ejus per inferiora dejectione, purulenta sputa, vel screationes cruentæ sequuntur ejus vomitum copiosiorem; Idem fit & in hæmorrhagia uteri, tàm menstrua, quàm extraordinaria; tam in ea, quæ per venas erumpit sanguineas; quàm in ea, quæ per vasa spermatica alluit. Nunquam enim uno impetu ita exonerant sanguinem venæ in uterum, vel uterus eum ejicit, ut nullæ omninò hæreant in orificiis vel venarum vel uteri reliquiæ post primum impetum; Vapores enim, humorum stimulatores in fluxu & effluxu, non semper ex æquo sunt vehementes vel tardi; nec

*Causa purulentæ excretionis menstruæ in fæminis.*

nec reliquiæ ſanguinis ſemper æque multæ, vel paucæ; Ideò à menſtrui fluxu, humorem ſæpè per genitalia excernunt, & puellæ, & maritatæ quendam purulentum, alium alio acriorem, vel rubentem, vel liventem magis; quem menſtruum albũ nominant; Ille tamen nihil eſt aliud, quam reliquiæ menſtrui ſanguinis ob longiorẽ intus moram putrefactus. Solet autem in quib⁹dam ſubjectis cõtinuare ab uno ſanguinis menſtrui profluvio, ad alterũ; In quibusdam per aliquot dies durat; In quibusdam urina ipſum abluit è veſica erumpens per genitalia; ſi videlicet ex utero prolapſus ſit; In quibusdam altius hæret quam ut cum urina egredi poſſit. In quibusdam ſolius ſanguinis ſunt reliquiæ; in quibusdam ſpermaticæ maſſæ portio; ab hac tamen plus & incommodi, & periculi metuendum eſt patientibus; ab illa minus. Quæ fœminæ ſteriles ſunt, ſed laſcivæ; illæ à purulenti hujus humoris colluvie magis infeſtantur; Nam quælibet & leviſſima occaſio in ipſis ſanguinem irritat ad excernendum

*Menſtruum album quid.*

vel

vel vapores vel humores copiosiores in vasa spermatica. Gonorrhæa autem illa turpis & fœtida quâ impura scorta divexantur, non tam ex sanguine immediatè in suis venis, sed in spermaticis vasis, parastatis, vel testibus, vel ejaculatoriis putrescente derivatur, qui quia illo acrior, ideò ulcuscula quoq; in genitalibus excitat enormia, & pruritum etiam frequentiori Veneris exercitio immitigabilem; qui suo contagio non saltem pudenda scorti, sed & mœchi inquinat, pustulis periculosissimis. Sed satis de his; In peste, aliis deniquè morbis epidemicis; solet extraordinarius oboriri sanguinis per genitalia fœminæ fluxus, qui uti symptomaticus est, ita & morbi eventus tristioris index: Nam patientem vel jam agonizare, vel brevi agonizaturum portendit; Si verò ordinario tempore & justo erumpat in patiente actu jam decumbente; ille morbum solvit, & patientem revalituram promittit. Uti autem non in omnibus subjectis junioribus pari tempore effluere incipit sanguis menstruatim; Ita nec in omni-

*Gonorrhææ causa & noxa.*

*Eruptio sanguinis per genitalia fœminæ in peste lethalis.*

*Sanguis inæqualiter erumpit & supprimitur.* omnibus senioribus iisdem ætatis annis cessare; nam sunt quæ anno 42. vel sexto septenario ab eo amplius non molestantur; aliæ ad nonum usque eum patiuntur non sine magno incommodo. Nemo est qui certum tempus definire possit incipienti; nemo qui cessanti. A cujuslibet individui peculiaribus seminalibus rationibus proficiscitur motus cujusque sanguinei vehementia aut tarditas, frequentia aut raritas, duratio motus & quietis brevior vel longior. Externæ causæ sunt saltem occasionativæ, impetusque earum vilescit in sanguine, causis amotis; sed internæ, comitantur effectus suos & in motu & in quiete. Quatuordecim autem dies circiter dicati sunt motui sanguinis, incrementum in magnitudine capienti; totidem & in se ipsum confluenti: atq; sic vigenti octo; Reliqui, motui ejus vel fluxui, & quieti centrali, nempè duo, cum horis duabus vel tribus, sunt imputandi; *Sanguinis quies nunquam continua.* Quamvis propriè loquendo, sanguis nunquam sit quietus omninò in se; sed ratione nostri tunc quiescere dicatur,

tur, dum nostro sensui motus ejus per nulla indicia sit obvius. Nam sicuti Luna in expanso; Aquæ, in mari; in continuo & indefesso sunt motu, tunc quoquè quando nos ea minimè moveri sentimus; ita & sanguis in nobis; sed si motus ejus & quies, vel quietis & motus tempora numerari possunt, vel discerni ab invicem, tunc id facilius fit in subjectis fœminei quàm masculini sexus; sicuti facilius notatur tempus incrementi & decrementi Luminis Lunaris quàm Solaris. Sentiunt etiam Medici plurimi, quod puella sit ad imprægnandum inepta, citius quàm ei fluxerint mẽstrua; Sed & hic falli nos testantur quotidiana exempla; quorum quia multa valdè sunt odiosa; ideò ea tacere expedit. Noveram ego fœminam, matronam nobilem & honestam cujus sæpiùs in scriptis meis mentionem feci; quæ annos nata 21. septimum enixa masculinum fœtum, nullum unquam menstrui sanguinis fluxum passa est: Rationes quoque illæ quæ pro fulcienda contrariâ opinione utantur, non tam necessitatem

*Fœminæ imprægnari possunt etiam citius, quam sint menstrua passa.*

ſitatem illius fluxus ante impręgnationem arguunt, quàm demonſtrant plures eſſe quæ antequam eum paſſæ fuerint imprægnatas, imò nequidem maribus elocatas fuiſſe. Sed puella quæque, quæ intus deſiderio maris tenetur, ſive menſtruum fluxum paſſa ſive non, ſicuti ad coitum, ita ad imprægnationem apta eſt; ſed de hac materia diſputabimus alibi; ſi nobis fata vitam prorogarint. Sicuti verò neceſſarium non eſt, ut ſanguificatio, vel ſanguinis flluxus menſtruus, præcedat imprægnationis potentiam; ſi ſaltem adſit ſpermificatio. Ita nec ſequitur puellas illas, vel conjugatas fœminas imprægnatas eſſe quibus menſtrua ordinario fluere ceſſarunt. Nam exempla occurrunt quotidiana, fœminarum quibus ſanguis ordinariò fluxit qoſt imprægnationem, uti ante; nec ceſſavit niſi menſe uno vel duobus ante partus tempus. Tamen hoc modo dogmatum ſcholaſticorum Theorica authoritas, non abrogatur; Ita enim comuniter fit, ſicuti verba eorum ſonant; nam rarò contingit puellas

*Puellæ quãdo imprægnari poſſunt.*

*Menſtrua & prægnantibus fluunt.*

las ante nubere; Et quod si nubant; non omnes primo coitu imprægnantur; sed quæ prius nunquam sunt menstruum sanguinis fluxum passæ, eâ occasione ille in eis proritatur, ita ut post ordinariò fluat; qui alias nondum fluxisset. Sanguis verò serius erumpens, vel omninò non erumpens, multorum malorum solet esse causa; Nam quamvis non erumpat humorosa specie, tamen vaporosa, massam sanguinis superiorum venarum inquinat, ita ut conduceret magis in omni subjecto eum erumpere ocyus quàm tardius, præsertim in illis puellis quæ intus marium desiderio æstuant; certiora enim indicia sunt maturitatis puellarum quæ ab earum affectibus petuntur, quàm à sanguinis motu; hic enim communiter affectus sequitur, raró præcedit, sicuti in maribus ita & in puellis. Subsidet autem fluxus ejus ordinarius, non à venarum per quas evacuari consuevit, obstructione tantùm sed sæpius, imò maximè à principiis seminalibus magis ad confluxum quàm diffluxum in massa

*Sanguinis menstrui oppressi noxa.*

*Ab Affectibus puellarum potius, quàm à menstruo petendum maturitatis tempus.*

ſanguinea inclinatis; vel quod ſpermificatio in puellis prævaleat ſanguificationi; ideò illæ puellæ laſciviores ſunt mariſque cupidiores quibus menſtrua ſubſidēt, quàm quibus ordinario fluunt, quia materia ſanguinis in ſperma abit, vel rapitur ab affectu: Ideò poſſibile eſt puellas quæ nunquam ſunt paſſæ fluxum ſanguinis, pati Gonorrhæam, vel fluxum ſpermatis. Sed hic ceſſabo, ne ſecreta naturæ plenius effutiendo offenſivus fiam piis auribus.

*Puellarum laſcivia cauſa.*

---

## CAPUT XIII.

### *De Sanguinis fluxu ex Venis ani, hæmorrhoidibus dictis.*

EXtremitatem inteſtini recti, muſculi tres excipiunt; his quoquè venarum propagines inſeruntur, quæ quidem ita non hiant ſicuti emunctoria venarum & arteriarum; ut videlicet eorum orificia videri poſſint, vel ad oculum demonſtrari; hiant tamen ſicuti pori cutis, vel ſuturæ cranii hiare dicuntur:

*Hæmorrhoides hiant & quomodo.*

tur: id est si non semper humoribus, tamen vaporibus, iisque acrioribus sunt pervii, vel tales fieri possunt, citrà aliquam noxiam continuitatis solutionem; Intumescunt autem interdum tantùm sine hiatu; talisq; eorum constitutio, est hiatibus molestior; quoniam inflant extremitates venarum vaporibus valdè acutis & salsis, urentibus & mordicantibus partes vicinas; quos affectus, ficus ani, condylomata, mariscas, hæmorrhoides cœcas appellare placuit antiquitati. Quia ex venis illis vapore tumescentibus, non semper sanguis manat quamvis hient aliquando nec aliquid simile sanguini; nisi pus, vel humor aliquis salsus, urens, & pungens, donec fluxus ejus cesset, sponte potius quàm subsidio medicamentorum; horum enim hic nulla alia est commoditas, nisi ad mitigandum symptomata utilis ut fiant tolerabilia. Interdum autem in quibusdam subjectis syncerus ipse sanguis erumpit, longius vel brevius durans, vel per intervalla menstrua recurrens. Quocunq; verò modo excer-

natur, semper tamen valde acris est & urens, ideò dicitur Melancholicus; quia alio sanguine & crassior & nigrior est. Nec mirum est, eum sanguinem vel vaporem, sanguine vel vapore aliunde erumpente, acriorem vel salsiorem esse; nam ureteres, & vasa spermatica, utraq; salsorum vaporum & humorum emunctoria, venis his vel truncis, ex quibus hæmorrhoidum propagines derivãtur, sunt valdè vicinæ; & quicquid illæ ad se non rapiunt salsedinis, id per venas has ani erumpere cogitur, aut sursum sublimari debet ad ramos venarum supra truncum iliacum ascendentes; vel nisi sublimetur; deorsum regurgitare ad pedum usque extremitates; Unde communiter, post primam sanguinis defœcationem, omnes salsedines post massam sanguineam infestantes, in superiora derivari solent. Quamvis enim massa integra humoris per venas & arterias dispersi, sanguis dicatur, & humor homogeneus esse ad oculum appareat, sive nullo hiatu locali, una ejus pars ab altera diffideat; Tamen partes ejus in

*Sanguis hæmorrhoidũ ani.*

*Sanguineæ massæ in venis discrepantia.*

ea continuitate valdè diffidere ratio dictat. Nam ficuti aëris corpus ubique eft continuum ab expanfo ad terram usq; , nam nullibi in eo datur vacuum ; Summa tamen ejus regio ab infima ; media verò ab utraque valdè difcrepat; Diverfis autem temporibus fenfibilior eft partium aërearum difcrepantia. Hyeme omnia in aëre funt craffiora, graviora, vehementiora, durabiliora, & venti & pluviæ, & nubes & nebulæ, &c. Talis eft quoque conftitutio in corpore noftro fanguineæ maffæ, in eaque contentorum vaporum ; Nam certis vel ætatis, vel Anni temporibus, vapores excellunt cum fuis fignaturis ; iterum humores ; Quamvis fanguis femper humorofus maneat, tamen per intervalla fertilior eft vaporum, fuis iterum fignaturis invicem diffidentium ; Nam vapores, qui nervorum, offiumq; medullas permeant, illi funt inter omnes fubtiliffimi; His proximè affines funt vapores fanguinis arteriofi, venofi, humorum quoque funt feraces, & humoribus affiniores. Inter venofos magna iterum eft

*Diverfis temporibus variant vapores & humores in fanguine.*

& multiplex varietas, tum in consistentia, tum in saporibus, odoribus, coloribus, ponderibus. Nam qui sanguinem movent in ramis venarum, à trunco iliaco ascendentibus, illi sunt multo diluciores & leviores, quam qui massam sanguinis occupant in ramis descendentibus contenti, quibus se exonerat sanguis per vasa spermatica, ureteres, & venas hæmorrhoides; Sed in massa sanguinis à femoribus usque ad extremitates venarum contenti, sunt crassissimi, inter eos autem gravissimi, qui sensim immobiles fiunt, vel ad unguium radices subsident. Atque talem varietatem sanguinis substantiæ vel massæ sanguineæ exigere videtur ipsa corporis humani ejusque officiorum constitutio; Nam si æquè graves essent vapores sanguinis in ramis venarum superiorum ac inferiorum, impossibile esset hominem erecto ad cœlum vultu gradi; si autem leves essent ex æquo utrinque, tum inferiora non essent idonea ferendo oneri superiorum: Quod per Mathematicas inductiones ad oculum demonstrari po-

*Vaporum differentia in venis.*

ri po-

ri poteſt. Omnia ulcera & vulnera pedum ſunt difficilioris conſolidationis, quam membrorum ſuperiorum; Tamen omnes abſceſſus, ulcera, fiſtulæ, vel per artem facti in cute fonticuli, ſunt ſuperioribus membris utiliores infernè, quam ſupernè; ſi valetudinem reſpiciamus; Quamvis dolores acriores excitentur in pedibus, quam membris ſuperioribus, ob extremitates ſaporum infra prædominantium. Ponderoſa corporeitas in exiguo atomo ſubſtantiæ ſuæ, plus occultat tincturarum materialium, quam levis, vel vaporoſa, in magna & latius exporrecta quantitate; ſive ut ipſe Ariſtoteles loquitur, Una pars terræ habet in ſe decem partes aquæ; Una pars aquæ, decem aëris; Una autem aëris, decem ignis: Ideò judicant Chymici aurum, quia inter omnia malleabilia, maximè eſt diducibile; inter omnia gravia ponderoſisſimum; inter omnia igne conſumptibilia, inviolabile; eſſe omniũ ſaporum, odorum, colorum, ponderum, humiditatum, ſiccitatum, calorum, frigorum centrum.

*Ulcera pedum difficilioris curationis.*

*Ponderis exigua quantitas ditior tincturarũ quam vaporum major quantitas.*

*In Auro omnia occultantur.*

*In homine revelantur omnia.*

Homo autem inter omnia heterogenea summè heterogeneus; quoniam nihil potest homogeneizari magis, quã aurum; nec heterogeneizari quam humani corporis strues. Ex Anatomia venarum pedum ascendunt omnes vapores, à quibus quocunque modo inquinantur, infestantur, exagitantur membra superiora, & media; Ex pedibus rapiunt materias & fomenta sua affectus febriles, epileptici, calculosi, nephritici, uterini, pectorales, capitales; Biles, pituitæ, humores denique alii & vapores stomachum, arterias, venas, pulmones, jecur, intestina per intervalla crudelius exagitantes. Donec in pedibus quiescunt, quæ semel sanguis à se secrevit, & per atomos quasi cum unguibus excernuntur; eousq; benè habent superiora omnia. Dum sanguis per uterum, vel renes, vel hæmorrhoidas venas evacuatur, tum nullus supra vomitur, vel cacatur. Aut si superiora prius, quæ molestabantur à sanguine per eorum emunctoria eruptione; illa & membra, & illi ægri, ab ea molestia liberantur

*In pedibus omniũ morborum intervallariũ fomenta.*

rantur sanguinis per hæmorrhoides, aliasque venas inferiores effluxu. Sæpè medemur capiti, pulmoni, cordi, hepati, ventriculo, aliisque membris superioribus solis; Cum tamen inferioribus potius occurrendum esset, si non membris, tamen eorum contentis, humoribus scilicet, vel vaporibus. Ideò magis interdum obsunt Medici, quàm prosunt ægris; irritantes ad motum, quæ ad quietem trahere; vel discutientes, quæ incrassare; aut ad superiora trahẽtes, quæ deorsum repercuti conducibilius fuisset. Non satis fit naturæ, si satis fiat artis methodo; vel veritati, si satis fiat consuetudini, vel communi opinioni. Semina super calcem vel cineres, aut terram pinguem & soli expositam sata, ocyus erumpunt, quàm si in commune solum, & meridiei oppositum, conjecta fuissent, lasciviuntq; magis in suo exortu; sed ocyus occumbunt; vel sterilescunt citius, quàm fructificaverint; Ita contingit & omnibus sanguinis mutationibus, quæ ars excitat, non natura. Hæmorrhoides venæ non hiant *Error Medicorum.*

quidem ordinario, nisi à vaporibus vel humoribus salsis eorum continuitatis fiat solutio; Igitur non negamus, venam vel arteriam intus in corpore erodi, vel quocunque alio modo perforari posse; Sed saltem sanguinem ex venâ intus in corpore ruptâ, per os, vel per sedes manare posse inficiamur. Sed in partem venæ hianti proximam influit sanguis effluens alicundè. Ita venis ani hiantibus, illinc ubi hiatus est, elabitur; ex pectoralibus, in pectoris concavitatem manat; Ex lumbaribus in ventris; sed non per penem vel meatus urinarios, per os vel asperam arteriam, longè ab eorum situ ex vasis suis prosiliens. Nunquam autem sanguis ex venis hæmorrhoidibus prosilit subitò vel inspe-rato; sed priusquam erumpat, quid futurum sit, variis indiciis præsignat; quæ indicia non omnibus æquè patientibus nota sunt, sed illis saltem notiora, qui ejus fluxum pati consueverunt, aut semel atque iterum perpessi jam sunt; Non tamen in ano tantum ea sunt sensibilia,

ſed & in partibus ab eo remotioribus; etiam in capite, pectore, ventriculo. Per certa quoque indicia & menſtruus fluxus in fœmininis proditur corporibus, citius quàm præſens ſit; Nam ructus frequẽtes, capitis gravedo, ſomnolentia, inſomnia turbulenta, præcedunt fluxum hæmorrhoidum, pruritus ani, dorſi dolor, &c. Non enim una pars ſanguinis moveri poteſt, ut motus ejus non ſentiatur ubique per ejus maſſæ emũctoria omnia; alibi tamẽ manifeſtiꝰ alibi omninò occultus; non tam ſenſibus vel ſenſoriis, quàm imaginationi per ideas cognatior: Sive omnes illi affectus à quibus patientes per ſenſibilem ſanguinis eruptionem immunes fiunt, non aliunde quàm ex ſolo ſanguine vel ejus vaporibus, derivantur. Quæ autem à ſanguine venarum ſuperiorum ſurgunt incommoda, ea patientes nullo modo præſentiunt in partibus inferioribus, citius quàm in humores converſa, vel craſſiora facta poſt quam fuerunt prius, deorſum ad ramos venarum deſcendentium repercuſſa, & præcipitata fue-

*Indicia imminentis Sanguinis fluxus.*

fuerint, vel propriâ ponderositate, vel alia aliqua prævalentis in eis tincturæ violentiâ. Vapor sanguinis venarum inferiorum violentius deorsum impetum faciens sive per ureteres, sive per vasa spermatica; in illis variarum mingendi incommoditatum; In his affectuum scroti & testium, tumorum, & herniarum est author. Omnis autem insignis mutatio sanguinis, contingit circa años menses hebdomadas, dies, horas septenarias; præsertim in subjectis masculinis; sed in fœmininis, circa annũ, mensem, hebdomadam, diem, horam quartam; Salis enim natura est, ut non nisi septima, vel quarta revolutione fiat sensibilis; cujus rei rationem reddemus in nostro septenarii mysterio. Sunt enim salia quoquè inter se distincta sexu, sicuti tales differentias vegetabilius affingunt Botanici; Nam alia sunt omninò salsa; alia etiam aliquomodo pinguia: sed de horum natura in Philosophia sacra in capite de Salibus.

*Salis motum septenarius moderatur.*

CAPUT

## Caput XIV.

### *De Hæmorrhagia Narium & Venarum Exteriorum.*

Quæ sit causa, quæ via, qui ductus, per quos sanguis foras erumpit, per fauces, per sedes, per ureteres, per uterum, de effluxu, diximus breviter; Jam & causam ejus eruptionis per nares, & venas exteriores describemus; quoniam ille quoquè valdè frequens est, & Medico scitu utilis; Fit autem à causis variis, tum internis, tum externis; Exordiemur ab ejus per nares fluxu. Est autem nasus pars capitis externa, inter oculos in medio faciei protuberans, beneficio septi in duo divisus foramina & concavitates, per quas cerebrum venæ, nervi, arteriæ, suis se exonerant tum vaporibus tum humoribus ordinariò & extraordinariò. Intus autem in qualibet nasi concavitate, præsertim parte ejus superiori, sunt nervorum, arteriarum, venarumque propagines, valdè subtili membranâ obvolutæ; ob cujus subti-

Sternutatio unde. ſubtilitatem à leviſſimo quoq; vapore, humore, vel pondere afficiuntur & titillationem vel pruritum quendam ſentiunt, illius corporeitatis excuſſivum; qui motus ſternutatio dicitur: ab humore autem acriori quandoquè arroduntur ita ut hient, atque portionem ſanguinis ſæpè multam ejiciant; Imminentis pejoris mali quàm præſens eſt, indicem; vel præſentis terminandi, aut mitigandi. Quia autem nares perviæ ſunt non ſaltem vaporibus ſubtiliſſimis arterioſis venoſis, nervoſis, ſed & humoribus ex cerebro in eas immediatè prolabentibus; Ideò variis affectibus ſunt obnoxiæ: Qui quia omnibus noti ſunt, nullam nobis hic neceſſitatem imponunt eis longius immorandi. Solius itaquè hæmorrhagiæ narium hic mentionem faciemus, ſive ſanguinis per nares eruptione. Illis ex quorum faucibus vehementius proſilit, interdum ejus portio & per nares excernitur, quia hiatus eſt ſenſibilis & ſatis amplus ex palato ad nares usquè; ideò per nares quoquè, imò frequentius quàm per os reſpiramus, & eſt in-

est indifferens sive per nares sive per palatum fuligines per exspirationem evacuentur, aërq; in locum eorum substituatur per inspirationem attractus. Non tamen tunc solum per nares fluit vel effluit sanguis, dum infernè vomitur; sed sæpè solvitur quoquè continuitas substantiæ venarum ejus, sive ab interno aliquo acri vapore, vel salso & arrodente humore; sive ab externo ictu, vel duriori fricatione. Non hiant enim propagines venarum vel arteriarum per nares dispersæ ordinario; sicuti nec venæ hæmorrhoides; quemadmodum hiant orificia arteriarum versus pulmonem; vel venarum superiorum, versus hepar; Et inferiorum versus venas emulgentes, & vasa spermatica. Igitur quotiescunque nares stillant sanguinem, toties est aliqua solutio continuitatis facta, venularum concavitatem ejus occupantium; sive ab intra, sive ab extra: Illa autem non semper est ex æquo magna, vel sensibilis; sed interdum ita exigua, ut vix vaporibus, iisq; subtilissimis, sit pervia; Interdum adeò hians,

*Venæ omnes non hiant: Arteriæ tantum in corde.*

ans, ut non ſaltem vaporibus craſſioribus, ſed & ipſi ſanguini liberum concedat fluxum. Qui vaporum diſcrepantiam non capit; illi eſt quoq; impoſſibile judicare de puſtulis in naribus, in labiis, in lingua, &c. erumpentibus; per quos interdum graves terminantur morbi. Imò ille proceſſum quoq; generationis abſceſſuum, vel apoſtematum exteriorum & interiorum, bubonum peſtilentialium, & ſpermaticorum non capit; Nam omnium talium affectuum genenerationis proceſſus ſimilis eſt vel hæmorthagiæ narium; vel omnium puſtularum criticarum & ſymptomaticarum eruptioni. Quotieſcunque vapor ſolus levem aliquem impetum in venas facit narium, tum excitatur intus in eis vel pruritus, vel obſtructio ſenſibilis, pro varietate vaporis in nares irruentis, vel ejus venarum concavitatem actu obſidentis; Quamvis vapor ſæpiſſimè vel in humorem deſinat, vel eum comitem habeat; Vapores tamen in omni narium hæmorrhagia prædominari certum eſt; humores ob venarum capaci-

tatis

tatis parvitatem multi, nares infestare nequeunt, nisi extra venales: vel ex cerebri concavitatibus in eas prolapsi, vel ex palato delati. Solet autem sanguis interdum ex interioribus narium venis prosiliens fortius, ad palatum quoquè prolabi & per os excerni; eâdem ratione sicuti per trachæam erumpens nares quoq; penetrat. Sed hæmorrhagia narium, etiam largior suo commodo non caret; quamvis omnis incommodi vel periculi immunis quoquè non sit, parcius interdum erumpens. Solent enim in nares sæpè impetum facere, vel irruere fortius, vapores acerrimi & salsissimi, qui nisi maturè inde excutiantur, multorum malorum solent esse aut comites, aut prodromi, aut fomites; Non saltem ex cerebri substantia nati, sed & ex pedibus, ureteribus, vasis spermaticis, arteriis venisque eò delati, vel per intervalla tãtum, vel continuò halantes; Non ex vaporibus cibulentorum vel potulentorum generati; sed ex massa quâdam gravi, crassâ & terrestri quæ aliquando sanguis fuit, sed sanguis esse desiit; at-

quæ tunc secundâ revolutione in vaporem resolvitur, & massæ sanguineæ permiscetur; qualis est processus generationis febrium omnium intermittentium. Ideò per nares fiente profluvio, plurimæ solvuntur; vel per pustularum circa nares eruptione; atque nos docent, quod non humor sit materia febrilis, sed vapor; nam si humor esset, revera ita subitò, vel eo modo terminari non posset. Sicuti ex venis narium a salso vapore perforatis sanguis manat; Ita quoq; fit venarũ in pedibus perforatio, nisi quod sanguis pedum sit humorosus magis quàm vaporosus; ideoq; tum põdere, tum sapore sensibilis. Ex pedibus erumpentem comprimere non conducit; nam hoc facto, ulcera phagædenica pedes invadere solẽt; In Bohemia valdè frequens est affectus hic, maximè verò sexui fœminino familiaris, in ætate illa, quæ nũquam amplius patitur sanguinis menstrui fluxum. Alibi vaporosum magis esse deprehendi; nam Erysipelata, Phlegmones, pedum tumores œdematosi, in omnibus locis grassantur; nec in senes

*Febris materia non humor est, sed vapor.*

ſenes tantum ſæviunt, ſed nec juniorib⁹ parcũt. Ideò fontanellas adhibere pedibus poti⁹ conducit quã brachiis, nam in pedib⁹ omnia & graviora, & ſalſiora, pro indeq; pernicioſiora hoſpitantur, quàm in membris ſuperioribus; atq; ex pedibus quæ manãt, ſive ſponte eruptionem faciãt, ſive artis adminiculo; inficientia ſunt nõ infecta; ſive contagioſa omnia. Nec eſt usquam aliquid mali aut noxii extra nos, quod intùs in nobis nõ eſſet: Nec alibi quieſcit vel occultatur comodius in nobis, quàm in maſſa ſanguinis venarum infimarum; atq; hinc ad ſuperiora ſublimatur vaporosâ ſpecie. Minima quidem ſunt ea, quæ gravia ſunt, vel in ſanguine ad extremitates venarum quieſcunt, ſi molem eorum conſideres; ſed ſi virtutem materialem, quàm maxima. Nec aliundè quam hinc Epileptici, Apoplectici, omnes deniq; alii affectus capitales generantur: de quibus in peculiari Tractatu acturi ſumus. Quæ autem in nobis talia ſunt, à principio talia non fuerunt, ſed longiori temporis progreſſu talia evaſerunt; Nam ſicuti

extra nos omnia metalla vel mineralia fuerunt, quæ vegetabilium vel animaliũ carnes sunt, ossa, medullæ, lac, &c. Et quæ hodiæ sunt animalium carnes, vel vegetabilium partes, cras iterum terra fiunt, sal, lapis, metallum. Idem quoq; & eodem generationis processu contingit in nobis fieri; nam quod nos aliquando nutrivit, idipsum nos tandem variè vexat, citiùs quàm omninò mortificet; tãdem corp⁹ in terram mutat, sicuti prius ex terra formavit. Omnia mundi entia generabilia, sibi pulcerrimo & indissolubili nexu succedũt, in lucem erumpentia & in tenebras redeuntia; ab uno primo fit numerationis exordium, sive species, sive individua, sive ordines, sive gradus omnium & singulorum consideremus: In uno quoque ultimo terminantur motus omnes; Profluit autem sanguis ex pluribus quoque membris, quàm ex supra numeratis; Ex auribus nempe, gingivis, &c: Tamen qui cognoverit ejus eruptionis causas, & modum ex membris à nobis recensitis; nec ignorabit ejus erumpentis causas, aliundè. Ideò nos hic quiescemus, & ad secundam partem Tractatus hujus progrediamur, in Nomine Domini, cui sit Laus & Gloria in secula seculorum, Amen.

# TRACTATUS
De
# HÆMORRHAGIA,

## LIBER SECUNDUS.

### CAPUT I.

IN priori hujus Tractatus Parte; causas Hæmorrhagiæ multifariæ enarravimus, non quidem Medicorum Scholasticorum dogmatibus, vel vulgi & multitudinis assensu authentisatas; sed solius tantum Rationis argumentis & testimoniis suffultas; quas nemo aliter quam paribus armis, si Rationalis sit, refutare, aut confutare poterit, etiamsi aliquis fuerit, qui voluerit. Per nostrarum autem Rationum argumenta, non solis ægris consultum voluerimus, sed & Erroribus Medicorum eorum, qui sentiunt, non tam rationibus inducti,

*Error Medicorum de causa Hæmorrhagiæ.*

quàm opinionibus peregrinis persuasi, sanguinem per fauces, per ureteres, per genitalia, per monoculum, quandoque syncerum, quandoque purulentum erumpentem; aut exulcerationem alicujus visceris interioris, aut vasorum sanguineorum cõtinuitatis solutionem arguere; atque ex hiante aliqua intùs vena, sive ab ulcere, sive à vulnere processerit hiatus, foras prosilire. Eorum quoque opinionem refutare hîc cupimus, qui cruentas vel purulentas hemaptoicorum exscreationes, à vomica pulmonum, vel aliquo Apostemate pectoris & ipsi sentiunt, & aliis persuadent, procedere; imò verò, quod turpius est, ipsum parenchyma pulmonis per asperam arteriam, & per fauces, homine superstite, excerni posse; quod ne in mortuo quidem contingere est possibile, absque læsione arteriæ asperæ. Contrariamq; sententiam nostræ; vel esse cæcum errorem, aut pertinacem imposturam probabimus; Ideoq; omni Christiano & Rationali Medico indignam & indecoram. Quamvis autem sen-

sententia nostræ opposita, aut omnium, aut plerorumq; Medicorum animos jam occupavit, horumq; persuasione totam ægrorum multitudinem; quod nempe, vel ulcus, vel vulnus, sive Diabrosis vasorum sanguineorum sit causa hæmorrhagiæ, præsertim per fauces, per anum,& per genitalia erumpentis. Tamen uteri hæmorrhagiam, sive intermittentem, sive continuam, cruentam vel purulentam, per solam Anastomosin venarum fieri, & concedunt & docent omnes. Innumeris indiciis manifestis, & testimoniis verissimis, arguimur ignorantiæ praxin exercentes, & convincimur errorum sæpissimè; Tamen nemo est, qui fateatur,aut fateri cogitet ignorantiam, ita ut errores fugere & corrigere sciat, vel doceat. In aliorum oculis festucas reprehendimus; in propriis ne trabes quidem ingentes sentimus; Ignaviæ & pertinaciæ nostræ patrocinãtur commenta occultarum qualitatum, & vulgi fatuitas, ex communi consuetudine pendere volentis. Ideò valde arduus,

*Occulta qualitates patrocinia ignorantiæ.*

nisi omninò vanus & periculosus sit, erit labor hic noster, veritatisque studium, catholicis illis Medicorum vitiis occurrere, & quæ jam profundas admodum radices jecerunt, ea verborum nostrorum ligonibus eradicare velle. Plurimos ea, quæ nos hic docemus vel ignorasse, vel despexisse Medicos hucusque, inquit contumacia, & tamen celebres in orbe fuisse; Ideò cognitionem causarum ita exactam, uti eam nos in hoc opere inculcamus, & ad quam omnes Medicinam facientes exhortamur, nec utilem in Praxi esse, nec necessariam; Ex ejus defectu, nihil honoris aut dignitatis derogari Medicinæ; nihil accedere lucri ex acquisitione: Temerarium saltem esse pruritum ingenii, animorum otiosorum, exactius in obstrusa naturæ & arcana inquirere volentium. Hos & his similes arietes experiatur oportet, sedulus sapientiæ & veritatis indagator; quos qui metuit citius, quàm sentiat: vel ignaviæ se reum clamat; vel omni judicio & judicii libertatis usu, destitutum;

*Objectio contra authoris mentem.*

tum;

tum; atque sic litteræ mortuæ mancipium esse fatetur. Ita quidem est, quòd tarda admodum, vel sera, aut non nisi posthuma sit sapientiæ merces, & segetis ejus messis; Præstat tamen Christianum adnumerari velle prudentibus & sapientibus, quamvis abjectioribus & pauperioribus; quàm stolidis & temerariis, quamvis ditioribus & honoratioribus: Maximè autem ab hinc, si aliam vitam futuram ab hinc aut credimus aut speramus. Certè si ex omni vili verbo, etiam joco vel ex improviso prolato, sumus rationem reddituri animarum judici justissimo; nec connivebit ad errores spontaneos, & ex industria patratos qui & in per ignorantiam commissos severissimè est animadversurus. Si obulo uno, vel gratis acquirere possumus sapientiam, quare eam obulo viliorem judicare vellemus. Nam se ipsum lucratur avidus sapientiæ; sed ejus jacturam, suo ipsius damno luit fatuus. Per quam mundi acquiruntur beatitudines, sunt fraudes, doli, astutiæ, temeritates, violentiæ, hypocrises, ignorantiæ veri. Si

*Sapientia lucrum.*

igitur quærimus ſapientiam, ſcilicet eam quæ ſub myſterio abſcondita eſt, & beatitudinis æternæ mercedem annexum habet; Valedicendum erit prius, non ſaltem omnibus mundanis honoribus, opibus, & amoribus; ſed & mediis illis, per quæ mundanæ comparantur beatitudines; Integritatique tantum ſtudendum erit, in omnibus noſtris quotidianis negotiis. Per me itaque licebit cuique ſentire de ſapientia quicquid volet; me verò nec favor nec furor mundi à propoſito deterrebit; nec antiquitatis authoritas, nec multitudinis terror coget, ut reſpiciam, & revertar unde diſceſſi; ſive ſecundò infans fiam, maturam & virilem ætatem, judiciique libertatem aſſequutus ſemel: non tam meo niſu vel labore, quàm ex dono Dei & gratia. Liberè itaq; philoſophabor de materiis omnibus inter mortales, Philoſophos ſcilicet & Medicos, controverſis, & de iis quæ religionem meam concernunt; & de iis quarum intelligentiam, titulus & officium meum exigit; Hic autem nominatim, de ſanguine,

*Authoris propoſitum.*

ne, ejusque eruptionis caussis; canalibus, suppressionisque modo. Sanguis è suis vasis scilicet venis & arteriis, earumque propaginibus capillaribus erumpens, sive id fiat ab insensibilibus principiis; sive à lapsu aut vulnere extrinseco, sive ab arte per phlebotomiam, scarificationem, sectionem; jacturam tamen patitur quantitatis & ponderis substantiæ suæ, cum majori vel minori patientis commodo, aut incommodo, & periculo; nam ea quam ars suadet aut molitur sanguinis diminutionem, habet quidem suum commodum & utilitatem; sed & incommodum & damnum, nisi à prudente adhibeatur Medico, omnium videlicet sanguinis utriusque vitiorum gnaro; vel eorum non ignaro chyrurgo. Nullum est commodum artis, quod suo periculo destituatur; Idem & de naturæ criticis evacuationibus est sentiendum. Tumultuantibus intus in vasis suis vaporibus vel humoribus sanguineis, suadet ars venæsectionem, eorum non saltem *Phlebotomia utilitas vel noxa.*

præ-

præsentis incommodi, sed & futuri periculi conscia; sive non saltem ideò ut patientem liberet à sensu dolorum præsentium , sed & eum à periculo futurorum præservet. Detractâ enim certâ portione sanguinis alerutrius, omnibus qui inde nasciturì erant vaporibus & humoribus excrementitiis, præcluditur generationis occasio; quorum incommoda quamvis nondum sensisset æger in præterito, certo tamen sensurus erat in futuro, nisi ex vasis sanguineis detracta fuisset contenti eorum portio, tunc quidem adhuc innoxia ; sed non in futuro talis ideò vacuatio sanguinis à prudente Medico instituta, & præsenti incommodo prodest, & futuro providet periculo. E. g. Oenopola ex certis indiciis vini secundam fermentationem prævidens, tantam ejus portionem ex vase subtrahit quantam judicat sufficere præcavendæ ejus futuræ ebullitioni ; præsertim si eam aliquanto fortiorem futuram suspicetur; Qui igitur se ipsum à jactura præcavere vult, & vinum à periculosa ebullitione; ille

*Oenopolarũ prudentia.*

ille utrumque præoccupat vini diminutione, idque amurcæ detrahit; hâc autem vino subtractâ, nulla est ejus metuenda periculosa ebullitio. Si autem negligeret vel vinum amurcæ, vel amurcam vino subtrahere, tum vel vasis, vel vini perditione lueret negligentiam. Eodem fine & eadem intentione inculcat Ars Medica, vel phlebotomiam, vel scarificationem, vel alium quemcunque ejus diminutionis modum: Eumque vel accelerare, vel differre, aut repetere, aut ex venis superioribus vel inferioribus instituere; prouti prudentia Medici utile quid & necessarium esse agnoverit. In extremitatibus manuum vel pedum institutà sanguinis evacuatione, non tam contagione infecto, quàm contagioso sanguini providet, patientem à futuræ contagionis periculo præservaturus; Sed ex ramis ab extremitate remotioribus sanguinem detrahens præsenti jam actu incommodo, & dolori patientis succurrere studet. Quod si omnes Medici & Chyrurgi nossent differentiam massæ sanguineæ, sanguinis

*Phlebotomia in extremitatibus instituta utilitas.*

nis venoſi & arterioſi, ſubſtantiæque ejus ſuperioris & inferioris, tum in hac, vel illa extremitate hærentis, nonquè amplius mobilis ſed actu quieſcentis; tamen in vaſis ſanguineis contentæ, & ſubſtantiam ſanguinis ab unâ parte, ab altera ungues contingentis, in humano corpore; in animalibus, ungulas; quamvis colore ſanguini ſimilis, ſæpius ſuaderent phlebotomiam, ſemper tamen parciorem quàm communiter fit; & potius in extremitatibus manuum vel pedum; quàm è venis brachii, vel ſurarum, longius ab extremitate diſtantibus. Non opus eſſet ſcarificatione, cutis uſtione, nec ſanguiſugis vermibus, ſi fæx ſanguinis maſſæ ejus maturè ſubtraheretur, citius quàm iterum ad ſuperiora cujuscunque occaſionis ſtimulo regurgitaret. Multa quidem incommoda ſurgunt ex fæcibus ſtomachi in alvo ſuppreſſis, vel ex humoribus continuò ex ſanguineâ maſsâ per communia emunctoria fluentibus; Sed ſymptomata graviora per intervalla quieſcentia, & recrudeſcentia, quales ſunt febriles paroxyſ-

*Sanguinis varietas.*

*Incommoda fæcum ſanguinis in extremitate hærentium.*

roxyſ-

roxyſmi, epilepticæ convulſiones, podagrici & chyragrici dolores, alii deniquè affectus plures, non aliunde ſurgunt quam ex fæcibus ſanguineæ maſſæ, in iisdem vaſis contentis in quibus ſanguis ipſe continetur; Quod non diffitentur illi, qui ex vapore à pedibus ad cerebrum delato, inſtar frigidæ cujûsdam auræ Epilepſiam naſci ſciunt; inter quos Galenus ipſe eſt. Si verò Epileſia à vapore ad cerebrum delato naſcitur, quare & febris à pedibus originem trahere non poſſit, ratio nulla impedit; quamvis alterius generis vapor ſit febrilis vel Epilepticus. Sanguis in primo ſuo ortu, ob abundantiam delicatioris cibi vel potus laſciviens, vel quoad vaſa vel quoad vires; nequaquam tamen ideò quia multus cacari, mingi, vomi oportet. Nam humoris ejus quantitatem ordinariò majorem venæ & arteriæ capere poſſunt, quamvis aliquantò plus diſtendantur. Sed à vaporibus intumeſcentem èſpiritibus ſeminalibus tenebricoſis, aut ex fæcibus ſanguineis natis, & ſubitò in maſſam ejus irruentibus

*Sanguis non erumpit ob exceſſum põderis ſuæ maſſæ.*

bus, quamvis canales venarum & arteriarum duplam ſanguinis portionem capere poſſint, in ſua tamen concavitate continere nequeunt, ſed erumpere ſinunt, imò evomere coguntur, prout violentia interioris vaporis variaverit. Sic bombardæ canalis plus capere poteſt pulveris nitrarii quàm quo ordinariò oneratur, ad globi exploſionem; tamen aliquantò plus infarctus bombardæ, quàm juſtum eſt, non ſine periculo ruptionis bombardæ in vaporem reſolutus erumpit. Sic quoque ſanguinis copioſioris ſubita excretio, per vomitum per ſedes, per urinam facta, ſemper quidem eſt periculoſa & moleſta admodum, ſæpè tamen utilis patienti, nam eum à ſubitanea morte liberat; Nam neceſſariò ſuffocari patientem oporteret à vaporum exceſſu, ſicuti illi qui in aquis merguntur, vel fune aut fumo ſtrangulantur; Niſi ita ſubitò exſpirarent ſicuti ſubitò ex ſanguine generantur. Nam quamvis venarum & arteriarum canales ſatis ampli ſint & capaces majoris etiam copiæ humoris, quàm il-

*Sanguinis eruptio violenta utilis.*

lius

[illegible] qui actu præsens est in eorum cavo, Tamen non sunt capaces plurium vaporum, quàm quos uno impetu exspirare possint. Et quamvis detractâ sanguinei humoris aliquâ portione, vaporosa quoque minoretur quantitas, & amplificetur vasorum capacitas; Tamen non semper eo modo frænari potest vaporum ebullitio; Sæpè integra massa sanguinis sic furit ut ejus ne drachmam unam venæ complecti possint, cujus libram integram continuissent quietioris; Dum videlicet vapores in vasis prædominantur humoribus, non succumbunt vaporibus. Ideò cõtingit sæpè, quod illi, qui sanguinem à venis popliti erumpentem cohibent ocyus, quàm ille fluxus subsederit, in magnum malum, sive gravius in futuro quàm præteritum fuit, & fuisset futurum, citra illam occasionem præcipitãt patientes. Nam sanguis retentus vel suppressus in vase, quem tamē natura exonerare volebat, quamvis superiora libera relinquat à cotagione; tamen partes quas contingit, erodit & depascitur, ita ut præter ossa

*Diminutio sanguinis non semper prodest.*

*Suppressio sanguinis quandoque noxia.*

 nihil

nihil relinquat integri. Quod [illegible]
vapores interdum prædominentur [illegible]
moribus, sicuti humores vaporibus [illegible]
monstravimus in parte hujus Tracta[illegible]
priori. Quare autem vapores [illegible]
prævaleāt humoribus, vel in venis [illegible]
teriis comunibus, vel in aliquibus [illegible]
earum ramis, hoc vel illud [illegible]
perreptantibus; non calor [illegible]
externus ejus rei causa est [illegible]
sæpè vel spiritus semin[illegible]
guinea latentes; quandoque [illegible]
externum vel affectus patientis [illegible]
vapores ad prævalendum humor[illegible]
Tamen vaporibus jam actu prædomi-
nantibus in sanguine, frigidior[illegible]
gaudent patientes, quia [illegible]
excessus eos impedit sufficienter [illegible]
re, & quasi irritus in vasis commorari [illegible]
ut uno impetu tot quod debe[illegible]
spirare non possint. [illegible]
haberit reliqui in arteriis aut ve[illegible]
excretionem urinam tantum [illegible]
excretio succedens, & per [illegible]
massa ipsa. Ita quidem est, quod [illegible]

... quas externarum causarum ex... vel violentia intus in venis vel ar... sanguinis diminutione vel ... vel sopiantur. Sed qui va... principiis seminalibus ... latitantibus, & inde erum... surgunt, illi per sanguinis sub... non mitigantur, multo mi... Nisi vel seminalia prin... se ipsis quieverint. vel à fatis, aut ... coercita Cujus rei ... quotidiana multa sunt; sed in ... tum sacris tum profanis plura ..., quæ tamen vulgus non curat, ... de eis judicat, quàm veritas e... Per imaginationem enim patien... exaltatam, quæ spiri... , Fides dicitur inter nos Christianos, multa fiunt, quæ sine ... facta fuissent, vel fieri potuissent. Vapores insipidi, ex humo... simplici alteratione, humores ... non tollunt, vel rectum non sapiunt, ... evaporant. Sed quo acriores ... ab occultiori principio pro... eo massam sanguinis inqui-

Sanguinis diminutio non semper utilis.

Imaginationis vis.

nant magis, & intumescere conspicia[illegible] ita ut eos erumpentes co[illegible] op[illegible] teat. Habent enim saporem, & in vapo[illegible] rosâ consistentiâ, suas quoque por[illegible] rositates divisibiles, quamvis [illegible] sibiles, quàm in substantia hum[illegible] vel sicca. Qui enim sapores ve[illegible] tius afficiunt gustum, vel passionem [illegible] viorem in eo, illi quoque sunt [illegible] res, quam alii saporis remissioris, quam- vis neutri ponderari possint, sicut ea, quæ solidiora sunt. Sanguis humor est vaporibus intus semper plenus, [illegible] semper omnibus ex æquo sen[illegible] ideò aliorum quoque tum vap[illegible] tum humorum ferax est, quam [illegible] imputari possint propriè, sed [illegible] tum nominibus, tum formis [illegible] tum virtutibus discrepant. Non [illegible] autem vaporem sensibilem semper [illegible] e- jus massa latens, à sanguine [illegible] sensibiliter discretum; sed qui vapore è sanguine vel humore proprie[illegible] surgunt, illi sunt unius nom[illegible] sanguine, quamvis seminaliter ab e[illegible] diffideant. Qui autem ex humoribus [illegible]

*Sanguis variis humoribus abundat.*

sanguinis actu secretis, & extra massam ejus mobilem, vel vasa putrescentibus continentur; illi non sunt sanguinei progeni, sed illius seminariæ proprietatis, cujus humor est, ex quo proximè & immediatè surgunt; sive sit biliosus, sive phlegmaticus, sive melancholicus. Idem & de occultis omninò est judicandum, Apoplecticis, Epilepticis, phreneticis, furiosis, &c. Hæmorrhagia autem est fluxus humoris, qui sanguis propriè vocitur; quamvis alius sit sanguinis arteriosi, alius venosi. Hic solus cacatur; ille maximâ ex parte vomitur. Quicquid autem spirat vaporosi sanguis arteriosus, vel excernit humorosi sanguis venosus; id prius quidem totum sanguis fuit; Ita omne id vapor, quod spiritus [illegible]avit, citius quàm in sanguinem commutatum fuisset. In Revolutione ordinaria & quotidiana, vapores reciprocè ex humoribus, sicuti humores ex vaporibus fiunt; Omnis tamen sensibilis corporeitas, ab insensibili principio, sensibilium signaturarum seminario, suum ortum trahit. Quia au-

*Hæmorrhagia est fluxus sanguinei humoris.*

*Sensibilis corporeitas ab insensibili seminario.*

tem vaporis substantia [illegible] nior, quam humoris; ideo [illegible] incipiunt numerari ea, [illegible] humorosa fiunt, vel solidiora. [illegible] plices autem sunt species Creaturarum extra nos, familiarium [illegible] Metallicarum, Mineralium, [illegible] lium, Animalium, piscium, [illegible] bestiarum, pecudum, [illegible] in alimentum cedunt, [illegible] differentiæ vaporum in [illegible] riis, in venis in carnib⁹, [illegible] moribus, in singulisque [illegible] nostræ membris, [illegible] vel signaturis externis [illegible]

*Ratio judicat de rebus quarum sensus capaces non sunt.*

Quamvis verò sensus non [illegible] judicare de omnibus, vel de [illegible] gnaturis singularibus, [illegible] omninò, vel ex parte [illegible] Tamen Ratio humana judicat, [illegible] dicare potest etiam de occultis [illegible] Nam insensibilia non incipiunt [illegible] um cum sensibilibus, sed existunt [illegible] hæc, nobis ea ignorantibus, [illegible] sensibilia per sensuum [illegible] stere assecuramur, vel sicuti [illegible]

[illegible] spiritus ad tenebras reverso. Spiritus enim Entia sunt æquè ac corpora, [illegible] & verius, quam hæc; non [illegible] sunt umbræ saltem vel im[illegible] [illegible] evanescentes Entium spiritualium; Hæc vero sunt res ipsæ, nunquam intereuntes, sed per intervalla [illegible] mortalibus vel revelantes, vel [illegible] cognitione occultantes. Corpora hæc nō essent, nisi spiritualia præcessissent. Ex abysso æternitatis, nobis [illegible] in carne habitamus, imper[illegible] [illegible] omnium locorum [illegible] localiumq; & temporalium [illegible] differentiæ, eòq, iterum rede[illegible] unde processerunt omnia. Vapo[illegible] [illegible] mus, vel olfacimus, ex terrestri [illegible] corporeitate sublimari in aërem; sed quid inde futurum sit, an ventus, an grando, an pluvia, an nubes tan[illegible] sterilis, vel fulmen, aut fulgur, aut aliud quid, nescimus. Ita videmus ex Alembico in Capitellum elevari vapores, alios non nisi vehementiori, alios [illegible] calore, sed nescimus, quæ por[illegible] [illegible] fit in spiritum, in oleum, vel

Spiritus sunt res ve[illegible] [illegible] corpora [illegible] tantum re[illegible] [illegible] nes.

phlegma desitura, citius quàm [illegible] in humores in recipiente [illegible] tur. Tamen omnia vapor [illegible] us, atq; ex his humores formantur [illegible] quid habent. Ita quoq; quæ, quanta est differẽtia [illegible] spicua in humoribus [illegible] tis, ea talis & tanta fuit vaporum [illegible] homogenea sanguinis [illegible] tium; Vapores autem sanguinis arte- riosi discrepant à vaporibus [illegible] venosi; Ita & hi ab illius, [illegible] ipsa earum conformatio [illegible] Nam vapores arteriosi [illegible] rumque omnes sine omni vestigio [illegible] moris. Hi verò rarò soli [illegible] punt, sed in humorosam abeunt [illegible] stentiam. Vapores arteriosi [illegible] cordis systolen & diastolen [illegible] scentiam & detumescentiam [illegible] arteriosi, produnt; Vapores autem san- guinis venosi lenè [illegible] in humores [illegible] tantur, ideò horum generatio [illegible] tio occultior est sensui donec est [illegible] quàm illorum; sed facta jam, est mani- festior; sicuti humor vapore [illegible] [illegible]

*Vapor prius quam humor.*

*Vaporum venosorum & arteriosorum diversitas.*

[illegible]. Ita quoq; vapores sanguinis arteriarum ramorum inferiorum, sunt à vaporibus ramorum superiorum discrepantes; Nam hi turbantur ab illis sensibiliter, illi autem non ita ab his. Omnes autem humores suas signaturas à vaporibus sortiuntur, in primo eorum [illegible] actu; Vapores autem violentiores à subtilioribus, subtilissimi autem immediatè à spiritibus ipsis sortiuntur. Igitur in omni hæmorrhagia [illegible], Rationalis Medicus primariò considerare debet originem vaporum, an humores illi ex prima generatione ortum suum trahant; Tales enim sunt maximè communicabiles sui; An ex secunda, scilicet ex jam præexistentibus vaporibus aut humoribus; Hi uti minus violenti, ita quoque minus sunt noxii. Nullum enim pondus sensibile, prævalet insensibili essentiæ; Ideò ille dæmoniacus, qui à Legionario dæmonio obsessus erat, nullis vinculis etiam æneis vel ferreis vinciri poterat; uti suo loco [illegible] de Spiritibus eorumq; virtutibus philosophaturi. Qui itaq; Medicus

*Origo vaporum observanda in hæmorrhagia cura.*

 depre-

deprehenderit Hæmorrhagiam [illegible]
immediatè à vapore primæ gene[illegible]
tionis , sive à spiritu aliquo [illegible]
ille sapit, si ita cautè egerit, ut Ma-
gi Ægyptii , & manum de [illegible]
detraxerit ; Digito enim Dei [illegible]
prævaliturus. Quod si autem [illegible]
moribus certis jam præexist[illegible]
gere animadverterit vapores hæmor-
rhagiæ authores ; Tum penitus [illegible]
terræ promere medicamenta [illegible]
violentiora. Et prout cognoverit hu-
mores tales latere in venis [illegible]
aut alibi ; exinde eorum [illegible]
instituet. In prioribus nihil [illegible]
humorum etiam largior [illegible]
Nam nisi fons exarescat, ex quo [illegible]
unt vapores & humores noxii, [illegible]
pse defatigabitur quam exhauriet [illegible]
morem possit indesinenter [illegible]
tem novum. Non cessat [illegible]
pestis quàm spiritus retracti [illegible]
quietem à furore à spiritu [illegible]

*Contagium à spiritibus.* cha. Dum spiritus in suis [illegible]
escunt, tum contagium ex [illegible]
natum evadit, innoxium. [illegible]

[illegible] sunt vapores in suo exortu [illegible] non sentiant; Interdum [illegible] vehementes quod citius exani- [illegible] quam in humores desi- [illegible] suos adesse sciant; Interdum [illegible] sydérant & si hac cælant in ipso [illegible] interdum in varios tumores desi- [illegible] aut suppurascentes. [illegible] autem est ut omnium vapo- [illegible] differentias recenseam; Nam pro [illegible] spiritualium virtutum, variant [illegible] tandem horum quoq; [illegible] committitur. Qui Medicus sa- [illegible] animo præditus; ille pauca no- stra [illegible] ingenii industria multiplicabit; [illegible] temporibus æquè ac de humori- bus [illegible] doctius perget.

---

## Caput II.

### *De Commodo & Incommodo Curatione Morborum, præsertim Hæmorrhagiæ Rationali & Empyrica.*

Inter [illegible] & nautas, magna est di- [illegible], utrique tamen publico commodo inserviunt, & merces de lo- co in

co in locum transportant, illi terra [illegible] aqua; illi curribus hi navibus, hi majori illi minori mercatorum lucro. Inter nautas autem iterum est nova differentia; nam sunt alii qui inter ripas navigant; alii qui se vasto mari [illegible] tunt: Illi nec singulari ingenio [illegible] bent nec velorum subsidio; [illegible] vel perticis innixi, trahunt [illegible] bus onustam quo volunt; [illegible] statibus metuunt nec à fluctibus [illegible] plurimum in securo navigant. [illegible] autem velis quoque opus habent [illegible] denique pluribus instrumentis [illegible] quæ Acus excellit Magnetica, quæ [illegible] est navigationis comes & dux: [illegible] ingenioso quoquè gubernatore, [illegible] clavo in puppi cursum proræ [illegible] quo ejus intendit animus. Simili [illegible]

*Rationalium dogmaticorum & Empiricorum differentia.*

quoquè ratio Medicorum rationalium, dogmaticorum & Empiricorum: [illegible] rum vulgus est vilissimum: Nam [illegible] circa experimenta tantum versantur, illi rationes non curant, sed sine [illegible] ne agunt omnia quæ agunt. [illegible] nia medicamenta, consuetudine & [illegible]

[illegible]

... ipsis sufficiunt; si ... sciant Dosin; reliqua non cu... Ideo Pharmacopolæ non saltem ... æquiparantur, sed & quandoquè ... præferuntur Medicis, imò ... eorum designantur, ita ut ... approbaverint vel reprobaverint ... ab aliis judicentur. Alii ite... dogmata scholastica substituunt ra... & ab opinionibus aliorum pen... judicio proprio & intelligen... morborum causarum cognitionis ... Sed rationales, nec experi... confidunt, nec peregrinis autho... sed suo tantum ingenio, rati... judicio, per aliorum rationes pro... & examinatas sæpius acuminato: ... non humores oppugnare tan... vel vapores, sed ipsissima morbo... seminaria, sive spiritus ægritudinis ... quærunt, à sapientia id age... parvo quidem suo, sed majo... lucro. Quod alicubi sensi... sive sit vapor, sive humor, sive ... solidioris, id auferre inde ubi sen... est & levis labor, & levis ars; Sed ne ali- *Sensibilia removere levis ars.*

ne aliud quid succedat simile, aut [illegible] sublato, præcavere; sublimi [illegible] animum, & magis industri[illegible] medicamentumq; vel [illegible] sum à vulgari discrepantem. [illegible] neribus vescuntur, vel arena, [illegible] ne, internè dolentes; Æger [illegible] quus, vacca, bos, nec [illegible] potum, etiamsi ei offeratur. [illegible] milia fiunt à brutis sine [illegible] sensu indice. Ita si frige[illegible] caleamus, frigida affectamus [illegible]

*Rationis & sensus judicium.*

malo onerati; Ad talia [illegible] cit sensus, ratio non exigitur. [illegible] ria contrariis abiguntur; Simili[illegible] bus confortantur. Sed [illegible] internis argumentari; vel ex [illegible] bus in insensibiliũ cognitionem [illegible] veri docet ratio, multo [illegible] & [illegible] dâ arte, vel modo, quàm [illegible] pax esse possit. Ex nubibus & [illegible] in aere pendentibus, [illegible] tem præ aliis occupantibus, [illegible] sophari ratio docet: [illegible] differentia consistentia vel [illegible]

[illegible]

[illegible] nervos, arterias, venas, fibras pe-[illegible], ossaque & ossium medul-[illegible] diluviis autem, imbribus, procel-[illegible] grandine, rore, pruinis, fon-[illegible] nivis, mari, de humorum discre-[illegible]. Non omnes nautæ sibi ex æ-[illegible] à ventis, à fluctibus, à syr-[illegible] naufragio à piratis &c; Quam-[illegible] incommoditates habe-[illegible]; Tamen qui in vasto mari [illegible] peregrino climate plu-[illegible] & gravioribus expositi peri-[illegible] alii, ideò quoquè ingeniosi-[illegible] oportet. Ita quoquè Medi-[illegible] quorum mentes non ita [illegible] communibus experimentis, [illegible] sententiis, sed ad ipsius a-[illegible] penetrant, jam his, [illegible] ægris, jam à Medicis va-[illegible] periculis; jam ab extrà, [illegible] Intus metu, sinistrioris suc-[illegible] rabularum & invidorum [illegible] exagitati. Tutius viverent & [illegible] si pharmacopolarum favore ni-[illegible] omnibus medendi pro-[illegible] servarent; Nam qui ex eventu saltem

*Medici Rationales differunt ab Empiricis.*

ſaltem judicant res, & ex lucro proprio potius quàm ægrorum; non haberent ita amplam occaſionem eos lædendi, uti habent dum eos ſua ægrorum, ſuſpecto apud vulgus alicujus erroris modo tractare vident. Ille Medicus qui nullam habet rationem cauſarum morbificarum, nullam vaporum occultiorum, ſed ſaltem ſymptomatum & humorum ſenſibilium, quorum cognomina varia docent ſcholæ & differentias, quibus Pharmacopolæ aſſueti ſunt, ille ſine periculo & invidiæ, & calumniæ [illegible] exercere poſſet, omnibus carus, Pharmacopolis autem acceptiſſimus. [illegible] tos quoquè haberet artis ſuæ [illegible] res. Quia nihil eſſet in ejus animo & ingenio, quod non poſſet ore vel geſtu demonſtrare, & ab aliis imitari. Sunt multi inter dogmaticos literatiſſimi, qui multos mirabiles caſus narrare ſciunt, quos viderunt ab aliis, vel in [illegible] vel manibus ſuis tractarunt, vel audiverunt, vel legerunt, Sed cauſas eorum ignorant, aut ambigue ſaltem cognoſcunt, qui modus cognoſcendi, [illegible]

*Dogmaticorum & Rationalium differentia.*

[illegible]

bilis in communi appellatur. Sufficit vulgo, imò & multis Medicis hodiè nominare partes affectas loco humorum vel vaporum afficientium, vel humoribus imputare, quod non his sed vaporibus imputandum esset; Nominique potius mederi scorbuti, vel febris, vel calculi, non autem eorum causæ vel seminario. Vulgus, causarum nullam rationem habet, contentum saltem eo cujus sensus capax est: Membra affecta saltem nominare consueverunt Medici, rogati de affectu; Et qui saltem vulgi quæstionibus satis facere scit per responsiones ad ejus interrogata, quamvis insulsa sit omninò resonsio, tamen doctissimus inter ora vulgi volitat. Sæpè contingit, quòd febris cesset post medicamentum ab ægro aliâ intentione sumptum, vel â Medico præscriptum; cui tamen post sine ratione eventus imputatur; idque experimentum esse judicatur efficax ad depellendam febrim; quod tamen nullam habet efficaciam, ne ei quidem similem quæ ei ob casum fortuitum imputatur. Ita si quis pon- *Contingentes curæ.*

 tem

tem, vel cœmiterium transiens, à recidiva febri invadatur, cujus molestiam aliquandiu non sensit; subitò casus ille inter experimenta medica refertur, ut caveatur tum pontium, tum cœmiteriorum visitatio à febricitantibus. Sunt quoquè inter Medicos Dogmaticos multi qui præter anatomiam membrorum corporis humani, nullam habent affectuum, vel mutationum intus in corpore fientium cognitionem. Qui tamen videntur sibi inter Dogmaticos & Rationales experientissimi & excellentissimi, quia sciunt vel usum partium, vel nomina, conformationem numerum, & combinationem tum membrorum, tum in eis contentorum; Sed ne vilissimi quidem affectus causam genuinam, rationis solidæ testimonio obsignatam reddere sciant. Quasi uno modo, arte & processu acquiratur cognitio morborum, quo cognitio conformationis & situs membrorum; Cum tamen sciamus morbos in membris quidem, sed non ex membris nasci; nec semper in humoribus, sed sæpius in vapori-

*Anatomicorum in demonstratione causarũ morbificarum vilitas.*

poribus, imò omnino in spiritibus consistere. Quid si sciãt Anatomici demonstrare numerum & varietatem musculorũ; vel enarrare differentiam nervorum, arteriarum, venarum pulmonis, hepatis, renum, vesicæ, intestinorum, tendinum, cartilaginum, ossium, medullarum; vel quod dentes aliter aliis ossibus combinentur, quam ossa cranii, vel dorsi, vel articuli digitorum, &c. Vel quod sciant uterum nominare, per partes dissecare, partes à partibus, cervicem à fundo, vel à genitalibus exterioribus; interiora spermatica vasa distinguere? Nesciunt tamen demonstrare, ubi, causarum febrilium, vel seminum Epilepticorum adhuc quiescentium, vel tunc, dum patiens liber est ab eorum symptomatico circuitu, & nihil molestiæ in corpore sentit. Quid si sciunt, quod fuligines sanguinis exspirent per pulmones, & asperam arteriam? Nesciunt tamen vias, per quas sanguis manat ex venis & arteriis ad fauces, vel intestina, dum vomitur vel cacatur syncerus; aut saltem purulentus. Quid si demonstrare

*Anatomici ignorant Ubi febrilis seminarii.*

possunt bilem in vesicula bilis; & eam inde per certum ductum ad intestina deorsum labi; & tamen nesciunt, quid fuerit bilis in sanguine, sub ejus homogeneitate occultata, citius quàm bilis appellari potuisset, ex colore & sapore; vel citius quàm sensibilem formam bilis acquisivisset? An tunc nempe æquè noxia fuerit ac post, vel plus aut minus? Rationales autem Medici sciunt omnia quæ Anatomici, imo plura; nec tamen aliquando ita se doctos putant, ut ideò laudem apud vulgus mereri velint; discũt adhuc quòq; quotidiè plura sciunt, plura se ignorare fatentur. Nec aliquando de eis dici cupiunt, quod sua studia absolverint. Medicamenta ad sanguinis eruptionem cohibendam ab arte destinata, Græcis ἴσχαιμα dicta, de quibus in sequenti capite acturi sumus, ad id, ad quod adhibẽtur idonea esse, nulla ratio persuadet, nisi credulitatem historicam, & fallacem experientiam, rationi exæquare velimus. Ideò Medicus Rationalis non adeò medicamenta respicit, quam Rationes, per quas tum cau-

*Rationales Medici Anatomicis præstantiores.*

causas hæmorrhagiæ in sanguine latentes opprimere, tum eorum effectus actu sensibiles, impedire possit, aut mitigare. Empyrici & Dogmatici sunt creduli ambo; illi suis experimentis; hi suis dogmatis; non curant rationes. Si saltem habent vestigia, quæ sequantur, nam eunt quo itur, ignari an illàc eundum sit aut non. Quod panis, carnes, legumina, obsonia famem sedent; Cerevisia, vinum, aqua, lac, sitim; id sine aliunde hausto exemplo novimus; Appetitus per ea sedatus id dictat, qui nobis innascitur. Sciunt infantes, sugere lac ex mammis, id nunquam edocti ab extra; Ita multa fiunt in nobis, & à nobis sine nobis; Quæ autem à nobis fieri debent ex requisito tituli vel officii, illorum necesse est ut sciamus Rationem; per quam si intentioni nostræ non respondeat successus, ea mutare sciamus, sive addendo quæ deerant; sive detrahendo, quod in excessu peccat. Omne quod Experimento scimus esse id vel tale, illius sensus testis est, sive in nobis hærens, sive aliundè in nos deri-

*Dogmatici & Empyrici nimis creduli.*

vatus; scilicet vel per visum, vel per auditum acquirimus experientiam; Sed Rationem habemus ab intra & à spiritu. A sensu discimus multa utilia, sed non certa omnia. Ratio nunquam fallit, nisi sit spiritus mendax rationis collator: Sed talis ratio non est, quod dicitur. Similia similibus, contraria contrariis, Activa Passivis admovere, si amborum virtutem scire volumus, sensus nos docet, Ratio & dogmata Scholastica, utpote ex sensu & ratione composita. Ita quidem est, quod hæc fieri oporteat in casibus illis, in quibus ambo sunt sensibilia, scilicet & agens & patiens, & calor & id quod calefieri debet. Dum verò solus calor sentitur, sed nos nescimus unde natus sit, an actu ab igne, an à sapore, an à motu? Quid tum agere debeamus, calorem illum reprimere volentes, nobis non constat; Et quia non constat, ideò contingens est eventus laboris nostri, quia terminatur si nō contra, tamē præter intentionem nostram. Et si Regulam communem sequamur, tum identidem de nobis dici potest,
quo-

quod cæci cæcum sequamur ducem. E.g. Hydropici sitiunt, sed nos eos bibere vetamus; Illi frigent; sed nos eis vinum & alia actu calefacientia præbere nolumus; Illi autem coacti vel sitis, vel frigoris violentiâ intolerabili, & bibunt frigida, & calida, prout ipsis quæ dictarit ipsis inhærens necessitas; Tamen convalescunt, quos nos ideò citius morituros putabamus: Quid quæso tunc arti nostræ imputandum erit? Nihil revera: Quid prodest, quòd sciamus, quæ nam sit pars patiens in hoc vel illo affectu? quæ per consensum, quæ per idiopathiam afficiatur? Si ignoramus, quis sit illius passionis author, & quod ejus Ubi? Nam tunc medicamētum nostrum non aget in seminarium morbi, vel in causam; sed saltem in partem affectam, vel causæ effectum; atque tunc parum differemus à cane illo Æsopico, qui umbram carnis carnem esse putavit; vel infantibus, qui ea feriunt, ad quæ allisерunt. Tales sunt & Medici & ægri illi, qui hepati adhibent, aut adhiberi cupiunt medicamēta quocunq; modo patienti,

humorem autem vel vaporem parenchyma ejus affligentem negligunt. Si scimus uterum pati non hepar, vel hepar non uterum, deliramus, si parti non affectæ medeamur; Ita deliram⁹ quoq; si effectum respicimus & debellamus, causam autem intētatam relinquimus. Ideo ita agendo vel cæci sumus, vel cæcos duces sequimur: nullaq; ars est nostra, aut nullum judicium in nobis in praxi, sed fortuita omnia, quia præter intentionem nostram fiunt quæ fiunt; sive ægrorum alii convalescunt, alii moriuntur. Rationales autem Medici nihil agunt cæco impetu; sed uno oculo fata respiciunt, altero quæ à fatis reguntur, scilicet morborum seminaria, spiritus, vapores, humores; quodq; suo modo? Unum tanquam sensibile, eorum scientiæ subjectum; alterum, tanquam insensibile, & Regulis artis non subordinatum; Et quamvis eorum omnia prudentissimè disponant, tamen nec eis succedunt omnia ex voto; quia eorum prudentia pertingit quidem ad ordines fatalium, sed non fatorum. Quod si verò

Ratio-

Rationales Medici aberrant sæpè; Certè sæpius errant Dogmatici & Empirici, qui sua principia & Experimenta fatis, si non præferunt, tamen exæquant; sibiq; imputant, quod nequaquam illis imputandum esset, sed solis fatis: Fatuorum vox est; Ich kan dir helffen; Auff dißmal hab ich dir geholffen; Ich hab so vielen geholffen/so kan ich dir auch helffen; quamvis pro forma annectatur vox prudentiam simulans, mit Gottes Hülff. Nam & tunc Deus tanquam secundarium agens allegatur; Medicus ut primarium. Nullus est affectus in aliqua corporis parte, quem Empirici per Purgantia, Cholagoga, Melanogoga, Phlegmagoga, diaphoretica, diuretica, specifica, appropriata, vel alia experimenta febrilia, epileptica, arthritica &c, vel omninò abolere, & radicitus exstirpare se vel scire, vel posse non promittant. Sed si Medicus omnia secundum artis vel experientiæ regulas agat in uno; in altero autem omninò sine arte, duce vel comite procedat; Ignarus scilicet quid vel ubi sit malum id quod sua arte, vel expe-

*Fatuitas Empiricorum.*

rientia debellare proponit, quamvis optimè noverit quid patiatur; Cui humori applicabit sua activa, vel cui vapori; si scilicet nescit mali afficientis naturam, nec ubi; an scilicet à spiritu immediatè procedat læsio, an à vapore an ab humore; an ab externo aliquo principio? An non multa sunt in arte quæ occultas qualitates appellare didicimus, non tam ob impossibilitatem acquisitionis cognitionis eorum, quàm defectum vel voluntatis in nobis ejus quærendæ, vel scientiæ: Quæ itaquè ignoramus ipsi ea alios docere non possumus: Si ignorat Medicus an spiritus sit; vel vapor, vel humor, quod molestat ægrum? vel an ibi sit morbi seminarium, ubi dolor, vel alibi? Quid est igitur quod trahit medendo ex corpore, aut trahere intendit? An omnem obvium humorem vel vaporem; aut saltem noxium? Hunc saltem se intendere, inquit; Sed quia ejus Ubi ignorat, igitur medicamẽtum erit Medico prudentius, aut ille suâ intentione imprimet medicamento virtutes, quæ ei defuissent, nisi

*Imprudentia Medicorum.*

Medi-

Medici intentio accessisset. Si verò sciat Medicus ea omnia, & quæ ipse velit, & quæ medicamentum possit: Nesciat autem, unde humor noxius trahi, & quà duci oporteat ad emunctoria illa, per quæ commodè foràs ex corpore pelli possit? Tum porrò imprudens erit; Potest enim fieri, quod ille contra artis methodum procedat in trahendo, sive ex ignobiliori parte trahat in nobiliorem; vel ex ea, quâ carere possumus citra vitæ dispendium; ad eam, quæ saltem aliquo modo læsa, mortem infert. Per quos quæso meatus vadit Epilepticus humor ex cerebro? vel podagricus ex pedibus ad intestina; & per quam virtutem est uterq; innoxius intestinis, cum tamen uterq; prius ideò expelli debuit quia maximè noxius fuit? Sensibilis humor ut per sensibiles fluat meatus necesse est, talisque sit in intestinis qualis fuit alibi extra ea: Aut datur penetratio corporum; vel humores omninò innoxii ex corpore pellantur, loco noxiorum; si nempè virtutes suas non exerceat

*Sensibile corpus per sensibilem situm moveri debet.*

erceat in intestinis quas exercuit alibi. Quâ cibi & potus in stomachum ferantur novimus; ita & quâ alvi fæces excernantur. Sed fæces sanguinis, vel Epilepticus aut podagricus humor, quâ ad intestina vadat ex loco suo priori motus, ut cum fæcibus alvi innoxiè misceri & excerni possit, qui tamen prius fuit acerrimus, nemo est Medicorum qui sciat, imò nemo qui id unquam cogitaverit. Nam præter ductum biliarium, & venas mesenterii, nullus est sensibilis meatus ex venis ad intestina. Sed venas mesenterii, non efferendis fæcibus sanguineæ massæ ad intestina, solùm deferendis humoribus nutritivis ab intestinis gracilioribus ad venas, destinatas esse, docuerunt nos, & docent adhuc omnes Medicinæ Doctores Scholastici discipulos suos. Igitur si id de venis mesaraicis credendum est, necessariò concedi debebit penetratio humorum ex venis in & per venas atquè intestina; Scimus enim venas, & intestina alvi, vasa esse diversa, diversa quoquè eorum contenta; intestina autem nullibi hiare

*Venarum mesaraicarum officia quæ.*

versus

versus venas, præter locos, in quibus venæ mesaraicæ ipsis inseruntur. Si autem per venas mesaraicas se venæ suis sanguineis excrementis exonerant ad intestina, tum anatomicorum vilescet authoritas., qui nobis persuaserunt quod nos huc usquè credidimus, de venis mesenterii; sed falso. Nisi solum ductum biliarium excipiamus. Quia autem non sola bilis ad intestina excernitur, sed omnes humores ex sanguine, pituita, melancholia cum suis speciebus, imò sæpè sanguis ipse syncerus cacatur, isque fluxus diu continuat? Inde sequitur, aut tales humores in intestinis nasci, & sanguini falsò imputari, qui dicitur ex illis constare; aut si ex venis & sanguine in intestina derivantur, à capite à pedibus & aliunde, unde eos ad intestina se tracturos promittunt Medici, tum necessario demonstrari debebunt viæ per quas humores illi vel supernè vel infernè tracti ad intestina pertingere possint sine læsione continuitatis tum venarum, tum intestinorum; ab illis scilicet Medicis qui præconceptas in scholis

*Falsa sententia Medicorum de venis mesaraicis.*

lis

lis opiniones de venis mesaraicis à falsitatis suspicione defendere volunt. Si scimus per experientiam, per rationem, per regulas artis, per testimonium sensus, quod bilis per ductum biliarium ex hepate ad intestina feratur; debemus quoquè per eadem argumenta certiorari de aliis humoribus, eorumque ad intestina fluxu; quod nempè similiter per certos & peculiares ductus pituita, melancholia, imò sanguis ipse ad intestina prolabatur, sicuti bilis. In intestinis humores illos nasci asserere non audemus sine ingenti contumelia Medicorum practicorum omnium, qui se humores ex capite & pedibus aliis deniquè ab intestinis remotioribus membris, ad intestina, per certa specifica experimenta, & tracturos promittunt, & trahere clamant. Venas mesenterii sæpè obstrui vel obstructas esse docemus; Quali autem motus specie humores obstructionem viarum illarum causantes inde moventur. An quod in venas per hepar propellantur vel ascendant? An quod exinde ad intestina prolabantur? Si pri-

*Peculiaris humor peculiare debet habere vas.*

*Obstructio venarum mesenterii quomodo solvitur.*

Si primo modo, tum inquinatur ab eis sanguis, vel generari bonus inde non potest; si secundò, tum nullus omninò sanguis generare eousq; potest, quousque totum id ex venis propulsum fuerit quod eas obstruebat prius: imò plura alia vel incommoda exinde; vel ex hac opinione absurda nascentur. Si scimus per experientiam, quod Aloe sanguinem mundificet ab ejus impuritatibus, idque ideò ad compositionem Pilularum Rufi, illi intentioni destinatarum, miscemus. Necessariò quoquè concedere debebimus, sicuti materias in venis mesaraicis, obstructionis causas loco cedere debere medicamentis; ita quoquè & sanguinis contenta. De bile id non negamus. Igitur per unum illum ductum omnes humores ex sanguine manant; aut alii demonstrari, vel cuilibet humori peculiares ab arte assignari debebunt, iique æquè sensibiles ac ductus est biliarius. Aut debebimus statuere, quod cum fuliginibus omnia sanguinis excrementa exspirent, vel per sudorem, vel per urinam, cum humo-

tem, vel cœmiterium transiens, à recidiva febri invadatur, cujus molestiam aliquandiu non sensit; subitò casus ille inter experimenta medica refertur, ut caveatur tum pontium, tum cœmiteriorum visitatio à febricitantibus. Sunt quoquè inter Medicos Dogmaticos multi qui præter anatomiam membrorum corporis humani, nullam habent affectuum, vel mutationum intus in corpore fientium cognitionem. Qui tamen videntur sibi inter Dogmaticos & Rationales experientissimi & excellentissimi, quia sciunt vel usum partium, vel nomina, conformationem numerum, & combinationem tum membrorum, tum in eis contentorum; Sed ne vilissimi quidem affectus causam genuinam, rationis solidæ testimonio obsignatam reddere sciant. Quasi uno modo, arte & processu acquiratur cognitio morborum, quo cognitio conformationis & situs membrorum; Cum tamen sciamus morbos in membris quidem, sed non ex membris nasci; nec semper in humoribus, sed sæpius in vapori-

*Anatomicorum in demonstratione causarũ morbificarum vilitas.*

poribus, imò omnino in ſpiritibus conſiſtere. Quid ſi ſciât Anatomici demonſtrare numerum & varietatem muſculorũ; vel enarrare differentiam nervorum, arteriarum, venarum pulmonis, hepatis, renum, veſicæ, inteſtinorum, tendinum, cartilaginum, oſſium, medullarum; vel quod dentes aliter aliis oſſibus combinentur, quam oſſa cranii, vel dorſi, vel articuli digitorum, &c. Vel quod ſciant uterum nominare, per partes diſſecare, partes à partibus, cervicem à fundo, vel à genitalibus exterioribus; interiora ſpermatica vaſa diſtinguere? Neſciunt tamen demonſtrare, ubi, cauſarum febrilium, vel ſeminum Epilepticorum adhuc quieſcentium, vel tunc, dum patiens liber eſt ab eorum ſymptomatico circuitu, & nihil moleſtiæ in corpore ſentit. Quid ſi ſciunt, quod fuligines ſanguinis exſpirent per pulmones, & aſperam arteriam? Neſciunt tamen vias, per quas ſanguis manat ex venis & arteriis ad fauces, vel inteſtina, dum vomitur vel cacatur ſyncerus; aut ſaltem purulentus. Quid ſi demonſtrare

*Anatomici ignorant Ubi febrilis ſeminarii.*

possunt bilem in vesicula bilis; & eam inde per certum ductum ad intestina deorsum labi; & tamen nesciunt, quid fuerit bilis in sanguine, sub ejus homogeneitate occultata, citius quàm bilis appellari potuisset, ex colore & sapore; vel citius quàm sensibilem formam bilis acquisivisset? An tunc nempe æquè noxia fuerit ac post, vel plus aut minus? Rationales autem Medici sciunt omnia quæ Anatomici, imo plura; nec tamen aliquando ita se doctos putant, ut ideò laudem apud vulgus mereri velint; discũt adhuc quòq; quotidiè plura sciunt, plura se ignorare fatentur. Nec aliquando de eis dici cupiunt, quod sua studia absolverint. Medicamenta ad sanguinis eruptionem cohibendam ab arte destinata, Græcis ἴσχαιμα dicta, de quibus in sequenti capite acturi sumus, ad id, ad quod adhibẽtur idonea esse, nulla ratio persuadet, nisi credulitatem historicam, & fallacem experientiam, rationi exæquare velimus. Ideò Medicus Rationalis non adeò medicamenta respicit, quam Rationes, per quas tum cau-

*Rationales Medici Anatomicis præstantiores.*

caufas hæmorrhagiæ in fanguine latentes opprimere, tum eorum effectus actu fenfibiles, impedire poffit, aut mitigare. Empyrici & Dogmatici funt creduli ambo; illi fuis experimentis; hi fuis dogmatis; non curant rationes. Si faltem habent veftigia, quæ fequantur, nam eunt quo itur, ignari an illàc eundum fit aut non. Quod panis, carnes, legumina, obfonia famem fedent; Cerevifia, vinum, aqua, lac, fitim; id fine aliunde haufto exemplo novimus; Appetitus per ea fedatus id dictat, qui nobis innafcitur. Sciunt infantes, fugere lac ex mammis, id nunquam edocti ab extra; Ita multa fiunt in nobis, & à nobis fine nobis; Quæ autem à nobis fieri debent ex requifito tituli vel officii, illorum neceffe eft ut fciamus Rationem; per quam fi intentioni noftræ non refpondeat fucceffus, ea mutare fciamus, five addendo quæ deerant; five detrahendo, quod in exceffu peccat. Omne quod Experimento fcimus effe id vel tale, illius fenfus teftis eft, five in nobis hærens, five aliundè in nos derivatus;

*Dogmatici & Empyrici nimis creduli.*

vatus; scilicet vel per visum, vel per auditum acquirimus experientiam; Sed Rationem habemus ab intra & à spiritu. A sensu discimus multa utilia, sed non certa omnia. Ratio nunquam fallit, nisi sit spiritus mendax rationis collator: Sed talis ratio non est, quod dicitur. Similia similibus, contraria contrariis, Activa Passivis admovere, si amborum virtutem scire volumus, sensus nos docet, Ratio & dogmata Scholastica, utpote ex sensu & ratione composita. Ita quidem est, quod hæc fieri oporteat in casibus illis, in quibus ambo sunt sensibilia, scilicet & agens & patiens, & calor & id quod calefieri debet. Dum verò solus calor sentitur, sed nos nescimus unde natus sit, an actu ab igne, an à sapore, an à motu? Quid tum agere debeamus, calorem illum reprimere volentes, nobis non constat; Et quia non constat, ideò contingens est eventus laboris nostri, quia terminatur si nō contra, tamē præter intentionem nostram. Et si Regulam communem sequamur, tum identidem de nobis dici potest, quo-

quod cæci cæcum sequamur ducem. E.g. Hydropici sitiunt, sed nos eos bibere vetamus; Illi frigent; sed nos eis vinum & alia actu calefacientia præbere nolumus; Illi autem coacti vel sitis, vel frigoris violentiâ intolerabili, & bibunt frigida, & calida, prout ipsis quæ dictarit ipsis inhærens necessitas; Tamen convalescunt, quos nos ideò citius morituros putabamus: Quid quæso tunc arti nostræ imputandum erit? Nihil revera: Quid prodest, quòd sciamus, quæ nam sit pars patiens in hoc vel illo affectu? quæ per consensum, quæ per idiopathiam afficiatur? Si ignoramus, quis sit illius passionis author, & quod ejus Ubi? Nam tunc medicamẽtum nostrum non aget in seminarium morbi, vel in caussam; sed saltem in partem affectam, vel causæ effectum; atque tunc parum differemus à cane illo Æsopico, qui umbram carnis carnem esse putavit; vel infantibus, qui ea feriunt, ad quæ allisesunt. Tales sunt & Medici & ægri illi, qui hepati adhibent, aut adhiberi cupiunt medicamẽta quocunq; modo patienti,

Rationales Medici aberrant ſæpè; Certè ſæpius errant Dogmatici & Empirici, qui ſua principia & Experimenta fatis, ſi non præferunt, tamen exæquant; ſibiq; imputant, quod nequaquam illis imputandum eſſet, ſed ſolis fatis: Fatuorum vox eſt; Ich kan dir helffen; Auf dißmal hab ich dir geholffen; Ich hab ſo vielen geholffen/ſo kan ich dir auch helffen; quamvis pro forma annectatur vox prudentiam ſimulans, mit Gottes Hülff. Nam & tunc Deus tanquam ſecundarium agens allegatur; Medicus ut primarium. Nullus eſt affectus in aliqua corporis parte, quem Empirici per Purgantia, Chologoga, Melanogoga, Phlegmagoga, diaphoretica, diuretica, ſpecifica, appropriata, vel alia experimenta febrilia, epileptica, arthritica &c, vel omninò abolere, & radicitus exſtirpare ſe vel ſcire, vel poſſe non promittant. Sed ſi Medicus omnia ſecundum artis vel experientiæ regulas agat in uno; in altero autem omninò ſine arte, duce vel comite procedat; Ignarus ſcilicet quid vel ubi ſit malum id quod ſua arte, vel expe-

*Fatuitas Empiricorum.*

rientia debellare proponit, quamvis optimè noverit quid patiatur; Cui humori applicabit sua activa, vel cui vapori; si scilicet nescit mali afficientis naturam, nec ubi; an scilicet à spiritu immediatè procedat læsio, an à vapore an ab humore; an ab externo aliquo principio? An non multa sunt in arte quæ occultas qualitates appellare didicimus, non tam ob impossibilitatem acquisitionis cognitionis eorum, quàm defectum vel voluntatis in nobis ejus quærendæ, vel scientiæ: Quæ itaquè ignoramus ipsi ea alios docere non possumus: Si ignorat Medicus an spiritus sit; vel vapor, vel humor, quod molestat ægrum? vel an ibi sit morbi seminarium, ubi dolor, vel alibi? Quid est igitur quod trahit medendo ex corpore, aut trahere intendit? An omnem obvium humorem vel vaporem, aut saltem noxium? Hunc saltem se intendere, inquit; Sed quia ejus Ubi ignorat, igitur medicamētum erit Medico prudentius, aut ille suâ intentione imprimet medicamento virtutes, quæ ei defuissent, nisi

*Imprudentia Medicorum.*

Medici intentio accessisset. Si verò sciat Medicus ea omnia, & quæ ipse velit, & quæ medicamentum possit: Nesciat autem, unde humor noxius trahi, & quâ duci oporteat ad emunctoria illa, per quæ commodè foras ex corpore pelli possit? Tum porrò imprudens erit; Potest enim fieri, quod ille contra artis methodum procedat in trahendo, sive ex ignobiliori parte trahat in nobiliorem; vel ex ea, quâ carere possumus citra vitæ dispendium; ad eam, quæ saltem aliquo modo læsa, mortem infert. Per quos quæso meatus vadit Epilepticus humor ex cerebro? vel podagricus ex pedibus ad intestina; & per quam virtutem est uterq; innoxius intestinis, cum tamen uterq; prius ideò expelli debuit quia maximè noxius fuit? Sensibilis humor ut per sensibiles fluat meatus necesse est, talisque sit in intestinis qualis fuit alibi extra ea: Aut datur penetratio corporum; vel humores omninò innoxii ex corpore pellantur, loco noxiorum; si nempè virtutes suas non exerceat

*Sensibile corpus per insensibilem viam moveri debet.*

erceat in intestinis quas exercuit alibi. Quà cibi & potus in stomachum ferantur novimus; ita & quà alvi fæces excernantur. Sed fæces sanguinis, vel Epilepticus aut podagricus humor, quâ ad intestina vadat ex loco suo priori motus, ut cum fæcibus alvi innoxiè misceri & excerni possit, qui tamen prius fuit acerrimus, nemo est Medicorum qui sciat, imò nemo qui id unquam cogitaverit. Nam præter ductum biliarium, & venas mesenterii, nullus est sensibilis meatus ex venis ad intestina. Sed venas mesenterii, non efferendis fæcibus sanguineæ massæ ad intestina, solùm deferendis humoribus nutritivis ab intestinis gracilioribus ad venas, destinatas esse, docuerunt nos, & docent adhuc omnes Medicinæ Doctores Scholastici discipulos suos. Igitur si id de venis mesaraicis credendum est, necessariò concedi debebit penetratio humorum ex venis in & per venas atquè intestina; Scimus enim venas, & intestina alvi, vasa esse diversa, diversa quoquè eorum contenta; intestina autem nullibi hiare

*Venarum mesaraicarum officia quæ.*

versus

versus venas, præter locos, in quibus venæ mesaraicæ ipsis inseruntur. Si autem per venas mesaraicas se venæ suis sanguineis excrementis exonerant ad intestina, tum anatomicorum vilescet authoritas, qui nobis persuaserunt quod nos huc usquè credidimus, de venis mesenterii; sed falsò. Nisi solum ductum biliarium excipiamus. Quia autem non sola bilis ad intestina excernitur, sed omnes humores ex sanguine, pituita, melancholia cum suis speciebus, imò sæpè sanguis ipse syncerus cacatur, isque fluxus diu continuat? Inde sequitur, aut tales humores in intestinis nasci, & sanguini falsò imputari, qui dicitur ex illis constare; aut si ex venis & sanguine in intestina derivantur, à capite à pedibus & aliunde, unde eos ad intestina se tracturos promittunt Medici, tum necessario demonstrari debebunt viæ per quas humores illi vel supernè vel infernè tracti ad intestina pertingere possint sine læsione continuitatis tum venarum, tum intestinorum; ab illis scilicet Medicis qui præconceptas in scho- lis

*Falsa sententia Medicorum de venis mesaraicis.*

lis opiniones de venis meſaraicis à falſitatis ſuſpicione defendere volunt. Si ſcimus per experientiam, per rationem, per regulas artis, per teſtimonium ſenſus, quod bilis per ductum biliarium ex hepate ad inteſtina feratur; debemus quoquè per eadem argumenta certiorari de aliis humoribus, eorumque ad inteſtina fluxu; quod nempè ſimiliter per certos & peculiares ductus pituita, melancholia, imò ſanguis ipſe ad inteſtina prolabatur, ſicuti bilis. In inteſtinis humores illos naſci aſſerere non audemus ſine ingenti contumelia Medicorum practicorum omnium, qui ſe humores ex capite & pedibus aliis deniquè ab inteſtinis remotioribus membris, ad inteſtina, per certa ſpecifica experimenta, & tracturos promitunt, & trahere clamant. Venas meſenterii ſæpè obſtrui vel obſtructas eſſe docemus; Quali autem motus ſpecie humores obſtructionem viarum illarum cauſantes inde moventur. An quod in venas per hepar propellantur vel aſcendant? An quod exinde ad inteſtina prolabantur? Si pri-

*Peculiaris humor peculiare debet habere vas.*

*Obſtructio venarum meſenterii quomodo ſolvitur.*

Si primo modo, tum inquinatur ab eis sanguis, vel generari bonus inde non potest; si secundò; tum nullus omninò sanguis generare eousq; potest, quousque totum id ex venis propulsum fuerit quod eas obstruebat prius: imò plura alia vel incommoda exinde; vel ex hac opinione absurda nascentur. Si scimus per experientiam, quod Aloe sanguinem mundificet ab ejus impuritatibus, idque ideò ad compositionem Pilularum Rufi, illi intentioni destinatarum, miscemus. Necessariò quoquè concedere debebimus, sicuti materias in venis mesaraicis, obstructionis causas loco cedere debere medicamentis; ità quoquè & sanguinis contenta. De bile id non negamus. Igitur per unum illum ductum omnes humores ex sanguine manant; aut alii demonstrari, vel cuilibet humori peculiares ab arte assignari debebunt, iique æquè sensibibiles ac ductus est biliarius. Aut debebimus statuere, quod cum fuliginibus omnia sanguinis excrementa exspirent, vel per sudorem, vel per urinam, cum humo-

*Anatomicorum officium.*

humoribus illis. Si autem quilibet humor suum peculiarem ductum habet, per quem ex venis ad intestina vadit? quare eos non demonstrant Anatomici in sectione cadaveris, sicuti biliarium & venarum omnes mesenterii, sed sub alio titulo. Bilis non nascitur in vesicula bilis, sed alibi nata in eam deponitur. Ita melancholicus, vel pituitosus humor, vel sanguis, qui sæpè cacatur, non in intestinis generatur, sed alibi generatus ad intestina defertur aut prolabitur. Dum itaq; sanguis vomitur per Diabrosin venarum factam ab aliquo acriori humore, sive sit biliosus, sive pituitosus, sive melancholicus, sive ipse sanguis adhuc homogeneus; Tum ars illius humoris ejusque acrimoniæ conscia, sicuti conscia est Epileptici aut arthritici; cum per certa & specifica medicamenta vel experimenta detrahere non vult quamvis possit & sciat; vel si vult, nescit autem? ideò nec potest. Impossibile enim est, ut vel humor ille, vel vapor, qui arrosit venam, in momento generationis suæ suam virtutem exerat

*Arrosio venæ in momento fieri nequit.*

in eam;

in eam; nisi fortassis aliquandiu illic prius hæsisset, maximè autem in ejus ea particula quæ præ cæteris arroditur. Sed ita diu sanguis alicubi quiescere nō potest, in loco illo quia supra & infra hiat; quales sunt venæ & arteriæ omnes, exceptis earum extremitatibus. Qui autem sanguinem vomunt, non omnes præmonentur de eo affectu subsecuturo, per aliqua indicia in pectore sensibilia; sed aut subitò obruuntur ab affectu illo; vel alibi, non autem in pectore præcesserunt illius subsecuturi præsagia. Imò si omnia ita se haberent, uti communiter quæ dici audimus de sanguinis vomitu, cacatione, minctione, eorumque causis; Impossibile tamen esset, ut tanta moles sanguinis ex vena erosa simul uno impetu erumperet, quanta sæpè per fauces, vel per anum erumpit; Non stillat enim guttatim per fauces, sicuti per nares, sed plenis faucibus fluit, isque verus & syncerus, non autem concretus; Talis autem tandem post suppressum vomitum, sive cruentus & purulentus exscreatur. Si humor

*Vomitus sanguinis fit in momento.*

arthriticus, qui maximè salsus est, potest sine noxa venarum trahi ad intestina; vel intestinorum ad monoculum usque pertingere? Quare idem non possit fieri & ab humore venam in pectore arrodente; præsertim cum venæ pectoris ita longè non distent ab intestinis, sicuti pituita salsa in pedibus, vel Epilepticus humor malignus in cerebro, ab eis distat. O utinam, utinam hæc serius cogitare vellent Medici; re vera non saltem in ægros inde multum redũdaret commodi; sed & in Artem honoris; Vindicaretur enim ab Empiricorum, Circumforaneorum, & aliorum Impostorum prophanatione, Ars verè sancta & mystica, quam & Filius Dei ipse in terris exercuit. Si Rhabarbarum tantas vires habere scimus, quod nempè leniter & blandè febrium materiam omnem ex venis subtrahat; Jecur expurget; obstructiones & scirrhos incipientes solvat? Si scimus Aloën, noxiam esse hepati, omnibusque illis, qui sanguinem vomunt, vel excreant? Idquè per Experientiam edocti: Quare nescimus, tale ali-

*Christus ipse exercuit medicinam.*

aliquod Medicamentum, quod humorem illum acrem venas pectoris, & substantiam pulmonis arrodentem ex sanguine trahere possit, citius quam virtutem suam exerat; sive id fiat per manifestam sive per occultam qualitatem? Sine dubio erramus, non saltem in cognitione causæ hæmorrhagiæ, sed & in partis affectæ; paramusq; medicamenta venis appropriata, cum tamen abrosis illa non fiat in venis, sed & in arteriis; si scilicet aliqua abrosis est: Si nobis constat, quod sit vel vapor vel humor simplex, à quo erosio fit? Quare præsupponimus alicujus vomicæ vel Apostematis præexistentiam? Si verò est vomica vel ulcus alicujus hæmorrhagiæ quomodo potest cruor, sanguis, sanies, vel pus, ex vomica rupta effluere, & in aliud vas influere, nisi & illud hiaret, quod excipit aliundè effluentem; nam erosio talis fit non saltem venæ unius, sed plurium simul & semel. Si scimus scammoneam non omnes humores trahere, sed eos saltem, qui tenues sunt, & ad fluxum aptiores; quare id non

*Erramus in cognitione & causa & subjecti Hæmorrhagiæ.*

propinamus hæmaptoicis, sive ante, sive postquam eos affectus ille invasit? Quare nos ars docet ægris propinare adstringentia & consolidantia, prospiciens venarum consolidationi, quàm humoris arrodentis subtractioni per purgantia. In æquali enim periculo venæ nondum erosæ, in quali fuerunt jam actu hiantes, quamvis consolidentur, si videlicet humor eas erodens in eis hæreat post. Consolidatæ enim cicatricis mollior est membrana, quàm nondum erosæ. Qui autem nescit definire locum venæ erosæ, nescit quoque locum humoris arrodentis; vel ignorat an erosionem passa sit vena vel arteria; Ambæ enim sunt in pectore. Nam si id certo sciremus non diceremus de vena, quod de arteria verum est; non autem de vena. Nec perinde est consolidare velle venam pro arteria, vel hanc pro illa. Aut imaginationis nostræ virtus imprimet virtutem medicamento, quâ per naturam caret. Scimus autem arteriam læsam extra non ita leviter consolidari, sicuti venam; An igitur alia

*An venæ vel arteriæ erosæ sint ignoramus.*

alia ratio est ejus rupturæ interioris, quàm exterioris? Aut quis nos certiorabit non esse arteriam læsam in sanguinis vomitu, sed venam? Examinate hæc Lectores ingenui, & considerate, in quantis erroribus versemur non nisi vulgaria sapientes.

---

## Caput III.

### *De Medicamentis, Sanguinis fluxum internum cohibentibus, quæ ἴσχαιμα dicuntur Græcis.*

Magna prostat suppellex Medicamẽtorum tam Simplicium quàm Compositorum in Pharmacopoliis, quę singulari quâdam & specificâ proprietate, vel vi Emplasticâ, sanguinem vomentibus, vel cruenta vel purulenta exscreantibus conducere, in Scholis didicimus, & aliis quoque sub pari titulo recommendamus. Hæc autem in tria genera communiter dividuntur. Quare autem Emplasticâ vi prædita esse oporteant ea, quæ sangninis eruptionem per inter-

*Emplastica in Hæmaptoisi inutilia.*

interna venarum & arteriarum emunctoria cohibere dicuntur? causam non video; nisi ex eo supposito, quod ulcus, vulnus, vel diabrosin interiorum partium causam Hæmorrhagiæ esse statuamus. Sed ego jam omnia talia in sanguinis vomitu, cacatione, minctione, abesse demonstravi; & non nisi per anastomosin venarum vel arteriarum, eam contingere. Si autem vena aliqua pectoris, vel alicujus alterius interioris membri, aliquo modo sive vulnere; sive ulcere rupta sit, eam non in intestina, vel tracheam, vel ureteres sanguinem infundere, sed in ei proximam quamlibet concavitatem; Igitur, non consolidantibus, non vi Emplasticâ pollentibus, nisi extrinseca venarum & arteriarum orificia semper hiantia pro erosis vulneribus habeamus, Hæmorrhagiam internam curare debere vel posse sentimus; Sed saltem talibus, quæ possint vaporibus internis in massa sanguinis arteriosi aut venosi tumultuantib9 injicere frænum, ut nec adeò copiosi simul & semel generentur, vel citò in humo-

res

res concrescant, aut subito ita discutiantur, ut sine omni patientis incommodo exspirare possint. Quæ naribus sanguinem stillantibus, vel vulneribus noviter inflictis ad compescendam eorum hæmorrhagiam insperguntur, bono cum successu; ea nequaquam sanguinis vomitum, vel aliam ejus aliunde eruptionem compescent; quia alia est hujus, alia illius Hæmorrhagiæ causa; Sive quibus remediis utuntur Chyrurgi, in externa vulnerum arteriarum & venarum consolidatione; illa Medicorum intentioni nequaquam inservire possunt, ad compesendam hæmorrhagiam interiorem. Scabiosæ imputatur ingenitá quædam facultas pulmonem validè expurgandi; ejusque tum abscessus, tum vomicas, tum etiam Pleuritidem rumpendi & curandi. Consolida major, vel Symphitum; collectum in thorace vel pulmone pus expurgare creditur, & sanguinis rejectiones sistere, Pimpinella, Equisetum, Pentaphylon, Polygonum, Isatis, Corallium, Hæmathites lapis, Mumia, Thus, Myrrha, Ma-

*Quæ supprimunt ab extra; ab infra id nō agunt.*

ſtix, Sanguis Draconis, Terra Lemnia; alia denique plura Gummata, vel herbarum radices,ſucci, decocta, pulveres, Emplaſtra,imò & certa verba Magica & Characteres, ſanguinis eruptioni comprimendæ,conducere judicantur; quia Chyrurgos eis feliciter uti ſcimus; Sed quia nullâ ſanâ ratione munita eſt ſententia illa de cauſa internæ Hæmorrhagiæ inter Medicos uſitata; Igitur nos in reſponſo ad Quæſtionem ſequentem, rationem reddemus noſtræ quoque opinionis; An ſcilicet omnia,quæ extrinſecùs ſanguinis fluxum cohibent, vel labia venarum hiantia contrahunt & conſolidant, ſanguinis quoque vomitioni, vel excretioni purulentæ opitulentur?

*Hæmaptoiſis nõ fit per venarum [illegible]roſin.*

Reſpondemus,Quod non. Demonſtravimus enim jam, quod ſanguinis vomitio non fiat per Diabroſin venarum; imò nec venoſum eſſe ſanginem illum, ſed arterioſum; Nonq; per diabroſin, ſed per ſolam Anaſtomoſin arteriarum contingere; quæ ordinario per pulmonem & aſperam arteriam, non niſi fuligines exſpirant; ſed tunc à prædomi-

nanti-

nantibus vaporib⁹ in ſanguine, ſanguinē ſecum rapiũt, per eas vias, per quas ordinariò nō niſi fuligines ex corpore expelluntur vel exſpirant. Igitur ad compeſcēdum ſanguinis vomitum, vel ejus per venas meſaraicas eruptionem, nulla Emplaſtica vel Conſolidativa conferunt, quia nullum illic vulnus, nullum ulcus, nulla ruptura, nullaque continuitatis adeſt ſolutio; ſed vaporum tantum violentia ſanguinis maſſam attollens & intumefaciens; Nec etiam adſtrictiva hic proderunt, vel ſtyptica; Quæ orificia arteriarum & venarum, plus æquo hiantia coarctent, atque ſic ſanguini erumpenti viam præcludant. Periculum enim majus oriretur inde, quàm ex immoderatiori ſanguinis vomitu; ſive ſubita patientis ſuffocatio, à vaporibus intrò quidem compreſſis, ſed adhuc furētibus. Suppoſito autem quòd per vulnus vel ulcus, vena aliqua aut arteria pectoris rupta ſit, aut eroſa; Tum quoq; ſupponi debet eam eo modo conſolidari non poſſe, quo extrinſeca ulcera vel vulnera conſolidantur; Quia

*Vapores ſoli ſunt cauſa hæmaptoiſis.*

nullus pulvis stipticus aut Emplasticus ad vulnus vel ulcus interius penetrare potest, sensibiliterque id contingere, sicuti labia vulneris externi pulveres tales cõtingũt; Imò si posset, tamen nõ posset eum sanguinem qui ex venis vel arteriis erosis effluxit in concavitatem pectoris, inde evacuare, sive syncerum, sive saniosum, per pulmonem vel fauces; nisi vel extrinsecus facto foramine, qualiter Chyrurgi sanguinem ex recenti vulnere in cavitatem corporis prolapsum sugunt; vel pulmonis & arteriæ asperæ canales, in & exspirationis ordinariæ instrumenta, quæ omninò exsanguia sunt simul perforarentur. Hoc autem facto non posset reciprocari respiratio, vel patiens ita longè superstes manere, sicuti hæmaptoici sæpè cruciantur citius quàm exanimentur. Ex strangulatorum corporibus quia per fauces nequeunt, per anum & per penem erumpunt vapores, secumquè vel fæces alvi, vel urinam rapiunt. Obstructis vel perforatis ordinariæ respirationis canalibus, subitò quidem cessat respiratio, sed non

ita

ita ſubitò vaporum motus in ſanguine; nam illi, ſi per ſuperiora non poſſunt, in inferiora humorum emunctoria irruunt, abolita reſpirationis reciprocatione. Ita ſubita animi conſternatio, pudor vel metus hominem enervat, ut eo invito, vel urina, vel fæces alvi erumpant. Vaporum eſt magna vis in corpore, præſertim autem eorum qui immediatè ex ſpiritibus ſeminalibus ſurgunt. Qui verò ex humoribus naſcuntur externi caloris beneficio, illi ſteriles plerumquè ſunt, vel contrarii, ſcilicet frigoris appoſitione, facile compeſcuntur, & in humores coagulantur. Sed ſunt multi vapores, præſertim in nervis & ſanguine, qui non à calore ſenſibili ortum ſuum trahunt, ſed à ſeminali aliqua & ſpirituali virtute, ſive ſit anima ipſius individui, ſive alterius alicujus ſpeciei eſculentorum, vel potulentorum, vel nobis innatorum: Vapor eſt primus cujusque ſenſibilitatis gradus & ultimus; Humor medius; Caro vel parenchyma alicujus membri, ultimus.

*Vaporum magna vis in corpore.*

Ideò

Ideò ubi vapor illic aut generatio nova imminet, aut prioris corruptio. Spiritu ex centro suo tenebricoso erumpente, vapor est ejus vestis, qui congruam suæ corporeitati quærit capacitatem; quam tamen non semper nanciscitur, sed interdum vix sensibilis factus, in humorem concrescit, in cujus forma proficit, donec vel extra matricem suæ generationis vel omninò extra corpus egrediatur. Talis est fontium extra nos generatio; Intra nos tumorum & hydropum cum eorum speciebus. Non itaque calor est propriè sic dictus, vaporum internorum author, quos vel vitales nominamus vel mortiferos, qui vel luxuriare faciunt corpus, vel ægrotare; vel animum imaginibus variis aut delectant aut turbant: Sed est spiritus aliquis inferiorum homine specierum, qui vires suas explicare in nobis nanciscitur occasionem, vel à fatorum lege definitam, vel per libidinis nostræ excessum causatam. Omni itaquè in cura morborum omnium, habenda est maximè vaporum ratio; Si quis autem Medi-

*Calor non est vaporum generationis author, sed comes saltem.*

Medicorum vel alicujus alterius ordinis hominum ita prudens est ut compescere sciat affectus suos, ne violentiùs erumpant, vel si furiunt, ita eos domare, ut sensim quiescant, non tam externa vi, quàm patientis ipsius arbitrio: Ille revera excellit multos sui similes, vel omnes eos qui potius obediunt & serviunt affectibus suis quàm illis dominantur. Vapores sæpè exanimant multos etiam citiùs quàm in humores desinant, vel humores fieri incipiant. Si enim dantur catarrhi suffocativi, dantur quoquè & vapores tales, quamvis hi minùs sint manifesti nobis quàm illi; Tamen humoribus sunt non tantùm similes, sed & eis vehementiores; Humores enim à vaporibus suam sortiuntur virtutem in prima generatione, non autem vapores ab humoribus. Ideò vapores enecant quos enecant quasi ex insidiis, vel ex occulto, nullo præmisso suæ virulentiæ indicio. Qui autem putant derivari sanguinei humoris profluvium ab alicujus venæ vel arteriæ interioris fissura, vulnere, ulcere, diabrosi, apostemate;

*Affectus frænare antiquos hamaptoïcis utilissimum.*

mate; Illi ipsi omnia medicamenta quæ in affectu tali, secundùm communes regulas institutâ medendi methodo præscribuntur vel porriguntur ægris, improbant & damnant, ut omninò inutilia, vel ad rem nihil facientia. Ruptio enim venæ vel fissura, & continuitatis ejus simplex solutio; Ejusque substantiæ arrosio actus sunt duo valdè diversi, à diversis causis procedentes. Quæ enim finduntur vel vulnerantur punctim, sectim, aut per ictum aut lapsum, ea tantum hiant, sine omni substantiæ deperditione. Sed quæ erosionem passa sunt, ea aliquid de sua substantia amiserunt, quod renasci debet citius quàm consolidari possint. Quæ à vomica aut apostemate arroditur cutis pars; ea omninò divulsa est à communione partium vivarum, & forcipe aut novaculâ abscinditur, vel mox, vel aliquantò post; Defectusque substantiæ talis sarcoticis est reparandus, non glutinantibus. Inter sarcotica autem recensetur Aloe; quam tamen Hæmaptoicis noxiam esse sentiunt multi, & celeberrimorum Medicorum.

*Diabrosis, & continuitatis solutio duo diversi actus.*

rum. Quod si verò arteria est ea pars quæ erosionem passa est, in sanguinis per fauces eruptione? tum Impossibilis est ejus consolidatio,& desperata talis hæmorrhagiæ cura; Sola enim & simplex ejus substantiæ exterioris violatio, multum difficultatis habet ita ut admodum difficulter supprimi possit arteriæ exterioris hæmorrhagia: Plus itaquè difficultatis habet ejus arrosæ consolidatio: hæc Chyrurgis sunt notissima. Nullum est itaquè medicamentum quod in pharmacopoliis prostet, huic affectui ab arte dicatum, nullum denique experimentum, cui vel patiens vel Medicus, tutò fidere possit; quia neuter scit affectus causam, vel partem affectam. Nam quamvis verum sit sanguinem per fauces occasione venæ alicujus erosionis erupisse; non potest tamen definiri ejus venæ situs, an sit in dextro aut sinistro pulmonis lobo: vel extra pulmonem, in pleura aut alibi. Per quam quoquè rationem demonstrari potest venam esse ruptam non autem arteriam. Nam harum contentum est

*Diabrosis difficilior cura, quam vulneris.*

*Incertum, quæ vena sit rupta, vel arteria, ex communi opinione.*

æquè

æquè sanguis, ac venarum. Imò facilius esset probare eum potius arteriosum quàm venosum qui erumpit; quia hæ sectæ in quacunque corporis parte, tantum sanguinis evomere non possunt etiam longius durante ejus fluxu, quantum illius per fauces uno impetu simul & semel erumpit, quasi per syphonem ejaculatus fuisset. Ex quo ejus violento & largo admodum effluxu liquet, quod non ex venis erosis vel fissis, aut aliunde quàm ex ipsissimis arteriis immediatè prosiliat, per earum anastomosin: Sive per eos ductus extraordinariò hiantes, per quos ordinarii vapores ordinario exspirant. Si quæ prosunt ad effectum hunc curandum, certe alia non sunt quàm mutatio affectuum patientis in melius; Medici prudentia; & ægri versus Deum & Medicum confidentia. Quid est enim inter omnia extrinseca quod vaporibus intus in corpore humano tumultuantibus quietem inducere possit, quàm id solum quod immediatè à virtutibus seminalibus dependet; Id autem sunt imaginativi affectus sub obedi-

*Sanguis per Anastomosin venarum & arteriarum foràs erumpit.*

bedientiam Divinæ voluntatis reducti. Vapores immediatè surgunt ex spiritibus seminalibus alicujus animalis concupiscentiæ; Concupiscentia itaquè, vel animi desiderium dominatur affectibus, eosque vel attollit vel deprimit prout ipsum exaltatum aut prostratum fuerit. Subita & vehemens imaginationis nostræ ab una extremitate in aliam, & vitam & mortem, & morbos & valetudinem nobis aufert aut confert. Præsertim si eam sublevaverimus ad excelsiores ordines quàm mundani sunt aut esse possunt, ad eos videlicet quos fata moderantur non autem fatalia. Sunt multi quos exanimat metus subitaneus, vel terror; ita & multi quos perdit ingens gaudium. Multos erigit fides; multos deprimit. Superstitio enim æquè fides est, ac id quod propriè tale dicitur; Avaritiæq;, iræ, audaciæ, amores, sunt sæpè pares effectus, ac prudentiæ & charitatis; scilicet in corpus hoc & carnales affectus. Nihil est enim cognatius fidei, quàm superstitio; Nihil audaciæ quàm temeritas, sunt enim

*Imaginationis vis in supprimenda hæmorrhagia.*

gradus vitiorum æquè ac virtutum; Dominus magna largitus est fidei ac amori privilegia; Sed pluribus gaudent & fruuntur increduli iracundi & dolosi hic in hac vita: quamvis non semper efficacibus. Tamen interiores affectus animi majus exercent dominium in vapores, quàm medicamenta externa; Nec tantum scit aut potest Medicus in morbum aliquem, quantum ipse æger, si suis privilegiis uti sciat aut velit. Imaginatio illius mulieris Hæmorrhaicæ, directa unicè in Christum effecit, ut exaresceret fons sanguinem scaturiens in corpore ejus. Quamvis tactus externus vestis Christi fuisset symbolum intentionis ejus, per quod determinata fuit interioris intentionis concupiscentia. Si tetigero saltem vestimenta ejus, dixit mulier in animo suo; servabor, Matth.9.21, Marc.5.28. Tetigit autem; non tamen tactus ille, sed intentionis illius virtus fuit ejus convalescentiæ causa. Ita multa quotidiè adhuc operatur tam fides, quàm superstitio, ab intrinseco spiritus vehementiori impetu pro-

*Credulitatis & incredulitatis magna virtus.*

*Imaginatio ægri nõ saltem æquivalet, sed & prævalet meditamẽto.*

proficiſcens. Ex cujus vero ſcenæ ordine eſt ſpiritus imaginationis author, in eo quoque ordine eſt virtutis ejus ſucceſſus & eventus. Sunt inter innumera medicamenta, vel ſpecifica Experimenta adverſus Hæmorrhagiam apud vulgus Medicorum, Voces quoq; quædam peregrinæ & Magicæ, quarum Characteres ſaltem extrinſecus ſanguine patientis ſuper chartam picti, & fronte ejus applicati, Hæmorrhagiam ſupprimere creduntur. E. g. Oipulu; brevis quidem, ſed magnæ apud ſuperſtitioſos patientes efficaciæ, quamvis ſignificatio ejus ignoretur. Quod vocum, præſertim earum, quæ naturaliter ſignificant, non autem ex noſtro placito, ſcilicet radicalium & primævarum, qualis eſt Syriaca, de eo nullus dubito; quod ſingulari Tractatu demonſtrabimus; Hujus loci autem non ſunt; obiter ſaltem vocis Oipulu, hic mentionem facere volui, quia ſcio, eam in Caſtris inter militares exercitus à Chyrurgis multum uſurpari, cum bono interdum ſucceſſu. Ego ipſe bis eâ uſus ſum, ad eam temerita-

*Magica cōtra Hæmorrhagiam.*

*Hiſtoria de Oipulu.*

tem compulſus patientum impatientiâ. Non autem per fauces, ſed per nares fluebat ſanguis eorum; Alter fuit natus annorum 49. alter 42. unus nauta, alter aurifaber. Scripſi vocem eam ſuper ſchedulam exiguam, ipſorumque fronte applicui, ſecundum communem Regulam; ceſſavit verò ſanguis ſubitò; tamen affirmare non auſim, quod factum ſit ob virtutem Magici hujus amuleti, nam brevi ante eis exhibui medicamenta intus, & extra applicui anodyna, & ex communi opinione adſtringentia. Tamen nemini ſuaſerim, vel hâc voce, vel aliâ ei ſimili, uti in Cura Hæmorrhagiæ. Aurifaber enim ille uti ſubitò convaluit prius, ita ſubitò corruit & exſpiravit poſt ſeptennium. Transplantationis morborum, vel eorum ex uno ſubjecto in aliud trāslationis alia eſt ratio; per quam ejus tum utilitas, tum neceſſitas defendi poteſt citra omnem maculam bonæ conſcientiæ: Si ſaltem Medicus prudens ſit, & quicquid agit, vel agere aliis conſulit, agat ex certo fundamento, & extra omnem ſuperſtitionem.

*Transplantatio morborum.*

nem. Si enim dæmonia Legionaria ex hominibus in porcos migrare poſſunt; poſſunt quoque ſeptenaria & monaſtica in arbores relegari. Ligaturæ,& Cauſtica; ſunt quoque ſanguinis erumpentis fræna; Sed apud Chyrurgos ſaltem in uſu, in externis hæmorrhagiis compeſcendis; Ideò inter medicamenta internam ſanguinis hæmorrhagiam ſupprimentia recenſenda non ſunt.

---

## CAPUT IV.

### *De modo curandi Hæmorrhagiam faucium, vel Sanguinis vomitus & Excreationis.*

NOrunt omnes Medicæ Artis Profeſſores & Practici de Sanguine, quod is peccet dupliciter, in Quantitate ſcilicet & Qualitate; qui ejus affectus duo dicuntur Plethora,& Cacochymia. Nam dum ſimpliciter multus eſt in vaſis ſuis,quamvis non omninò ſit inutilis & noxius; tum ille ejus affectus Plethora dicitur, ſive plenitudo ad vaſa. Dum

verò noxius eſt, vel malignis vaporibus aut humoribus prægnans, quamvis non multus ſit; Cacochymia aut plenitudo ad vires dicitur. Qui itaque Medicorum ſanguinis fluxum per fauces, vel Hæmaptoiſin, ab eroſa vel ruptâ venâ derivari putant; illi eum affectum imputant Cacochymiæ, non autem Plethoræ ſimplici: Sive non ita ſanguini multo, ſed admodum acri; à quali ulcera, vomicæ & apoſtemata naſci ſolent. Quod tamen hic notandum eſſet maxime, hoc eſt: nempe an uterque ſanguis & venoſus & arterioſus plethorâ & cacochymiâ laborare poſſit; an verò ſolus venoſus; quoniam ex pulſu, judicare ſolemus de interna ſanguinis conſtitutione, non autem ita ex venis vel earum tumore; indeque ſequitur, arterioſum ſanguinem iisdem quoque vitiis eſſe obnoxium, quibus venoſus eſt, niſi gravioribus & periculoſioribus. Unus autem & idem non eſt utrinque; niſi nos decipiant dogmata ſcholaſtica, & Anatomicorum obſervationes. Neminem tamen ego hucusque legi Medicorum, qui de Ana-

*Sanguis non multus ſed acris eſt cauſa Hæmaptoiſis.*

tomia

*Arteria æquè lædi potest ac vena à suo contento.*

tomia sanguinis arteriosi aliquid singularis edidisset, præsertim in Curatione Hæmaptoici affectus; sine dubio, quia nemo cogitavit, arteriam æquè ac venam à suo contento, vel ulcere aut apostemate arrodi posse; Si igitur ego hic accuratius in rem hanc inquisivero, nemo mihi id vitio vertet, vel me ideò calumniabitur hujus scripti lectorum; præsertim si ingenuus Medicus esse velit. Non enim meo honori, sed Medicinæ; nec meo lucro vel rei privatæ, sed communi omnium ægrorum commodo consulturus, me totius mundi censuræ, vel malevolorum invidiæ expono, hujus difficilis admodum & profundæ materiæ seriori examine. Cui enim non constat an arteria vel vena erosa sit, quæ sanguinem vomit per fauces; nec illi constabit cui erosæ vel hianti mederi debeat: Iisdem autem remediis quibus consolidantur venæ; non possunt consolidari arteriæ; vel quibus supprimitur sanguis venosus supprimi poterit sanguis arteriosus; præsertim cum ejus vasis continentis hiatus, vulnus vel ulcus,

*Qui Medicus, nescit partem affectam, illius cura est vana.*

 cus,

cus, in profundo pectoris lateat. Nec unum est mederi arteriis & venis; vel læsâ arteriâ, venam; aut hâc erosâ, non hanc, sed arteriam consolidare velle. Quod autem asperæ arteriæ rami in hæmaptoico affectu erodi vel hiare oporteant, ut sanguinem ex venis effluentem excipere, atque ad fauces deferre possint; negare non possunt illi, qui hæmaptoicos non solum sanguinem, sed & ipsissimum parenchyma pulmonis exscreare per fauces docent. Quod pulmo habeat venas & arterias sanguine refertas, non id nego; Tamen neuter evacuari potest per fauces, nisi vel venæ vel arteriæ eum in trachæam, vel asperam arteriam infuderint; hæc enim est omninò exsanguis, nec aliquæ sunt venæ aut arteriæ ipsius bronchis intus adhærentes, ut ex læsis, sanguis immediatè in arteriam asperam influere, & sic per fauces effluere, sine ejus continuitatis læsione; Si communi modo de Hæmaptoisi philosophari volumus. Sanguis quidem & ex venis & ex arteriis, per anastomosin earum ad fauces ferri potest,

*Aspera arteria necesse est, ut erosa sit in Hæmaptoisi.*

*Hæmorrhagia fit per anastomosin.*

poteſt, per trachæam, imò & per gulam, ſicuti bilis, ſine continuitatis earum læſione; Nam ſunt orificia vaſorum ſanguineorum hiantia verſus arteriæ aſperæ canales, qui omninò exſangues ſunt; Ita & verſus inteſtina gracilia; ex quibus interdum varii humores regurgitant in ventriculum. Sed parenchyma pulmonis per ulcus eroſum, nequaquam exſcreari poteſt per fauces, niſi per hiatum aliquē ſenſibilem in aſpera arteria actu præſentem, cui infarciretur omne id, quod de ſubſtantia pulmonum deceſſit. Si autem perforaretur ramus aliquis aſperæ arteriæ parenchyma pulmonis ab extra recepturus; tum neceſſariò exanimari patiens oporteret, ob interceptam in & exſpirationis reciprocationem. Quod pulmo hæmaptoicorum aliquorum exulceratus ſit; nec id negaverim; in quo enim membro ſanguis eſt, in eo quoque naſci poſſunt ulcera & apoſtemata: Tamen id verùm ſemper de illorum pulmone non eſt, in hæmaptoiſi; ſed ſi exulcerantur pulmones in eis, tum à vapore ſanguinis exul-

*Parenchyma pulmonis per fauces non poteſt exſcreari.*

*Pulmones exulcerari poſſunt, ſed non exſcreari.*

 ceran-

cerantur, non autem ab eis exulceratis fit hæmaptoiſis: nonq; hæc exulcerationi, ſed hæc hæmaptoiſi eſt imputanda; Nec etiam rupto in pulmone ulcere, vomica vel apoſtemate per fauces effluere poteſt, quod inde effluxit; ſed in concavitatem pleuræ influat, neceſſe eſt, cum periculo ſubitæ ſuffocationis ægri. Sed ne cum umbris decertare videar, modum compeſcendi vomitus ſanguinis demonſtrabo Prudentioribus & ingenuis: Hoc tamen priùs ſuppoſito; Quod nulla ſanguinis vomitio, intermittens, vel aliquandiu continuans, ſyncera vel purulenta, fiat per diabroſin, vel continuitatis ſolutionem venarum aut arteriarum; ſed ſimpliciter per earum anaſtomoſin, ſive per ordinarios meatus in & exſpirationis; & ea, quæ violentum ictum, vel lapſum ſequitur. Atque ex hoc ſuppoſito concludimus, nullam in Hæmaptoiſi eſſe neceſſitatem, nullam utilitatem Medicamentorum conſolidantium, quia nulla adeſt diabroſis aut continuitatis earum ſolutio. Non entis enim nullæ

*Sanguinis per vomitũ eruptio non fit ex diabroſi.*

nullæ sunt qualitates ; Secundò: Sanguinis vomitum non oriri à Plethora, alterutrius sanguinis ; sed à sola cacochymia ; non quidem ita humorum malignorum, quàm vaporum in vasis sanguineis contentorum ; præsertim autem arteriarum. Cacochymia autem sanguinis venosi , aliis se indiciis prodit ; Ideò inutilem esse phlebotomiam in hoc affectu judicamus ; Quia venosus sanguis ab arterioso , non autem arteriosus à venoso suum incrementum capit. Sed si sanguis in hoc affectu supprimendo detrahendus est ; id ex arteriis non autem ex venis faciendum judico. Nam si per ebullitionem simplicem bilis, vel humoris biliosi, potest derivari ejus per superiora & inferiora dejectio, absq; læsione continuitatis venatum ; idem quoq; sentiendum erit & de humoribus aliis, sive de sanguine ; hic enim est æquè sensibilis humor, ac bilis, phlegma , melancholia, &c. ideò iisdem mutationibus obnoxius ac alii humores omnes, quotquot in corpore sunt.

*Nec fit ex Plethora.*

*Arteriæ sunt secandæ in Hæmaptoisi, non venæ.*

ſunt. Bilis quæ vomitur dum vomitur, ea non vomitur per vias illas per quas vomitur ſanguis; ſed per œſophagum; Non in ſtomacho generata, ſed aliundè coacervata, ſcilicet per regurgitationem ex inteſtinis gracilioribus, ad quæ indeſinenter copioſa ex ductu biliario prolabitur; Senſibilis enim eſt proceſſus bilis ex venis ad inteſtina. Ebullitio autem bilis fieri non poteſt in venis propriè; ſed tantum extra venas, à ſanguine jam & nomine & forma ſeparatæ. Vapor autem ex quo bilis naſcitur in ſanguine exacerbari poteſt ut violentius moveatur. Nam bilis vapor eſt in ſanguine non humor; ſed ex venis humoroſâ excernitur ſpecie, ſicuti id quod in recipientem ſtillat ex alembico per roſtrum. Sanguis autem exagitari poteſt in venis, ita ut non ſolum vapores extraordinariò plures ſed & humores excernat: Sed his à ſanguine actu ſecretis, nulla eſt amplius cum ſanguinea maſſa homogenea in vaſis hærente communio. Ita ebulliente in arteriis ſanguine arterioſo, à quocunque principio

*Bilis in venis ebullire vel putreſcere nequit, quia nondum humor eſt, ſed vapor.*

pio

pio id fiat, sive occultiori, sive manifestiori, tum copiosiores inde vapores generantur, vel ejus massa in venas erumpit, aut nisi huc, una cum vaporibus per respirationis canales ad fauces propellitur. Bilis sunt variæ species; ita & phlegmatis, & aliorum humorum, à sanguine secretorum; An autem singulæ humorum species, per peculiares ductus mesaraicos excernantur è venis & ad intestina deferantur, vel omnes per unum eundemquè? nemo id hucusquè docuit Medicorum; nemo demonstravit, imò ne cogitavit quidem Anatomicorum ex industria; Quid si nihil scripsisset de hac materia Galenus Medicorum dogmaticorum Princeps, de usu partium; de situ; de numero, de magnitudine, de compositione earum, &c, multa docens. Tamen nobis tacere non competit ea, quæ scimus vera esse; quæ ipsimet bonæ conscientiæ argumento, ingenii seriâ censurâ, & experientiæ multifariæ testimoniis, talia esse comperimus, qualia describimus, publico bono consulere volentes; Non enim Gale-

*Bilis variæ species, quomodo judicandæ.*

Galenus pro nobis, nec nos pro Galeno sumus rationem reddituri dispensationis judicii nostri, animarum judici; sed quilibet pro se ipso. Quid si mihi contradixerint Medicorum modernorum multi; Causam ego nullam video, quare ego potius cedere debeam multitudini, quàm multitudo Veritati. Probare omnia, sed sola vera ex omnibus amplecti, jubemur à scriptura: Sive non eo eundum quo itur; sed quo ire docet vel jubet sapientia & veritas. Qui autem has virtutes aut duces habet, vel comites curæ suæ Medicus, ille non aberrabit, etiam solus iens; qui cæco impetu multitudinis turbam sequitur, ille aut jam actu errat; aut est in magno erroris periculo: Nemini enim promittitur lectionis vel auditus utilitas, multò minus alicuj fidei certitudo, nisi intelligenti. Sed intelligentia requirit præmeditationem animi, quam assensus sequatur. Multas esse species bilis; visus ipse testatur; ubi autem ille fidem facit; non statim ei est acquiescendum; sed plures implorandi sensus ad certiorationem

*Multitudini non est obsequendum, sed Veritati.*

*Lectio inutilis non intelligenti.*

nem

nem veritatis testimonii visus: Et olfactus & tactus adhiberi ei debent; Ex coloris enim solius forma totius essentiæ constitutio non cognoscitur; & sapor & odor rei est considerandus, si exquisitam bilis cognitionem habere cupimus. Nam quot sunt varietates in bilioso humore colorum; tot sunt quoq; saporum, & odorum, & ponderis; Pauci sunt qui in sapores & odores bilis inquirant; In solis ejus coloribus acquiescunt plurimi. Sicuti in herbarum historicâ cognitione. Bilis citius quàm humor fiat, vapor est in sanguine, etiam vaporoso; sed in venoso humori magis affinis sui nominis; in arterioso autem affectui. Talis est conditio humorum quoquè omnium citius quàm ad emunctoria expellantur. Nec est aliqua humorum putrefactio in venis; sed saltem extra venas in emunctoriis; vel si in venis non extra pedum manuumq; extremitates, in quibus fæces sanguinis graviores quiescunt; tanquam tartarus vel amurca in vino. Dum bilis nominatur; tum in humore sic dicto,

*Humores nulli in venis putrescunt.*

gradus vitiorum æquè ac virtutum; Dominus magna largitus est fidei ac amori privilegia; Sed pluribus gaudent & fruuntur increduli iracundi & dolosi hic in hac vita; quamvis non semper efficacibus. Tamen interiores affectus animi majus exercent dominium in vapores, quàm medicamenta externa; Nec tantum scit aut potest Medicus in morbum aliquem, quantum ipse æger, si suis privilegiis uti sciat aut velit. Imaginatio illius mulieris Hæmorrhaicæ, directa unicè in Christum effecit, ut exaresceret fons sanguinem scaturiens in corpore ejus. Quamvis tactus externus vestis Christi fuisset symbolum intentionis ejus, per quod determinata fuit interioris intentionis concupiscentia. Si tetigero saltem vestimenta ejus, dixit mulier in animo suo; servabor, Matth.9.21, Marc.5.28. Tetigit autem; non tamen tactus ille, sed intentionis illius virtus fuit ejus convalescentiæ causa. Ita multa quotidiè adhuc operatur tam fides, quàm superstitio, ab intrinseco spiritus vehementiori impetu pro-

*Credulitatis & incredulitatis magna virtus.*

*Imaginatio ægri nō saltem æquivalet, sed & prævalet medicamēto.*

proficiſcens. Ex cujus vero ſcenæ ordine eſt ſpiritus imaginationis author, in eo quoque ordine eſt virtutis ejus ſucceſſus & eventus. Sunt inter innumera medicamenta, vel ſpecifica Experimenta adverſus Hæmorrhagiam apud vulgus Medicorum, Voces quoq; quædam peregrinæ & Magicæ, quarum Characteres ſaltem extrinſecus ſanguine patientis ſuper chartam picti, & fronte ejus applicati, Hæmorrhagiam ſupprimere creduntur. E. g. Oipulu; brevis quidem, ſed magnæ apud ſuperſtitioſos patientes efficaciæ, quamvis ſignificatio ejus ignoretur. Quod vocum, præſertim earum, quæ naturaliter ſignificant, non autem ex noſtro placito, ſcilicet radicalium & primævarum, qualis eſt Syriaca, de eo nullus dubito; quod ſingulari Tractatu demonſtrabimus; Hujus loci autem non ſunt; obiter ſaltem vocis Oipulu, hic mentionem facere volui, quia ſcio, eam in Caſtris inter militares exercitus à Chyrurgis multum uſurpari, cum bono interdum ſucceſſu. Ego ipſe bis eâ uſus ſum, ad eam temerita-

*Magica contra Hæmorrhagiam.*

*Hiſtoria de Oipulu.*

tem compulſus patientum impatientiâ. Non autem per fauces, ſed per nares fluebat ſanguis eorum; Alter fuit natus annorum 49. alter 42. unus nauta, alter aurifaber. Scripſi vocem eam ſuper ſchedulam exiguam, ipſorumque fronte applicui, ſecundum communem Regulam; ceſſavit verò ſanguis ſubitò; tamen affirmare non auſim, quod factum ſit ob virtutem Magici hujus amuleti, nam brevi ante eis exhibui medicamenta intus, & extra applicui anodyna, & ex communi opinione adſtringentia. Tamen nemini ſuaſerim, vel hâc voce, vel aliâ ei ſimili, uti in Cura Hæmorrhagiæ. Aurifaber enim ille uti ſubitò convaluit prius, ita ſubitò corruit & exſpiravit poſt ſeptennium. Transplantationis morborum, vel eorum ex uno ſubjecto in aliud trãslationis alia eſt ratio; per quam ejus tum utilitas, tum neceſſitas defendi poteſt citra omnem maculam bonæ conſcientiæ: Si ſaltem Medicus prudens ſit, & quicquid agit, vel agere aliis conſulit, agat ex certo fundamento, & extra omnem ſuperſtitionem.

*Transplantatio morborum.*

nem. Si enim dæmonia Legionaria ex hominibus in porcos migrare poſſunt; poſſunt quoque ſeptenaria & monaſtica in arbores relegari. Ligaturæ,& Cauſtica; ſunt quoque ſanguinis erumpentis fræna; Sed apud Chyrurgos ſaltem in uſu, in externis hæmorrhagiis compeſcendis; Ideò inter medicamenta internam ſanguinis hæmorrhagiam ſupprimentia recenſenda non ſunt.

---

## Caput IV.

### *De modo curandi Hæmorrhagiam faucium, vel Sanguinis vomitus & Excreationis.*

NOrunt omnes Medicæ Artis Profeſſores & Practici de Sanguine, quod is peccet dupliciter, in Quantitate, ſcilicet & Qualitate; qui ejus affectus duo dicuntur Plethora,& Cacochymia. Nam dum ſimpliciter multus eſt in vaſis ſuis,quamvis non omninò ſit inutilis & noxius; tum ille ejus affectus Plethora dicitur, ſive plenitudo ad vaſa. Dum

 verò

verò noxius eſt, vel malignis vaporibus aut humoribus prægnans, quamvis non multus ſit; Cacochymia aut plenitudo ad vires dicitur. Qui itaque Medicorum ſanguinis fluxum per fauces, vel Hæmaptoiſin, ab eroſa vel ruptâ venâ derivari putant; illi eum affectum imputant Cacochymiæ, non autem Plethoræ ſimplici: Sive non ita ſanguini multo, ſed admodum acri; à quali ulcera, vomicæ & apoſtemata naſci ſolent. Quod tamen hic notandum eſſet maxime, hoc eſt: nempe an uterque ſanguis & venoſus & arterioſus plethorâ & cacochymiâ laborare poſſit; an verò ſolus venoſus; quoniam ex pulſu, judicare ſolemus de interna ſanguinis conſtitutione, non autem ita ex venis vel earum tumore; indeque ſequitur, arterioſum ſanguinem iiſdem quoque vitiis eſſe obnoxium, quibus venoſus eſt, niſi gravioribus & periculoſioribus. Unus autem & idem non eſt utrinque; niſi nos decipiant dogmata ſcholaſtica, & Anatomicorum obſervationes. Neminem tamen ego hucusque legi Medicorum, qui de Anatomia

*Sanguis non multus ſed acris eſt cauſa Hæmaptoiſis.*

tomia

tomia ſanguinis arterioſi aliquid ſingularis edidiſſet, præſertim in Curatione Hæmaptoici affectus; ſine dubio, quia nemo cogitavit, arteriam æque ac venam à ſuo contento, vel ulcere aut apoſtemate arrodi poſſe; Si igitur ego hic accuratius in rem hanc inquiſivero, nemo mihi id vitio vertet, vel me ideò calumniabitur hujus ſcripti lectorum; præſertim ſi ingenuus Medicus eſſe velit. Non enim meo honori, ſed Medicinæ; nec meo lucro vel rei privatæ, ſed communi omnium ægrorum commodo conſulturus, me totius mundi cenſuræ, vel malevolorum invidiæ expono, hujus difficilis admodum & profundæ materiæ ſeriori examine. Cui enim non conſtat an arteria vel vena eroſa ſit, quæ ſanguinem vomit per fauces; nec illi conſtabit cui eroſæ vel hianti mederi debeat: Iisdem autem remediis quibus conſolidantur venæ; non poſſunt conſolidari arteriæ; vel quibus ſupprimitur ſanguis venoſus ſupprimi poterit ſanguis arterioſus; præſertim cum ejus vaſis continentis hiatus, vulnus vel ulcus,

*Arteria aquè lædi poteſt ac vena à ſuo contento.*

*Qui Medicus, neſcit partem affectam, illi ut cura eſt vana.*

poteſt, per trachæam, imò & per gulam, ſicuti bilis, ſine continuitatis earum læſione; Nam ſunt orificia vaſorum ſanguineorum hiantia verſus arteriæ aſperæ canales, qui omninò exſangues ſunt; Ita & verſus inteſtina gracilia; ex quibus interdum varii humores regurgitant in ventriculum. Sed parenchyma pulmonis per ulcus eroſum, nequaquam exſcreari poteſt per fauces, niſi per hiatum aliquẽ ſenſibilem in aſpera arteria actu præſentem, cui infarciretur omne id, quod de ſubſtantia pulmonum deceſſit. Si autem perforaretur ramus aliquis aſperæ arteriæ parenchyma pulmonis ab extra recepturus; tum neceſſariò exanimari patiens oporteret, ob interceptam in & exſpirationis reciprocationem. Quod pulmo hæmaptoicorum aliquorum exulceratus ſit; nec id negaverim; in quo enim membro ſanguis eſt, in eo quoque naſci poſſunt ulcera & apoſtemata: Tamen id verum ſemper de illorum pulmone non eſt, in hæmaptoiſi, ſed ſi exulcerantur pulmones in eis, tum à vapore ſanguinis exul-

***Parenchyma pulmonis per fauces non poteſt exſcreari.***

***Pulmones exulcerari poſſunt, ſed non exſcreari.***

cerantur, non autem ab eis exulceratis fit hæmaptoisis: nonq; hæc exulcerationi, sed hæc hæmaptoisi est imputanda; Nec etiam rupto in pulmone ulcere, vomica vel apostemate per fauces effluere potest, quod inde effluxit; sed in concavitatem pleuræ influat, necesse est, cum periculo subitæ suffocationis ægri. Sed ne cum umbris decertare videar, modum compescendi vomitus sanguinis demonstrabo Prudentioribus & ingenuis: Hoc tamen priùs supposito; Quod nulla sanguinis vomitio, intermittens, vel aliquandiu continuans, syncera vel purulenta, fiat per diabrosin, vel continuitatis solutionem venarum aut arteriarum; sed simpliciter per earum anastomosin, sive per ordinarios meatus in & exspirationis; & ea, quæ violentum ictum, vel lapsum sequitur. Atque ex hoc supposito concludimus, nullam in Hæmaptoisi esse necessitatem, nullam utilitatem Medicamentorum consolidantium, quia nulla adest diabrosis aut continuitatis earum solutio. Non entis enim

*Sanguinis per vomitū eruptio non fit ex diabrosi.*

nullæ

nullæ ſunt qualitates; Secundò: Sanguinis vomitum non oriri à Plethora, alterutrius ſanguinis; ſed à ſola cacochymia; non quidem ita humorum malignorum, quàm vaporum in vaſis ſanguineis contentorum; præſertim autem arteriarum. Cacochymia autem ſanguinis venoſi, aliis ſe indiciis prodit; Ideò inutilem eſſe phlebotomiam in hoc affectu judicamus; Quia venoſus ſanguis ab arterioſo, non autem arterioſus à venoſo ſuum incrementum capit. Sed ſi ſanguis in hoc affectu ſupprimendo detrahendus eſt; id ex arteriis non autem ex venis faciendum judico. Nam ſi per ebullitionem ſimplicem bilis, vel humoris bilioſi, poteſt derivari ejus per ſuperiora & inferiora dejectio, absq; læſione continuitatis venatum; idem quoq; ſentiendum erit & de humoribus aliis, ſive de ſanguine; hic enim eſt æquè ſenſibilis humor, ac bilis, phlegma, melancholia, &c. ideò iisdem mutationibus obnoxius ac alii humores omnes, quotquot in corpore ſunt.

*Nec fit ex Plethora.*

*Arteriæ ſunt ſecandæ in Hæmaptoiſi, non venæ.*

ſunt. Bilis quæ vomitur dum vomitur, ea non vomitur per vias illas per quas vomitur ſanguis; ſed per œſophagum; Non in ſtomacho generata, ſed aliundè coacervata, ſcilicet per regurgitationem ex inteſtinis gracilioribus, ad quæ indeſinenter copioſa ex ductu biliario prolabitur; Senſibilis enim eſt proceſſus bilis ex venis ad inteſtina. Ebullitio autem bilis fieri non poteſt in venis propriè; ſed tantum extra venas, à ſanguine jam & nomine & forma ſeparatæ. Vapor autem ex quo bilis naſcitur in ſanguine exacerbari poteſt ut violentius moveatur. Nam bilis vapor eſt in ſanguine non humor; ſed ex venis humoroſâ excernitur ſpecie, ſicuti id quod in recipientem ſtillat ex alembico per roſtrum. Sanguis autem exagitari poteſt in venis, ita ut non ſolum vapores extraordinariò plures ſed & humores excernat: Sed his à ſanguine actu ſecretis, nulla eſt amplius cum ſanguinea maſſa homogenea in vaſis hærente communio. Ita ebulliente in arteriis ſanguine arterioſo, à quocunque princi-

*Bilis in venis ebullire vel putreſcere nequit, quia non dum humor eſt, ſed vapor.*

pio

pio id fiat, sive occultiori, sive manifestiori, tum copiosiores inde vapores generantur, vel ejus massa in venas erumpit, aut nisi huc, una cum vaporibus per respirationis canales ad fauces propellitur. Bilis sunt variæ species; ita & phlegmatis, & aliorum humorum, à sanguine secretorum; An autem singulæ humorum species, per peculiares ductus mesaraicos excernantur è venis & ad intestina deferantur, vel omnes per unum eundemquè? nemo id hucusquè docuit Medicorum; nemo demonstravit, imò ne cogitavit quidem Anatomicorum ex industria; Quid si nihil scripsisset de hac materia Galenus Medicorum dogmaticorum Princeps, de usu partium; de situ; de numero, de magnitudine, de compositione earum, &c, multa docens. Tamen nobis tacere non competit ea, quæ scimus vera esse; quæ ipsimet bonæ conscientiæ argumento, ingenii seriâ censurâ, & experientiæ multifariæ testimoniis, talia esse comperimus, qualia describimus, publico bono consulere volentes; Non enim

*Bilis variæ species, quomodo judicanda.*

Gale-

Galenus pro nobis; nec nos pro Galeno sumus rationem reddituri dispensationis judicii nostri, animarum judici; sed quilibet pro se ipso. Quid si mihi contradixerint Medicorum modernorum multi; Causam ego nullam video, quare ego potius cedere debeam multitudini, quàm multitudo Veritati. Probare omnia, sed sola vera ex omnibus amplecti, jubemur à scriptura: Sive non eo eundum quo itur; sed quo ire docet vel jubet sapientia & veritas. Qui autem has virtutes aut duces habet, vel comites curæ suæ Medicus, ille non aberrabit, etiam solus iens; qui cæco impetu multitudinis turbam sequitur, ille aut jam actu errat; aut est in magno erroris periculo: Nemini enim promittitur lectionis vel auditus utilitas, multò minus alicuj fidei certitudo, nisi intelligenti. Sed intelligentia requirit præmeditationem animi, quam assensus sequatur. Multas esse species bilis; visus ipse testatur; ubi autem ille fidem facit; non statim ei est acquiescendum; sed plures implorandi sensus ad certiorationem

*Multitudini non est obsequendum, sed Veritati.*

*Lectio inutilis non intelligenti.*

nem veritatis testimonii visus: Et olfactus & tactus adhiberi ei debent; Ex coloris enim solius forma totius essentiæ constitutio non cognoscitur; & sapor & odor rei est considerandus, si exquisitam bilis cognitionem habere cupimus. Nam quot sunt varietates in bilioso humore colorum; tot sunt quoq; saporum, & odorum, & ponderis; Pauci sunt qui in sapores & odores bilis inquirant; In solis ejus coloribus acquiescunt plurimi. Sicuti in herbarum historica cognitione. Bilis citius quàm humor fiat, vapor est in sanguine, etiam vaporoso; sed in venoso humori magis affinis sui nominis; in arterioso autem affectui. Talis est conditio humorum quoquè omnium citius quàm ad emunctoria expellantur. Nec est aliqua humorum putrefactio in venis; sed saltem extra venas in emunctoriis; vel si in venis non extra pedum manuumq; extremitates, in quibus fæces sanguinis graviores quiescunt; tanquam tartarus vel amurca in vino. Dum bilis nominatur; tum in humore sic dicto,

*Humores nulli in venis putrescunt.*

*Bilis non saltem color sed & odor & sapor multiplex.* cto, non alius quàm amarus ſapor excellere intelligitur. Sed iterum tot erunt & ſpecies & gradus amaritudinis, quot bilis; Atquè eodem modo judicare debemus humores omnes, ſicuti bilem, quia omnes ex vaporibus procedunt in ſui primâ generatione. De bile non audimus quod eam trahant vel ſugant venæ maſaraicæ, ex ſucco chyli aut chymi; nec id de phlegmate judicandum eſt, vel de urina: Sed quod humores omnes generentur ex ſanguine, ſine dubio illic quoque ubi ſanguis; ſi non omnis, tamen venoſus, ex quo alii humores naſcuntur. Non docetur enim

*Bilis generatur in venis, sed generata indè excernitur.* ſanguinem, ex bile vel pituita generari ſed hæc ex ſanguine. Primus itaquè eſt in generatione ſanguis inter humores; Ex ſanguine autem actu jam in venis generato naſcuntur humores alii, quicunquè inde ad inteſtina, ad ureteres, vel in carnes abeunt. Extra venas autem vel arterias, earumque propagines nullus eſt ſanguis, igitur nulla quoquè aliorum humorum alibi generatio, quàm in venis; nec aliunde ad emun-

ctoria

ctoria excretio; quàm ex venis; quicquid itaquè habent biliosi, sanguinei, pituitosi, intestina, id ex venis mesaraicis excepisse ea certum est; Multi non sanguinea, sed bilosa tantum vomendo exspirarunt: Tamen in tali vomitione nulla dicitur esse diabrosis, sed sola tantùm biliosi humoris ebullitio, aut ejus ad ventriculum regurgitatio, ex intestinis gracilioribus fiens. Quare igitur eam nobis comminiscimur, in hæmaptoisi; cum æquè manifesti sint canales vaporum ex arteriis exspirantium, ac humorum ex venis ad intestina profluentium. Nullus quidem Anatomicorum hucusq; demonstravit, per quas vias vel pituita, vel melancholia, vel sanguis ipse ex venis in intestina prolabatur; De bile id nobis constat; quia demonstrant nobis sensibilem ductum bilem ex hepate ad intestina propendentem, bile turgidum; Quare autem non posset accidere sanguini in venis, quod accidit aliis humoribus extra venas in emunctoriis. Omnes in eo consentiunt, quod venæ mesaraicæ succum nu-

*Bilis eruptio per fauces.*

tritivum fugant ex inteſtinis, & ad hepar deferant in ſanguinem commutandum: Si autem in ſanguinem? Per conſequens & in humores alios, â ſanguine & nomine & formâ diſſidentes; nam non ex his ſanguis, ſed hi ex ſanguine naſcuntur. Dant quoq; rationem, quare plures ſint illæ venæ, & ſitu diſcrepantes? Scilicet ideò, ut ſi quid alimenti in tranſitu per primam circumvolutionem effugiat, per alteram rapiatur; ſi hanc per tertiam, atque idem de omnibus inquiunt. De nulla autem vena meſaraica docetur, quod deferat aliquid ex hepate vel venis ad inteſtina; cum tamen ſæpè cacatur ſanguis, pituitoſus, & melancholicus humor, ita & ſanguis. Omnes in eo conſentiunt, quod ex hepate bilis ad inteſtina propellatur. Quare autem peculiaris quoq; non aſſignatur phlegmati & melancholico humori ductus, ſicuti bili; Scimus enim non ſolam bilem ſanguinem complecti, ſed & humores alios, atque eos inde æquè ac bilem excerni oportere. Satius & facilius fuiſſet hos invenire, quàm comminiſci

*Peculiaris humor peculiarem debet habere ductum.*

nisci venarum diabrosin, aut exulcerationem & membrorum illorum, quæ nullius omninò exulcerationis capacia non sunt, scilicet intestinorum; sunt enim exsanguia: Vel eorum, quæ vel levissimè hiantia patientes necant, quia reciprocationē in & exspirationis abolent; nempè arteriæ asperæ propaginum; Cum tamen hæmaptoicos per integrum septenarium hoc malo vexatos fuisse scimus, quamvis paucos tamen aliquos. Si autem ex vomica pulmonis derivatur materia cruoris vel puris? Certè impossibile esset substantiam pulmonum tam longo tempori sufficere; nisi dicamus ab altera parte regenerari, quod ab una in pus conversum est. Si autem venæ mesenterii, utrique officio serviunt, scilicet, & deferendis humoribus nutritivis ex ventriculo ad hepar; Et efferendis inde excrementitiis humoribus ad intestina; tum hæc nobis de illis enarrare debuissent Præceptores nostri. Quia autem hi illa reticuerunt; igitur aut ea ignoraruntipsi quoque; aut nobis eorum co-

*Absurdum, vomicam pulmonis esse causam Hæmaptoisis.*

gnitionem inviderunt; noſtrâ propriâ induſtriâ acquirendam. Docent quidem Medicorum multi, quòd prima corporis Regio, quam illi ventriculi, lienis, jecoris ſitu circumſcribũt, promptuariumq; nutritionis eſſe, & ſentinam vel ſedem cacochymiæ, dicunt. Sed aut hæc opinio ſtabit, conciliata cum ſanguinis communi definitione; aut ruet, ſi ſanguinis definitio ſtare debeat; Nam ſi ſanguis humor eſt, omnes humores complectens: tum certè ea, quæ inde naſcuntur, neceſſe eſt ut ſint in ſanguine vel ejus vaſis, citius quàm inde excerni poſſint. Nam fæces, quas humores excrementitios appellamus, & in ſanguinis maſſa è venis ſubtracta demõſtramus, non ſunt reliquiæ ciborum, ſed ipſius ſanguineæ maſſæ portiones. Attendite itaque, Lectores ingenui, & ſententiam meam de hac materia judicate; ut ſciatis, quænam ſint officia venarum meſaraicarum, ex hepatis cavo ad inteſtina propendentium, veritati congrua, & quæ non ſint. Nos ſentimus, quod omnia excrementa ſanguinis

*Humores ex Sanguine generantur.*

nis venosi totius corporis ex vasis ejus excipere, & ad intestina dejicere: Nulla alia; Sanguis enim venosus non est promptuarium nutritionis spirituum propriè animalium, sed carnis tantum & ossium; Nec etiam ex cibo & potu immediatè nascitur; ut id de eo sentire didicimus in scholis juventutis nostræ; sed ex arterioso tali processu nascitur, sicuti caro & ossa ex venoso; Arteriosus verò ex vaporibus nervorum, animali virtute impraegnatis. Atque inde fit, quod hic pulset non ille; quia arteriosus spiritibus magis affinis, igitur quoque magis sit vaporosus; venosus autem iterum in corporeitatem tendit spiritibus à quibus generatus est congruam. Fortasse, & sine dubio pulsat & venosus, sed non ita vehementer, nec ita velociter, ut sensu externo pulsus ejus mensurari possit. Arteriæ raro humores excernunt ex corpore; vapores continuo. Venæ autem semper humores, vapores parcius; Hi dum largius ex venis erumpunt, non sine sensu vel rugitu erumpunt. Dum arteriæ humo-

*Officia venarum mesaraicarū.*

*Sanguis uterq; pulsat.*

*Vapores venosus rarò spirat.*

res, vel vapores ſpirant craſſiores, humorib⁹ affiniores quàm ſpiritibus tum pro differentia ſignaturarum eorum, aſpera arteria, pulmo & cor gravatur moleſtius, vel moleſtatur gravius. Per eosdem autem canales,per quos vel vapores vel humores ex arteriis vadunt continuò, ad fauces & per fauces egrediuntur; erumpit quandoque & ſanguis ipſe, cum vaporibus vehementioribus; idque ſine omni læſa continuitate arteriarum;ſine diabroſi,ſine vulneris vel ulceris indicio. Hæc accuratè conſiderata, & mente ruminata, multum conferent ad curam legitimam,doctam, & felicem Hæmorrhagiæ per os, vel Hæmaptoiſis; nosque docebunt, 1.An in eo affectu ſit phlebotomãdum aut non? 2. An vena ſit ſecanda vel arteria, & quæ? 3.An purgantibus, catharticis, diaphoreticis, diureticis ſit utendum? & quando? 4. An curam omnem abſolvere poſſit ſola diæta & moderatus uſus rerum non naturalium dictarum? Alia denique plura, & Medicis & ægris ſcitu utilia, imò & neceſſaria; præſertim ex quo

*Sanguis erumpit per eaſdem vias, per quas fit reſpiratio.*

quo genere dæmoniorum ſit Spiritus Hæmorrhagiæ author. Quia autem non data eſt omnibus illa animi ſagacitas, quæ ad ſerium ſcrutinium, vel acquirendam cognitionem certam occultiorum cauſarum requiritur; Ideò qui præ cæteris ingenio ſe valere putant, & valent; præ cæteris quoque ad ſcrutandum has profunditates, easq; cum aliis communicandum, lege charitatis obligantur; Quo errores antiquorum, & modernorum per imprudentiam nati, & inter nos diſſeminati, ægris maximè noxii corrigi, vel omninò ex ſcholis Medicis exterminari poſſint. Quid ſi hæc mea, vel alia quæque aliorum pia, ardua, ſed facultati & arti Medicæ valde utilia & decora molimina Calumnia ſuo maligno morſu impetiverit? Ætas tamen noſtræ ſucceſſura cum gaudio fructus eorum eſt demeſſura, quæcunque nos & alii cum lacrymis ſeminaverimus; Non aliter enim, quàm ſic ſapientia cum mortalibus nobis hic negotiatur; Curam itaq; hujus Hæmorrhagiæ Hæmaptoiſis dictæ, à Phlebotomia auſpi-

*Officium ſapientiorum.*

*Calumnia deſpicienda difficiliora molientibus.*

cabimur; Et prout occasio tulerit, ratio suaserit, & conditio patientis permiserit, aut venam aut arteriam secabimus; Arteriam, si hunc sanguinem à vaporibus turbari deprehenderimus; Venam autem si hic à talibus vaporibus exagitabitur. Possunt quidem venæ secari, quamvis non in his, sed in arteriis hæreat malum; per Regulam revulsionis, quæ ex parte affecta in non affectam, ex nobiliori ad ignobiliorem nos trahere humores docet & jubet. Sed unâ vice non sine ratione, vel secundum consuetudinem sanguinis emittendi quantitatem metiemur; sed saltem quantum ejus emittendi prudentia Medici & status ægri dictaverit. In omni Phlebotomia autem delectus venarum habetur, ita & aliarum circumstantiarum temporis, loci, ætatis, symptomatum & causarum vehementiæ; maximè autem sexus. De anni temporibus, in hoc affectu, ut solliciti simus, necessarium non est; Quia tales inducias non patitur, sine manifesto dispendio vitæ patientis: Nam aut eum exanimat omninò, aut in

*Venæ possũt secari loco Arteriarũ.*

genus

genus incurabilis mali patientem præcipitat. Mensis tamen, & diei, & horæ & morbi circuituum est habenda ratio; si bono vel successu, vel eventu destitui laborem nostrum nolumus. Infantes rarò vomunt sanguinem; sed cacant sæpius; Bilem autem, vel pituitam vomunt sæpissimè: Juvenes autem, & puellæ septennes, vel circa ætatis annum tredecimum, quatuordecimum, octodecimum, vicesimum primum; circa quod tempus spermificare incipiunt, alios denique climactericos, hoc affectu sanguinis vexantur; Non omnia quidem individua, sed multa. In tempus autem Climactericum annale, mẽstruum, aut hebdomadarium, incidens affectus hic; in quo cæperit in eo communissimè terminatur. Extra Climactericos exortus; lentius serpit & diutius durat, per intervalla recrudescens & remittens: præsertim in sexu fœminino. Qui autem sanguinem incipiunt vomere cum novilunio, illi ultra plenilunium ab eo non vexantur; Lunâ decrescente & ille mitigari solet; remanente

*Spermificationis tempus est utrique sexui maximè periculosum.*

nente ſola purulentorum, vel ſputi ſpumoſioris excretione, ita ut patientes putent, ſe ex integro convaluiſſe, Medicamentorum vel Naturæ beneficio. Sed communiter fruſtrantur longo ſucceſſu illius bonæ ſpei. Nam ingruente Novilunio altero, vel diebus ei proximis, recrudeſcit malum, quod nũquam rediturum ſperabant aliquandiu; atque talibus intervallis reciprocationem ſuam continuat per menſes aliquot ad finem usque patientis, qui plerumq; doloroſus admodum & crudelis eſſe ſolet, quia patientes ſanguine & carnibus ſpoliat, & vivos quaſi excarnificat, ut ſceleta mera ſint, qui prius etiam fuerunt obeſiores. Tamen ſub finem nulla cruenta, ſed ſola purulenta, excreant patientes; Ultimò nec hæc exſcreare poſſunt, ſed ab eis difficultate reſpirationis vexati aliquandiu, tandem omninò ſuffocantur. Qui itaque ſecare venam vel arteriam voluerit in affectu hæmaptoico; id agat, vel fieri conſulat Luna decreſcente potius quàm creſcente; Anno ſecundo

*Hæmaptoiſis recidiva.*

*Vena quando ſecanda.*

vel

vel tertio post Climactericum, vel ante; non autem in ipso climacterico; Nisi aliud dictarit prudentiæ Medici necessitas. Non enim dominari naturæ velle debet Medicus, sed servire in talibus casibus; Citius natura ipsi quàm ille naturæ prævalebit; Nec etiam hæc hîc dicto, ordinationem fatorum prohibere vel mutare volendi animo; sed saltem humanitùs considerando ea, quæ sanâ ratione & bonâ conscientiâ defendi possunt & volunt, adq; diminutionem dolorum, si non ad eorum abolitionem conducunt. Nullos quidem motus causatur Luna in sanguine, aut Sol, vel alius aliquis planeta, suâ influentiâ; sed inferiora omnia peculiarem suum motorem habent, intùs in ipsis quidem, sed occultiorem quàm ut sine externis indiciis ejus quietis & motus tempora agnosci possint; præsertim à distantibus; Non possunt sciri tempora reciprocationis æstus maris, nisi ex Luna, quamvis sint continua; ita vaporum & humorum in nostro corpore. Sanguinis arteriosi portio major quoad vasa, tanta non

*Medicus nõ Dominus Naturæ est, sed servus.*

*Sanguis venosus gravior arterioso.* non eſt, quoad pondus, quanta eſt portio ſanguinis venoſi, etiam minor: Quia ille eſt vaporoſus magis; ſive inter ſpiritus & humores mediæ conſiſtentiæ; Hic autem craſſior, mox in carnem & oſſa, vel humores alios, eo ſolidiores deſiturus. Ideò ſanguinis arterioſi tanta quãtitas detrahi non debet, quoad pondus quanta venoſi. Tamen plus ſentient allevamenti, patientes, detracta hujus minori quantitate, quàm illius majori. Quod ætatem morbi attinet; illa etiam geminam requirit conſiderationem; aliam ejus motum; aliam quietem concernentem; Sanguinis enim eruptio eſt intervallaris; nec etiam æquè multus ſemper erumpit dum erumpit. Vidimus ejus uno, eoq; ſubitò impetu plus quàm quartarium unum erupiſſe; moxquè iterum ſubſediſſe; Altero die iterum rediiſſe ſed non in pari quantitate, quamvis cum æquali impetu. Quamvis autem hæmaptoici interdum aliqui liberi ſint omninò ab ej⁹ moleſtia, ita ut nihil cruenti, etiam nihil purulenti quandoq; excernant; tamen nunquam ſunt à recidi-

cidivæ periculo tuti; nisi omninò immutaverint animos, sive affectibus antiquis omninò renunciaverint. Nec semper etiam est æqualis impetus vaporum in sanguine latentium; sed jam languidior, jam fortior, jam versus superiora magis, jam versus inferiora faciens impetum; jam sanguinem saltem ex vasis ejus propellit; jam eum foràs usquè comitatur; sive sic variant vapores in sanguine, sicuti aquæ in mari; Lumen in Luna, medullæ in ossibus, aut conchylia in aquis. Si itaq; phlebotomandum esse, bonum vel utile judicaverit Medicus; necessè est ut id fiat sanguine à fortiori motu quiescente; sive in morbi silentio non autem in paroxysmo. Si videlicet malum propriè nascatur ex humoribus; Si verò ex spiritibus? Tum inutilis erit omnis ars ejusq; & consilium & subsidium. Ex mineralibus autem & metallicis corporeitatibus violentissimi oriuntur vapores, & periculosissimi sanguinis fluxus: Quia ut ita loquar, atomus unus corporeitatis mineralis ditior est tincturarum materialium,

*Vaporum impetus non semper æqualis.*

*Hæmorrhagia desperata.*

lium, quam vel uncia una, vel integra libra tincturæ corporeitatis vegetabilis. Si vapores arteriosi versus fontes suos regurgitaverint, scilicet versus nervos; tunc in sensibus potius dolor est, nullum autem alicujus noxæ in parte affecta indicium externum. Si autem in emunctoria sanguinis arteriosi impetum fecerint, tum sanguinem ipsum simul rapiunt, vel propellunt. Si autem versus venas magis inclinaverint; tum in sanguine venoso magnas excitant turbas; & eum vel ex venis propellunt, vel in vasis ejus exagitant variis vagabundis nubibus quasi vel nubeculis, donec vel sanguinis arteriosi impetus in venosum mitigati & frænati fuerint, vel huj⁹ portio ab illo inquinata, aut naturæ aut artis molimine, extra corpus pulsa fuerit: Frequentius autem aliquid ex arteriis in venas prolabitur; quàm ex venis in arterias regurgitat, quamvis & id fieri possit, vel sæpè fiat. Humores autem venosi & excrementitii, in intestina semel prolapsi, exinde in venas ex quibus effluxerunt, regurgitare non possunt, sed

*Regurgitatio humorũ & vaporum varia.*

ſed ſi interdum aliqua eorum ebullitio fortior in inteſtinis contingat, tum in ventriculum aſcendunt, & per œſophagum excernuntur; vel ad monoculum violentiori impetu feruntur; vel in inteſtinis inferioribus furiūt eouſq; quouſq; excludantur. Illinc cardialgiæ & Lypothimiæ, hinc iliacæ & colicæ paſſiones, aliaq; alvi tormenta naſcuntur. Quod ſi verò Medicus phlebotomiam, præſertim arteriarum conſulere nolit, ob certas rationes; Vel quod utrinque detrectaverit patiens; Tum alio, ſi non utiliori tamen ſecuriori modo occurrēdum eſt ſanguinis eruptioni, vel cruentæ & purulentæ excretioni. Semper tamen accelerandum quod intendimus, moras enim ne breviſſimas quidem patitur hæmorrhagiæ hæc ſpecies. Extrinſecus adhibendæ ſunt ventoſæ, patientis dorſo & nuchæ; hæ enim vaporum frænant violentiam, & eos ab arteriis arcent, quamvis non diu, ita ut eis ad abolendum morbum uti poſſimus. Non audemus quidem ſecare arteriam in ſanguinis vomitu; attamen in quibuſdam

*Phlebotomia poteſt ſubſtitui ſcarificatio, aut ventoſa.*

dam febribus audemus; Periculosum id quidem esse fateor; sed nescio unde majus periculum immineat ægro an ab affectu hæmaptoico, an à sectione arteriæ. Vomitio sanguinis sponte nata nulla, vel rara est sine periculo; sed arteria secta est sæpè cum magno patientis commodo; si non eâ intentione; tamen casu. Igitur hoc cujusque Medici prudentiæ committendum est. Amuletum quoque ex plumbi lamina, dorso admotum; vel lagenula plumbea argento vivo plena sed platiformis; in hoc affectu multum habet commodi, si extrinsecus appendatur; Ita & alia plura quæ singularem vim refrigerandi habere creduntur. Ita noxia sunt omnia quæ affectus turbant; & quæ humores in vapores resolvunt; Talia sunt Ira, Venus, Vina. Quamvis verò sanguinis vomitus non oriatur à calore aliquo sensibili; tamen ut plurimum calorem sensibilem comitem habet; & hæmaptoici uti extremum calorem, ita & extremum frigus declinant. Sanguinis motor omninò occultus est, nam est omni

*Calida nimis ita & frigida Hæmaptoicis noxia.*

mni sensibili calore prior. Sensibili tamen calore, qui comes est hæmaptoisis, aliquantulum mitigato, quamvis non omninò sublato, quietiora quoq; fiunt intùs in corpore omnia. Quæ autem immediatè ex seminalium spirituum occultis centris erumpunt, qualia pleraquè sunt si non omnia, in sanguine utroque; Illa, quia ars eorum conscia non est, ab arte nec impediri possunt nec aboleri, ita ut sensibilia nō fiant, vel esse cessent. Medicus enim præsertim Empiricus, tantum circa sensibilia versatur; Imò & Ecclesia, mysteriorum custos, uti de ea commune sonat proverbium, occulta non judicat; Tales autem sunt affectus nostri, nobiscum nati, vel nobis innati; quos occultare potius & excusare, quàm fateri & accusare studemus, quamvis exequi amemus, si non palàm, clam tamen; multi enim eorum ita turpes sunt, ut & nos ipsos eorum pudeat, imò & pœniteat post factum. Affectus autem omnes, carni volupes, sunt ipsissimæ morborum causæ; & quamvis exordium eorum fiat à vo-

*Occultis morbis ars mederi nequit, quia eorum causas ignorat.*

luptate, rarò tamen, imò nunquam sine dolore desinunt. Quia igitur in hæmaptoicis singularis est affectuum excessus, quorum tamen Medici conscii non sunt, sed patientes ipsi sunt: Ideò quisq; ægrorum optimè suæ posset consulere valetudini, si saltem ipsi cognitis & noxiis effectibus frænum imponere, vel eos sub regulam legis divinæ reducere vellet: sed syncerè; quamvis non posset ex voto; tamen sibi ipsi plus prodesset, quàm ei Medicus per excellentissima quæque: Nos verò nitimur in vetitum cuncti, cupimusquè negata; vel facilius obtemperamus Medico diætam nobis servare gravem sine ratione imperanti; quàm Deo nobis benè volenti, & affectuum nostrorum hosti, ob eosq; nos fastidienti & omnibus malis exponenti. Qui verò dolores aut morbi, ex sensibilibus humoribus, vel excrementis solidioribus, principium suum trahunt, illos & præoccupare & abolere scit & potest prudens Medicus, centri eorum quietis conscius; æquè ac patiens motus Ubi; Qui enim Medicus novit

*Hæmaptoici extremis affectibus sunt obnoxii.*

*Affectus moderari in Hæmaptoisi optimum remedium.*

vit locum febrilis seminarii extra tempus paroxysmi; ille novit artem & modum id auferendi, citra omnem molestiam patientis; si saltem ei rebelles hi non fuerint. Ita œnopola fermentationem vini ei damnosam futuram præoccupat, ejus ab amurca detractione, vel transvasatione. Amurca enim, vel tartarum in vase cum vino remanens, novæ fermentationis ejus quotannis author est. Sunt quædam dæmonia, inquit Salvator, sive morbi & morborum causæ, quæ jejuniis & præcibus pelli, vel curari debent sine remediis; Ita etiam quædam sunt, quæ suffitibus cedunt & aliis sensibilibus mediis. Optimum itaque est & pro ægris, & pro sanis, ut suos affectus pro viribus frænent, qui nemini alii cogniti sunt, præter Deum & eos; imò quos nulli cognitos esse volunt. In cæteris vel merè naturalibus, liberius vivant, nam ille est optimus vivendi modus; Unde natum proverbium, quod malè vivat, qui Medicè vivit. Atque talis homo nullo egebit remedio, quàm eo quod satiare possit

*Morbi quidam solis præcibus & jejuniis sunt curabiles.*

*Diæta optima quæ.*

famis & sitis ejus desideria. Atq; in hoc sensu sunt audienda Scripturæ verba, quæ nobis omnia innoxia futura promittit, si Fidem habuerimus: Nam Fidem habere, est fidei congrua velle, scire, facere. Immersiones manuum & pedum, factæ in frigidam, multo sale conditam, vel in lixivium ex cineribus faginis, quercinis, salicinis, &c. factum; multum ad humorum vel vaporum effrænationem compescendam conducunt. Ideò omnibus hæmorrhagiam patientibus sunt utiles, & valdè proficuæ; præsertim si fiant à mox dormitum ituris, per horæ ad minimum quadrantem. Qui verò sibi metuunt à subita mutatione, & frigidæ pedes suos immergere horrent; vel pedes paulatim aspergant eà, citius quam eos frigidæ imerserint; vel si volunt, possunt frigus illud candente lapide, vel ferro aquæ immerso temperare; sed tamen summè notandum est, ut nempe calor nunquam prædominetur sapori; Nec etiam lixivium valde acre sit, ut ab eo cutis lædatur; attamen aliquantò fortius, quam si eo caput

*Pedum lotio utilis in Hæmoptoisi.*

put lavare vellemus. Talis pedum lotio, præsertim si ungues sæpè resecentur, ut fæcum sanguinis graviorum excrescentiæ, si eam per multos dies continuaverint, multum eis proderit. Ablutio quoque faciei frequens aquis Sperniolæ, Portulacæ, Endiviæ, Sempervivi, Bursæ pastoris, Rosarum; vel Epithemata ex refrigerantibus & actu frigidis composita, nuchæ & dorso ab una parte, ab altera cordis regioni applicata, non modicum afferunt allevamenti ægris à vaporibus, vel humoribus ebullientibus gravatis. Talia autem remedia profundius non penetrant sua virtute quàm ad humores vel vapores actu sensibiles; ad centra seminalium rationum nulla sensibilia pertingunt; nisi intus porrecta, & ita præparata, ut corpus ingressa subitò in vapores spiritibus affines resolvi, atque cum illis conjungi possint. Patientis fides, & imaginatio exaltata optimum est & efficacissimum vehiculum virtutum medicinalium ad partes affectas, & semina partes affectas inquinantia suo contagio. Hanc artem,

*Ablutio faciei frequēs.*

*Imaginationis utilitas.*

 exal-

exaltandæ imaginationis, docuit & exercuit Christus ejusq; Apostoli, nosq; Christiani aut scire, aut discere velle debemus, ex requisito pacti inter nos & Deum stabiliti. Promisit enim Dominus se nobis ea largiturum gratis, ob quæ ille mundo fuit admirabilis, & Prophetæ omnes ante ipsum. Quia autem nos mortales, non ita in Dei quàm in mundi propendemus amorem; ideò nostri curam Deus quoque non gerit, quia nos eum non curamus, vel si id facimus, verbis saltem facimus, sed re ipsâ abominamur. Purgantia in hoc affectu, nulla tuta sunt, sed periculosa omnia; & ea, quæ leniendi saltem virtutem habent, ut Manna, Cassia, Rhabarbarum, &c. quamvis hoc sputo cruento, & sanguini undecunque erumpenti, præcipuè assum, & ex succo plantaginis haustum à doctissimis Medicis recommendetur. Nullum enim, Purgans dictum, ita lenè est, quod non habeat virtutem in humores eos subtilisandi, vel in vapores attollendi, sive quiescentia ad motum irritandi & cogendi. In hoc affe-

*Purgantia in Hæmaptoisi nulla utilia.*

affectu autem, non dissipandis humoribus, sed contrahendis & his & vaporibus summè studendum est. Nisi autem fluat alvus ordinariò, & hinc quoque affectum hunc acui vel augeri putemus; atque eam ad fluxum proritare cogitamus? Tum suppositorio, si intestina plena sunt stercorum; vel Clystere, si exinanita anum movebimus. Si verò simplex obstructio emunctoriorum venarum quarumcunque, sit causa vomitus sanguinis, regurgitantibus scilicet vaporibus, ex sanguine venoso in arteriosum; quod sæpè fit; & à lapsu, vel ictu externo vehementiori fieri potest, aut ab aliquo cibi vel potus genere inconsueto. Talium casuum est alia ratio. Nam sanguinis eruptio per fauces illinc causata, solius purgantis beneficio supprimitur; ideò non est differenda, sed acceleranda; & si opus, sæpiùs repetenda. Consolidantium verò, adstringentium, glutinantium, &c. nulla est in sanguinis vomitu vel exscreatione compescenda utilitas: quia nullum vitium est præsens, cui talia remedia pro-

*Clystere mollienda alvus.*

*Consolidantium hic nulla utilitas.*

desse possint; scilicet nullum vulnus, nullum ulcus, vel apostema, aut abrosio, & continui solutio. Styptica autem, vel quæ orificia emunctoriorum hiantia contrahunt, omninò vitanda sunt; Nam compresso aliquo vase, in quo aut humores fortiùs ebulliunt, vel vapores furiunt, non causatur eorum quies, sed irritatur violentia, ita ut patientem in periculum certissimæ suffocationis præcipitent, nisi ipsis liber pateat exitus: præsertim si humor à spiritu seminali aliquo inquietetur, in lucem ex tenebris erumpere volente; aut à fatis coacto. Si aliqua medicamenta intrinsecus exhiberi debent Hæmaptoicis, ad compescendam eorum Hæmorrhagiam; Talia sola sunt Anodyna; quæ non saltem animales affectus sopiunt, sed & humorum & vaporum violentiam frænant, quamvis non aboleant omninò; nec emunctoria adstringunt. Postquam Anodyni medicamenti virtus evanuerit? tum recurrunt vapores & humores ad priorem motum; imò interdum fortius moventur post, quàm unquam antea.

*Styptica hæmaptoicis noxia.*

*Anodyna hæmaptoicis utilia.*

tea. Tamen hæmaptoico profuturus Medicus, Syrupum Papaveris Rheados; vel de Papavere, vel Laudanum opiatum, cujus variæ ſunt compoſitiones, aliæ aliis rationi conformiores; vel Opium ipſum ad manus habere debet, eo tum intrà, tum extrà uſurus. Studioſis autem Medicinæ ſuaſerim, ut ipſis caveant ab exhibitione Opiatorum ægris; nam facilè hîc erratur, non ſaltem in doſi; ſed & in exhibitionis juſtæ requiſito tempore; præſertim ſi quis totus à ſcholaſticis pendere velit Curationis Regulis; ipſe autem intellectu & prudentiâ deſtituatur. Si anodynis diaphoretica interdum, vel diuretica permiſcuerimus, non peccabimus; ſervatâ tamen debitâ proportione inter virtutem Anodyni & Diaphoretici, hoc enim ſemper illi prævalere debet. Quantum enim ſudori vel urinæ acceſſerit, tantum decedit humoris vel vaporis effervescentis violentiæ. Interdum hæmaptoicis in ipſo ſanguinis vomitu, & ſudor, & urina involuntariò erumpit, vel alterutrum. Mihi in uſu quotidiano, ad

*Medicinæ Studioſi caveant ſibi ab uſu opii.*

compeſcendam omnem vaporum & humorum inquietudinem, eſt Syrupus de Papavere, vel Theriaca aut ejus Extractum, alia deniq; anodyna vulgaria; Rob ſambuci permiſta; aut Reſinæ Ligni Guajaci, aut Elix. PP. aliquantulo Confectionis Alkermes, aut de Hyacintho, admiſto. Atque his medicamentis mutatis mutandis, pro diverſitate ſex⁹, ætatis, affectus, ſemper cum Deo feliciter uſus ſum. In omnibus enim morbis eſt affectuum, vaporum, humorum, ingens turbatio; In hæmaptoicis autem affectuum magna violentia; ſive aut iræ, aut invidiæ, aut libidinis, aut timoris, aut triſtitiæ, ingens exceſſus. Quamvis autem affectus occultari intus poſſint, ita ut eorum vehementiæ nulla extrinſecus appareant indicia; vel quæ extrinſecus videntur, omninò contrarium quid ſimulent quàm interni ſunt affectus; Tamen omnes hæmaptoici aliquo ſingulari affectu præditi ſunt, eoq; ferventiori in morbo, quàm donec adhuc benè valuiſſent. Multos hæmaptoicos defatigari ſæpè Venere vidi, ſive laſcivis

*Hæmaptoici in aliquo affectu excellunt.*

ſcivis

scivis potius cogitationibus, quàm factis; Et quamvis hæmaptoici ipsi sentiant affectus eorum eis nocere, tamen post brevem pœnitentiam redeunt ad furorem; Ita ut nesciam, an mortem talium patientum imputare debeam excessui dolorum potius quàm voluptatatum. Hæmaptoicis, quoad affectuum vehementiam, proximè affines sunt Epileptici. Ideò judico quod ad compescendum sanguinis eruptionem, nullum sit remedium efficacius, quàm moderatio affectuum, vel vehementium mortificatio, & in mitiores mutatio, vel in contrarios; Iræ, Venerisque fuga; famisque & sitis frequens, voluntaria tamen, non coacta perpessio; sive abstinentia ab omni & ciborum & potuum usu, quos voluptas & consuetudo dictat, non autem necessitas exigit; Qui itaque patiens suis affectibus dominari sciverit; ille ab hæmaptoisi non periclitabitur; si vero ex improviso ab aliquo obrutus fuerit, tamen se ocyus iterum recollegerit, ab ejus noxiis innoxius evadet.

vadet. Si quis est morbus cujus augmenta & decrementa, ab affectibus intrinsecis pendent; hæmaptoisis est. Tempore æstivo, in fluviis abluere corpus, præsertim autem in mari; multum affert levamenti hæmaptoicis; Si scilicet ab humoribus tantum mali eorum trahat origo; quamvis rarò hinc, frequentissimè autem ab affectibus ipsis aut spiritibus incipiat. Diæta in hoc affectu illa est optima quam sancivit Deus Judæis in lege Moysis; sive cavere sibi à ciborum multitudine, ab illis autem carnibus animalium maximè, piscium, avium, pecudum quibus nefas fuit vesci inter Judæos. Nam qui cibi inquinant animum affectibus lascivis; illi impprægnant quoquè corpus, sanguinem, carnem, humoribus pravis, malignis & venenatis. Multos hæmaptoicos restituit perfectæ valetudini res egena domi. Subitam enim mutationem diætæ ex lauta & opipera, in tenuem & miseram, subita quoquè sequitur vel comitatur affectuum mutatio; atquè per consequens humorum & vaporum, deniquè

*Quæ inquinant animum, inquinant sanguinem.*

niquè totius vitæ ſtatus. Quamdiu reſpiramus, eousq; communicant ſpiritus animales cum ſanguine, ſanguis cum carne, & vice verſâ. Reſpirationis enim actus non eſt arbitrarius, ſed fatalis; Ab anima originem trahit, non autem à ſanguine, vel à cibo & potu, in animum abit: Multi ſunt ægri qui longo temporis intervallo, nihil de cibo guſtant vel de potu, & tamen vivunt, tamen ſanguinei ſunt, quamvis marceſcat caro. Multos quoquè quandoque optimè valentes invadit extraordinarium hujus vel illius cibi aut potus deſiderium; quod illi pro ſigno optimæ valetudinis habent; cum tamen potius ſit morbi mox imminentis certiſſimus prodromus; vel jam actu præſentis; indicium, abſente tamen doloris adhuc ſenſu. Niſi labori, chartæ, tempori parcerem, multa exempla narrarem talium caſuum. Quod autem ego nullas certas formulas medicamentorum, vel Receptas hic appoſuerim aliorum practicorum more; & multorum commodo; Id ſponte feci; ne acta agerem, & falla-

*Extraordinarius appetitus eſt morbi index.*

fallacibus experimentis à scrutinio causarum avocarem Medicinæ studiosos. Multa jam prostant ubique locorum in pharmacopoliis & simplicia & composita medicamenta, compescendo sanguini à Medicis communiter dicata; *ita ut* plurimis non indigeamus; Imò nec tot quot abundamus; Nihil deest in rebus; sed Medicis desunt omnia ad officii eorum legitimationem requisita. Si Medici prudentius tractassent & tractarent sua, vel ea quæ eorum sunt commissa officio & fidei; Tum revera præservassent & præservarent Medicam scientiam à prophanatione; seque ipsos à vulgi contemptu; nec tot essent medicastrorum & circumforaneorum agmina, quot hodie ubique terrarum vagantur, cum magna & ægrorum & artis injuria. Si prudentiæ potius quam pecuniæ haberent rationem, quibus data est à Magistratu authoritas super Medicinæ candidatos, revera pauciores hodie essent Medicinæ Practici; vel si multi, prudentiores tamen. Sed Philautia, superbia & avaritia Medicinæ, Doctorum, pepe-

*Circumforanei unde.*

peperit & parit in contumeliam artis circumforaneos: vel tales Medicastros qui putant totam medendi rationem fundari in experimentis, vel in applausu vulgi, & pharmacopolarum. Multi hodie Medicorum vocantur Philosophi, in quibus tamen omnia desunt Philosophiæ requisita; & qui adeò rudes sunt in philosophandi opere, ut eos ne sophistæ quidem ipsis adnumerari paterentur. Non sapientiæ mundus & ætas nostra tantam habet rationem, quãtam pecuniæ. Invaluit autem error ille per orbem integrum, atquè ita firmiter animos hominum sibi subjugavit, ut eum omninò eradicare sit impossibile. Ego quoquè hunc laborem meum non sophistis, non medicastris, empiricis, & circumforaneis, sed ipsis tantum Philosophis & Medicis ad censuram trado.

*Medici non omnes Philosophi.*



CAPUT

## CAPUT V.

### De Cura purulentæ Excreationis.

DIximus breviter ſed ſyncerè, in ſuperiori capite, à quibus cauſis & per quas vias fiat ſanguinis vomitus, quomodoque utriquè ſit occurrendum; Jam poſtulat ordo ut dicamus quoquè, unde & quomodo generetur humor ille purulentus quem excreant aliquantò poſt, qui ſanguinem vomebant aut ſcreabant aliquandiu prius; & quomodo huic affectui ſit ſuccurrendum, ſine periculo vitæ patientis; noſtræque tum famæ tum conſcientiæ offendiculo; Ne ſcilicet erremus in objecto, exiſtimantes de humore cruento vel purulento, quem excernunt illi quos hæmaptoicos dicimus, eum eſſe vel fuiſſe parenchyma hepatis vel pulmonis; uti communiter id de eo ſentit vulgus; Hoc itaquè nos hic de eo aſſerimus contra communem; ſcilicet, quod ſanguinis qui vomitur; & humoris purulenti qui vomitum ſequitur, vel alterna-

*Sanguis eſt & quod vomũt, & quod exſcreãt hæmaptoici.*

terna-

ternatim cum eo reciprocatur, una eadem ſit ſubſtantia; ſive ſanguis eſt id quod ſub ſanguinis nomine & forma per fauces erumpit; ſanguis quoquè fuit quod purulentum excernitur, aliquatenus ſaltem, vel omninò ſanguini diſſimile, vel ab eo formâ & ſignaturis externis diſſidens; Ideò alias curationis vel medendi cautelas, & prudentiam in Medico, alia quoquè medicamenta exigit, cura hujus & illius affectus moleſtiæ. Nam purulentus humor ut expellatur conducit; verùm ſanguinis vomitum ſupprimere videtur eſſe utilius. Id quod cogit ſanguinē erumpere per fauces, ducit vel comitatur eum per ductus aſperæ arteriæ; à loco eo ex quo erumpit, quod eſt vas ejus nativum & genuinum, ſive ſit vena ſive arteria, per canales omninò exſangues: Sed non ſemper eum ita longè inde propellit, ſcilicet ad fauces usque; vel non integram quantitatem ex arteriis elapſi ad fauces cogit, ſed portionem ejus aliquam minorem vel majorem, in ipſis cordis ventriculis relinquit; quæ excluſa à Com-

 munio-

*Purulentus Hæmaptoicorum ſputum undè.* munione Spiritus ſanguinem in vaſis ejus nativis exagitantis, putredini fit obnoxia; atq; ideo patienti in loco quietis valdè oneroſa, commoditatem reſpirationis ordinariæ moleſtans, & quãdoque eam omninò intercipiens, niſi tuſſi vehementiori ex loco quietis ſuæ propellatur,& per canales per quos ſanguis prius fluxit, totaliter ejiciatur. Si enim vapores externi cum vaporibus ſanguinis internis congredientes æquales ſunt, ita ut hi non plus propellant ſimul & ſemel quàm illi evehere poſſint retrocedentes, tum nullus ſanguis eſt, qui per vel ad canales reſpirationis erumpit, ſed vaporoſæ ſaltem fuligines, atque illæ quoque nudæ per fauces vel nares exſpirant. Dum autem vapores ſanguinis in vaſis ejus copioſiores & vehementiores ſunt, quàm eis extrinſecè occurrentes, tum prædominantes largiùs ſolito emergunt, ſecumq; aliquid ſanguinis rapiunt,ſive parum ſive multum,& pro varietate vehementiæ vaporum in ſanguine furentium, portionem ſanguinis ex vaſis ſanguineis egreſſam,

vel

vel longius à corde, vel in ejus ventriculis relinquunt, in quibus ordinariò purus putus aër hoſpitatur, qualis in veſica piſcium ad oculum apparet; quæ illic hærens putreſcit, & inde non per diabroſin, ſed per anaſtomoſin internorum reſpirationis orificiorum à ſuccedentibus vaporibus, non ſine moleſtiâ, & tuſſi vehementiori ulterius progredi urgetur, donec omninò per fauces exeat. Neceſſario enim in corde talis dari debet cavitas, in quâ vaporum, externorum & internorum, fiat tum concurſus tum hiatus, à quo ſyſtole & diaſtole ortum trahit & diſcrimen; Secus enim non poſſet ſervari in & exſpirationis intervallum, vel æqualitas, niſi hiatus aliquis eſſet, qui vapores à ſanguine ſegregaret, in mutuo eorum concurſu, atque utroſque à ſanguinis ſubſtantia; ſed vel hac vel illa juſto longius continuaret, vel brevius interrumperetur; cum tamen utriuſque ſit æquale intervallum. Humoris autem ſanguinei, etiam minima portio, ex vaſis ſuis naturalibus elapſa, & in canales reſpirationis

*In corde aër haret intermedius.*

prolapſa, impedimento eſt ordinariæ reſpirationi; ſuamq; præſentiam, illic ubi eſt, vel tuſſiculâ, vel tuſſi, vel difficultate reſpirationis, vel alicujus peregrini humoris excreatione, ſive ſit ſanguineus, ſive cruentus, ſive purulentus, tenax aut lubricus, indicat; Niſi ita copioſus ſit & gravis, ut ſubito exanimet patientem, canales reſpirationis à ſupra obſtruendo, quales ſunt humores illi, quos catarrhos ſuffocativos nominamus; vel ab infra ad fauces aſcendendo; Sanguinis vomitum, vel cruentam exſcreationem compeſcendam eſſe ocyus, ſentiunt Medici omnes; Et illi qui eam per diabroſin vaſorum ſanguineorum, & illi qui per anaſtomoſin eorum fieri exiſtimant. Purulenti autem humoris excreationem non ſupprimendam, ſed promovendam bechicis & expectorantibus, ſi tardior ſit, docent; Sive purulentum eum humorem ex vomica pulmonum naſci, ſive ex ventriculis cerebri ad fauces & profunditates pectoris prolabi; ſive ex ſanguine è vaſis ejus nativis egreſſo, oriri ſentiant: Omnes tamen

*Sanguis è ſüis vaſis elapſus, occultus non manet.*

*Purulenta ocyus evacuari debent.*

tamen eum ex pectoris cavo expellendum ocyus judicant. Alii itaque in hoc affectu curando pulmonis læsi habent rationem; alii nullâ pulmonis habitâ ratione, humorem canalibus respirationis infarctum inde simpliciter educendum consulunt. Non ideò quidem quod pulmonem exulcerari posse non judicent; sed quod sciant impossibile esse, ut patiens læso vel perforato respirationis canali superstes adeò diu manere possit, sicuti vivunt, qui purulenta exscreant, quæ non solum ex vomica, sed ex ipsissima sanguinis substantia generari putat vulgus. Sanguis humor est indifferenter ad diffluxum ac confluxum pronus, sicuti talia sunt humida & gravia omnia; Tamen à seipso in venis contentus vel arteriis, nec diffluit nec confluit; sed vel anima subjecti est, quæ ejus motus internos moderatur; vel seminales rationes massæ ejus inhærentes; Quæ quo vergant potius, an ad con- an ad diffluxum magis, certis gradibus calorum & frigorum se produnt; ita & per humiditatis vel siccitatis, mollitiei

*Trachaa læsa patiens superstes manere nequit.*

*Indicia motus sanguinis.*

liciei aut soliditatis differentias, quantum distent à quietis suæ centro, aut ei sint propiores. Quousq; anima sui corporis architectus, & absolutum imperium vel dominium exercet super corpus ejusque contenta; tum nihil peregrini sentitur in republica corporis, sed quieta, sive insensibilia manent intus in nobis omnia; In nervis, in arteriis, in venis, in intestinis, membrisq; omnibus & singulis; sive suæ animæ congrua. Quia autem in sanguine hospitantur spiritus seminales varii & multi, qui collati cum spiritu carnis, vel individui anima materialiter se habent, & serviliter; ideò his in lucem è sanguinis chao erumpentibus varii hic & illic sentiuntur per intervalla calorum, frigorumq; gradus, huic vel illi sensui externo vel interno molestiores; quia nempe spiritus serviles sua officia nativa relinquunt, & dominium exercere affectant, vel actu exercent, vel à fatis, vel à nobis ipsis justo plus luxuriantibus. Donec spiritus hominis propriè dictus, manet in consortio communionis cum Deo; tum

*In sanguine hospitantur spiritus varii.*

omnia

omnia ejus desideria, cognitiones & virtutes ordinem servant, ipsiq; obediunt. Sed illo à communione divinæ naturæ divulso; tum turbantur in corporis ejus Republica omnia, & desideria, & cognitiones, & virtutes, & vapores, & humores, & carnes, & ossa. Illius autem mutationis prima indicia intus in imaginatione nascuntur; mox per vapores humoribus, atq; per hos ultimò membris communicantur; per varias ulcerum, tumorum, apostematum, phlegmonũ, exanthematum, excrescentiarum formas. Sanguis in venis suis contentus non putrescit, quamvis saporum, odorum, colorum, calorum, frigorum omnis generis capax sit; semper enim sibi similis manet; Sed extra venas, sive in carnes prolapsus, continuò fit putrefactioni obnoxius. Virtutes in nobis non mutantur, nisi mutatis cognitionibus; Cognitiones quoque non multiplicantur, nisi auctis concupiscentiis; Concupiscentiæ autem tum ab intra, tum ab extra augmentum capiunt; tum ab externis sensuum objectis; tum ab inter-

*Prima indicia lapsus hominis; i imaginatione sunt.*

internis ſeminalibus impreſſionibus, tum fatalibus,tum noſtris arbitrariis,ex tenebris in lucem prodire affectantibus. Igitur ex indiciis vel ſignaturis internarum imaginum innoteſcunt cuiq; noſtrum ſpiritus nobiſcum communicantes, vel communicare affectantes; an ſcilicet ſint ex ordinibus excelſis, aut inferis; an nobis imperare aut ſervire debeant. Impetus Spirituum Excelſorum elevant mentes noſtras ad ſe, & abſtrahunt ab externis; atque inde ſunt vel ecſtaſes,vel divinorum viſiones & auditiones; Solus enim ſpiritus humanus rapitur eo, ſine externorum ſenſuum & ſenſoriorum comitatu. Sed ab inferis, ipſa quoque membra exteriora infeſtantur, & trahuntur ad ordines nobis inferiores; Qui quoniam invicem ſuperioritate quoque & inferiotate diſcrepant; ideò noſtros quoque ſenſus & ſenſoria variè exercent. Humanus ſpirtus à communione cœli omninò excluſus; Animalis quoq; ſaltem eſt; Tamen in communione mundi ſenſibilis relinquitur; atque ex hujus varietate felicior

cior vel miſerior eſſe judicarur, vivacior aut morboſior. Donec autem cum terra communicat ille qui ſpiritualis eſt; tum eſt inter eum & mundum hunc reciprocum commercium & amicum & inimicum, ſive dominium & ſervitus; jam humano ſpiritu, jam mundano vel dominante vel ſerviente: ſed de his alibi egimus. Quia autem non unius tantum ordinis ſunt ſpiritus terreſtres, cum homine unum corpus incolentes, ſed varii, alii animales, alii vegetabiles, minerales, metallici, aſtrales, meteorici; hi quoque invicem diſſidentes, ſpeciebus, gradibus Concupiſcentiarum, cognitionū, virtutum. Ideò fit, quod non ſemper ex avaris avari, vel ebrioſis ebrioſi, ingenioſis ingenioſi naſcuntur liberi, ſed ſæpè ex virtuoſis flagitioſi, vel ex his virtuoſi, quoad naturalia: Tamen utrinq; ſunt animales vel naturales; omnes æqualiter boni & mali, ac talia dicuntur eſſe animalia; Non melior enim eſt ſimplicitas ovis quàm ferocia lupi; vel columbæ, ſimplicitas, quàm vulpis & ſerpentis aſtutia: Quam-

vis autem naturalia quædam per consuetudinem cum ſpiritualibus, capacia ſint ſpiritualium; ſicuti animalia humanorum; tamen eſt impoſſibile ut eorum adnumerentur ordini; vel ipſis ſine hiatu connectantur; ſolus humanus ſpiritus id habet privilegii; qui nempe ſe ab inferiorum communione divellere affectaverit. Dum ſanguis itaquè arterioſus aut venoſus impreſſiones aliquas ſentit, aliis admirabiles, ob concupiſcentiarum, cognitionum, vel virtutum eminentiam; tum ille affectus non ex ſpiritu cœleſti in eum derivatur, ſed aliquo inferiorum: Superioris, medii, vel infimi ordinis. Si enim eſt poſſibile, ut integra Legio dæmoniorum obſideat hominem; ultra menſuram ordinariam; quare non poſſint tot & plures ſpiritus inhabitare unum corpus, unum ſanguinem, unum membrum, ejus conſtitutioni congrui, & conformes; quamvis ſinguli diverſa velint, ſciant, poſſint, interdum & per intervalla. Dum ſanguis occupat vaſa, non niſi in & exſpirationi continuandæ deſti-

*Spiritus plures quam unus in Sanguine.*

destinata, ideòquè omninò exsanguia, & vaporibus solis ordinariò pervia? Tum facile conjicere possumus à quo principio, & è quo loco, sanguis ille qui in canalibus respirationis hæret, aut inde per fauces erumpit, derivetur; quod nempe id factum sit à spiritibus in sanguine hærentibus; idque eo cujus vasis contentum fuit citius quam erupisset; scilicet arteriosi; quia arteriæ sunt quorum orificia hiant versus canales respirationis, non autem venæ; Hæ verò versus intestina; unde autem procedat motus sanguinis arteriosi, inde liquet; quia hic pulsat; ille non; igitur diversum est eorum motus principium; nam si idem esset, æqualis quoquè esset amborum motus. Si autem idem; tum virtus arteriarum propior est virtuti spiritus, quàm venarum; quia horum sanguis tardius movetur quàm illorum. Ventus in exordio sui fortius spirat, quàm in medio aut fine; Ita globus ex bombarda, violentiâ pulveris nitrarii elisus. Sic & vapores vehementiores sunt spiritui, vel motus principio propiores

*Arteriosi motus non est ab eadem causâ à qua venosi.*

ores quàm qui sunt tardiores ; ideò fit quod arteriosi sanguinis motus etiam ordinarius, multò vehementior est sanguinis venosi motu, quia ille spiritui animali propior ; hic autem sensim in carnes desinit; Ideò quoquè vomitus sanguinis ita facile comprimi nequit, uti ejus per sedes ejectio ; Dum verò non purus & syncerus , sed aliquantum saltem cruentus ; aut omninò purulentus excernitur ? scimus quoquè unde illam labem contraxerit ? scilicet quod non in vasis suis nativis sed extra ea, in emunctoriis ; quia in eis aliquandiu hæsit, à communione spiritus exclusus. Non enim debet regurgitare in locum ex quo excessit, nec etiam potest; quia fortiores sunt vapores interni foràs erumpentes, quàm externi ad interiora pertingentes. Opus itaquè habet artis ope ut excerni ex corpore possit, quia vapor qui eum ex vasis ejus exclusit languidior est, post quàm prius ; quamvis interdum intendatur externi humoris occasione, ejus ordinariam exspirationem impediente. Virtus autem medicamenti

*Arteriosi Sanguinis motus quare fortior, quàm venosi.*

*Quare Sanguis regurgitare non possit in arterias ?*

camenti

camenti bechici,& expectorationem irritantis, debet esse conformis ponderi substantiæ humoris in canalibus respirationis hærentis; nam si violentior fuerit; proritabit vapores ex vasis sanguineis, qui secùm sanguinis aliquid rapient; si debilior! tum non liberabit patientem respirationis obstaculo, & suffocationis periculo. Ideò Græci vocant medicamenta purulentum humorem ex canalibus respirationis propellentia; Bechica sicuti ejus eruptionem supprimentia; Ischaima: ut per discrepantiam nominum, sciremus facere discrimen virtutum medicinalium. Anodynorum hîc nulla authoritas, nisi aliquot noctes insomnes transegissent ægri; atquè sic non morbi sed ægrorum majorem habeamus rationem. Purgantia per alvum, vel vomitiva, & blandiora & violentiora, identidem inutilia sunt; Nam ea quæ hærent in canalibus asperæ arteriæ, nec per œsophagum, nec per intestina, vel venas mesaraicas ex locis suis ad intestina evacuari possunt; sicuti id fieri sentimus, dum ex cerebro, vel ex arti-

*Purgantia inutilia in hoc affectu.*

ex articulis pedum humorem peccantem proritare volumus. Docent enim scholæ quod jecoris pars gibba, per urinas; pars cava, quemadmodum mesensenterium, pancreas, lien, ventriculus, omnes deniquè intestinorum affectus, per alvum expurgetur: Sui ipsarum oblitæ, quod venas mesaraicas alii officio destinaverint, non autem efferendis aliunde humoribus excrementitiis. Vapor humoris motor est, vel motus author propinquus. Vaporis autem motor, vel motus causa; Spiritus ipse est vel anima, per eum generationis sanguinis actum & deniquè carnis, ossiumque intendens. Nisi autem vapores ex arteriis continuò & ordinario spirantes, cum medicamento bechico conspiraverint, & impetum in humorem canalibus respirationis infarctum fecerint; Tum difficilis erit eorum per medicamenta bechica excussio vel egestio; atquè sic utrinque periclitabitur patiens scilicet & à bechico medicamento, & ab humore in canalibus respirationis hærente, & à vapore ex vasis sanguineis erum-

*Medicamēta congrua debent esse vaporibus sanguinis.*

rumpente & ab aëre extrinsecus hausto. Quod si verò ex tumultuante intùs sanguine, non soli vapores prosilierint, sed aliqua simul sanguinis portio; tum hæc purulentis humoribus succedet, atque eum quem hi reliquerunt occupabit locum; tumquè unum commodum, alterius incommodi generationem promovebit; atquè sic bechicis uti oportebit ægros quousque omnis respiratio abolita fuerit, sive ad mortem usque. Primus autem locus in quem procidit sanguis ex vasis arteriosis egressus, sunt duæ cordis concavitates, duabus auriculis munitæ; atquè in his locis fit congressus vaporum sibi mutuo intus occurrentium; nam sicuti horum vehementia terminatur extra fauces, ita illorum dum ventriculos cordis contingunt: Hique vapores sunt qui arteriarum in & detumescentiam moderantur sensibiliter. Medicamentum autem, ad excretionem purulentorum humorum ex canalibus respirationis conducens, aut insipidum omninò ut sit oportet; aut dulce tantum; aut aliquan-

*Ventriculi cordis sunt receptacula Sanguinis Hæmaptoicorum.*

quantulum amaritudinis permiſtæ habens; Qualia ſunt, Glicirrhiza, ejus lignum, radix, ſuccus: Polypodium quercinum; Mel, Saccarum; pini nuclei, ficus; ſiliquæ, cepæ, porrum, allium, ſcylla; & plura alia; quorum ſapor eſt ſaturninus, vel ſapori plumbi ſimilis; nam hæc uti humectandi & emolliendi ita quoquè vapores compeſcendi ſingulares virtutes habent; pro varietate præparationis variantes, & pro prudentia Medici in certas redacta formulas. Simplicia autem in hoc affectu ſunt utiliſſima, & compoſitis præferenda; Quod ſi verò vel affectus, vel conditio patientis aut morbi, aliquam plurium miſtionem exigat; Ea neceſsè eſt ut ex pauciſſimis conſtet; Liquida vel leni calore aut humore liqueſcentia, conducunt maximè ad promovendum humorum in ventriculis cordis putreſcentium, aut putridorum excretionem. Libera reſpiratio eſt procuranda hoc affectu obnoxiis; quantum eam ars humana efficere ſcit aut poteſt; hæc enim in hæmaptoicis, obſtructis vel leviſſimo humo-

*Simplicia medicamēta Hæmaptoicis utiliſſima.*

humore in & exspirationis meatibus, molesta admodum & difficilis esse solet; ita ut in periculo suffocationis sint indesinenter hæmaptoici, maximè à sumpto cibo; nisi tussis violentioris molestia, aut cibi potusq; per vomitum ejectio, eos eo periculo liberet; ad tempus tamen tantum; nam uno humore purulento evacuato, alius succedit in locum ejus; ideò hæmaptoicorum mala indies ingravescunt, & crudeliora fiunt. Sæpè autem acrimoniâ vaporum exspirantium, bronchi asperæ arteriæ incrustantur quasi; vel cartilaginosæ ejus partes, membranosæq; earum juncturæ; ita ut hoc modo, & respiratio gravior, & humorum purulentorum excretio difficilior fiat; Ideò humectari volunt ambo, ut mollescant, quo commodiùs & comprimi & dilatari possint. Adjacet enim aspera arteria œsophago, & quidem suâ membranosâ parte eum contingit; ideò illius humiditatis sensu & illâ afficitur, ita ut œsophago molliori existente, ipsa quoquè substantia membranosa asperæ arteriæ mollior & laxior fiat.

*Uni humori purulento evacuato alter succedit.*

*Aspera arteria adjacet œsophago.*

*Errhina in Hæmaptoi- cis utilia.* fiat. Errhina in hoc affectu, sive quæ sternutationem movent omninò inutilia non sunt; nam eâ concussione quæ sternutatione fit excutiuntur contenta arteriarum & venarum fermè totius corporis; maximè autem eorum vasorum, quorum orificia circum præcordia situata sunt; Imò & vesica, & uterus, & intestina, sternutationis occasione ad exonerandum se suis contentis irritatur; ideò partum quoquè facilitat ejus excitatio. Quamvis verò Errhina solis adhibeantur naribus; eo fine saltem, ut ea quæ in superficie cerebri propriè hærent, inde ad nares vel palatum revellantur, & commodius egeri possint; Tamen ob violentiorem cerebri commotionem, quod nervorum est principium, omnium fermè partium totius corporis simul fit concussio, à nervis, ad intestinorum usque alvi contenta. Hoc tamen notabile est penes Errhina, quod nempe caput purgent, & id variis phlegmaticis, biliosis, sanguineisque excrementis liberent; cum tamen nulla sit via sensibilis ex ventriculis cerebri ad

nares

nares excurrens; uti putat acutissimus Fernelius. Sed de hac re alibi prolixius. Hic adhuc unicum hoc disquiremus, per quas nempè vias Bechica medicamenta penetrent ad cordis usq; profunditates, ita ut ex ejus ventriculis provocent, vel urgeant sanguinem, eò ex arteriis prolapsum ad fauces ascendere! Communis opinio Medicorum est de hac re, quod bechica, præsertim in lentam & humidam medicamenti formulam redacta, non tota in stomachum ingrediantur per œsophagum, sed aliquâ sui parte, eâq; majori in asperam arteriam influant; Hæc opinio de Bechicis, quamvis multorum celebrium Medicorum authoritate sit comprobata, tamen quia nullis sanis rationibus superstructa est, ab illis qui non nisi rationis ductum in praxi sua sequuntur, pro indubitabili amplectenda non est; Quod caput, vel pars exterior asperæ arteriæ, Larynx nominata, & linguæ œsophagoq; adnata, in faucibus ipsis, lentore & lubricitate bechicorum, ex faucibus ad œsophagum prolabentium afficiatur,

*Bechica non vadunt ad pulmonem per tracheam.*

 irri-

irrigetur & mollescat; de eo nullum est dubium; Verùm quod minima portio bechicorum intus in asperam arteriam ingrediatur, quāvis id sensim & lenitre fieri putent, qui putant; illi⁹ opinionis fidem sensus quotidian⁹ refellit. Nam minima quæq; cibi aut potus portiuncula, per errorem casu aliquo, in vasa respirationis prolapsa, magno conatu, & cum tussi in fauces & palatum, vel ad nares usque regurgitat; non sine periculo subitaneæ suffocationis, nisi egrediatur sponte, vel tussis vehementioris impetu propellatur. Quod si verò adeò periculosè est, etiam mica cibi vel gutta potus in asperam arteriam prolapsi, certè non tutior erit bechicorum substantia in loco illo. Nam vapores ipsi, in aspera arteria sibi occurrentes, primo tussim excitāt, & non sine periculo foràs simul erumpunt; Et nisi eruperint suffocant patientes, ac si aquis profundioribus immersi fuissent: Ut Exempla eorum docent, qui incendia fugientes in profundas se abscondūt cellas, ad quas quidem flamā non penetrat, nec fumus semper, tamen

*Vapores & vaporibus occurrentes tussim causantur.*

tamen exanimantur: Verùm eâ ipsâ viâ eodemq; modo, quâ,& quo, cibulentæ & potulentæ materiæ ascendunt ex stomacho, & cum spiritibus uniuntur famelicis & sitibundis, vadunt quoque ad locos & membra ea, ad quæ ab arte destinantur; scilicet vaporosâ specie, & nutritivi vapores & medicativi deferuntur ad suos fines: bechica ad cordis affectus, vel diaphoretica ad venarum extremitates capillares; & diuretica ad renes; & uterina ad uterum. Quod si verò objiciat aliquis, nos eo ipso argumento, quo negamus bechica in asperam arteriam ingredi, refutare nostram quoque sentẽtiam de sanguinei humoris in canalibus respirationis hærentis putrefactione sonantem; nam si minima canales illi non capiunt, nec etiam sanguineum humorem pati posse, qui interdum magnâ quãtitate excernitur, quam multi parenchyma pulmonis esse putant, ab ejus colore & fibris decepti. Respondeo: Quod nec hic suo periculo destituatur, in propaginibus, vel canali arteriæ asperæ, quamdiu autem in ven-

*Sanguis canales respirationis obstruens, non ita est periculosus ac cibi & potumica trachea infarcta.*

triculis cordis hæret, eousq; gravat quidem, non tamen omninò abolet respirationem; Geminæ enim sunt cavitates cordis, ita ut unâ obstructâ per alteram pateat liber ingressus & egressus vaporum; quod si verò ambo cordis ventriculi repleãtur sanguine, simul & semel, tum subito quoque exanimantur patientes. Multi in Oenopolarum cellas ingressi, in quibus ingens asservatur vini copia; solo odore inebriantur, per nares saltem attractis in cerebrum vini vaporibus; atque tantum vel aliquantò minus mingunt, quasi per os vinum bibissent. Tanta est vaporum efficacia, & sub vaporosâ specie latitantium virtutum seminalium; quanta scilicet imò major quam humorum, quamvis volatilior, humorum autem diuturnior. Si itaque vaporum extrinsecorum magna est efficacia, in promotione & supressione respirationis; quare eam negaremus vaporibus cibulentis & potulentis; Maxima autem efficacia in propellendis humoribus cordis ventriculo infarctis, vaporũ est ex arteriosο sanguine erumpentium

*Odore quãdoque vini inebriantur homines.*

pentium vehementia, à quibus & tussis nascitur, purulentæ excretionis vel comes vel stimulus. Bechica sola nihil proficerent, nisi vapores ex arteriis halantes ipsis conjungerentur; His autem subsidentibus bechica quamvis fortissima nihil conducunt; Errhinorum tantum efficacia ad respirationem facilitandam confert; quamvis ultimò his languentibus, omnia extrinseca fiant irrita. Sed hæc de hoc affectu dixisse sufficiant.

*Bechica in purulenta excretione efficacissima.*

---

## CAPUT VI.

### *De Sanguinis fluxu per Sedes Cura.*

Sine dubio percepisti sensum mentis mei, Amice Lector, de hoc affectu, ejusque causa, & generationis modo, ex verbis Capitis Tractatus hujus partis primæ. Quod nempe sanguis ille, qui vomitur, valdè discrepet ab eo, qui cacatur; Hic enim non nisi venosus est; Ille autem, vel omninò, vel majori ex parte

*Sanguis qui vomitur arteriosus, qui cacatur venosus est.*

parte arteriosus; quamvis impetus virtutum seminalium, in utroque sanguine latentium, tum ex arterioso in venosum derivari possit, imò quotidiè derivetur; tum ex venoso in arteriosum regurgitare; Nam sanguis venosus ex arterioso; hic autem ex vaporibus nervorum scaturiat. Nam si regurgitant sæpè humores excremētitii ex intestinis gracilioribus per pylorum in ventriculum, & sic per œsophagum foràs usque; idem quoque fieri potest ex sanguine venoso versus arteriosum. Quia autem contenta venarum à contētis arteriarum valdè discrepant; igitur aliam curam quoque exigunt vel curę processum affectus sanguinis venosi, quàm affectus sanguinis arteriosi. Sanguinis vomitus spontaneus, vel cruenti & purulenti humoris frequens vel continua excretio; nunquam est tuta vel salutaris; quamvis sæpè hæc vel illa aliquandiu intermittat; Sed sanguinis per sedes eruptio sæpè est tuta & utilis; quia per eam multi diuturni & pertinaces morbi terminātur; Citra quàm quod multa acria, salsa, biliosa,

*Sanguinis evacatio sæpè utilis.*

liosa, pituitosa, tali modo exonerentur. Quare non posset Natura spontè, quod Ars certis efficit remediis? si Practicis credendum est: Hi enim ex capite, ex pedum articulis imò ex ossium medullis, humores peccantes per suorum medicamentorum specificorum virtutes attractivas, ad intestinorum anfractus provocant, & per easdem vias per quas chymus ad venas fertur in sanguinem in eis commutandus, sine impedimento ejus ad venas lationis, cum fæcibus alvi, vel reliquiis cibulẽtorum & potulentorum evacuant. Idem igitur est quoque concedendum Naturæ ipsi cujusque individui? Nam non Ars naturam, sed Natura artem docet. Non itaq; festinandum est supprimere omnes cruentos vel purulentos sanguinis fluxus, sive purus sanguis sit qui per monoculum erumpat, sive permistus alicui humori bilioso, pituitoso, & melancholico. Sed si alicubi valet proverbium id vel observatio Medicorum, ipsius Hippocratis testimonio autenthisata, quod nempe interdum optima sit Medicina, nullâ uti Me-

*Sanguinis cacatio non est cito supprimenda.*

ti Medicinâ, valet hic; in critico scilicet per Anum fluxu sanguinis. Si quid itaque prodesse vult Medicus fluxum talem patienti, ab eo ad consilium medicum vocatus; nihil aliud persuadeat ei primùm; quàm ut sit bono animo, & ab omni medicamẽtorum stipticorum, vel alvi fluxum supprimentium usu abstineat, nisi sibi ipsi noxius esse velit. Prudentia autem in Medico est, fluxum alvi criticum à symptomatico discernere scire; huic enim est per medicamenta occurrendnm, non autem illi; Sanguinis eruptio per sedes omni ætati utriusque sexus comũnis est; tamen primæ ætati & mediæ communior quàm ultimæ; huic autem periculosior. Sunt infantes pueri & puellæ, qui admodum diu hunc affectum patiuntur, majori parentum, quàm eorum ipsorum dolore. Nam non in mensem tantum unum aut duos durat affectus hic, sed & in annos plures, quibus infantes sanguinem cacant per intervalla purum, mox purulentum, vel aliis humoribus permistum, quamvis nesciant patientes eos eum

*Sanguinis cacatio diuturna.*

eum pati, nec infantum parentes; quia non semper aut continuò sub nomine & forma sanguinis erumpit per sedes, quamvis intus in intestinis purus putus sanguis fuerit in intestinis graciliori-bus, in ea per venas mesaraicas ex venis majoribus primùm prolapsus. Longior autem ejus in intestinis mora, eum mutare & nomen & formam facit, vel vermium generationi eum accommodat; Quorum cura iterum est peculiaris. Quamvis verò multi sint qui id de sanguine, intus adhuc in intestinis contento ignorēt; Ita & de humoribus aliis, qui ex intestinis sæpè ad fauces regurgitant per œsophagum: Res autem ipsa ita se habet; Non negaverim quidem, quod ex reliquiis cibulentorum & potulentorum, vel aliorum humorum putrescentibus, vermes quoquè in intestinis generentur, ex sanguinea tamen massa frequentissimè plurimi. Noveram juvenem annorum 22. jam autem virum sexagenarium qui circa annum priorem, Lugduni Batavorum operam dans studiis, cum crepitu ventris magnum

*Vermes ex Sanguine.*

*Historia de Vermibus.*

gnum glomum vermium, instar millepedum formatorum excrevit; ignarus tamen quod id factum sit, usquè dum vermes illi eum circa genua motu suo titillassent; Quorum postquam aliquos extraxisset, solutis femoralibus eorum majorem copiam quàm unâ volâ capere potuisset reperiit; Quia autem sensit alvum stimulari ad excretionem plurium; ideò secessit in campum, ut videret an ex ejus intestinis in femoralia colluvies illa vermium prolapsa fuisset: deprehenditque per sedes nullum alium excretum fuisse humorem, præter duo scybala vermium. Recordatusq; quod ante semestre Flissingæ Selandiæ, ingenti cardialgiâ laborasset, quæ alvi profluvio soluta fuit; ex ejusq; reliquiis vermes illos natos fuisse judicabat; idq; non falsò. Quod verò tunc, uno quasi impetu colluvie illâ vermium exoneratus fuisset; imputabat id spiritui vitrioli quo per septimanas aliquot quotidiè in jure carnium usus fuisset. Sunt quidem Medicorum multi, iique non vulgares, qui sanguinem per anum erumpentem,

*Spiritus Vitrioli utilis ad Vermium expulsionem.*

tem, ex intestinorum ulcere vel apostemate, ad monoculũ demandãdum sentiũt. Nullæ enim venæ sunt in intestinis, ut fluxum hunc ab earum erosione, aut diabrosi derivari dicere ausint; ideò apostema vel ulcus intestinorum, comminiscuntur cui tanquam fonti imputare possint quod volunt; Impossibile autem est ut intestina à semetipsis apostasare possint, nisi ex stercoribus apostemata quoq; oriri judicemus, quia omninò sunt exsanguia. Apostema autem vel ulcus nullibi nasci potest nisi in carne, vel membro quod sanguis alluit. Non est itaq; in cura eruptionis sanguinis per monoculum, habenda ratio alicujus apostematis vel ulceris intestinorum, sed ipsissimi tantùm sanguinis, per venas mesaraicas à venis majoribus ad intestina prolabentis; Hujus enim motus, & substantia vaporibus salsioribus impraegnata, fluxum hunc causatur, absente omni apostemate intestinorum, eorumq; exulceratione. Nam sanguinis fermentatio solito vehementior, eruptionis illius ad intestina, imò & ex

*Apostema in intestinis nullum generari potest.*

inte-

bilis consit ex succo chyli vel chymi, sed ex sanguinea massa; alias non posset secerni à sanguine per phlebotomiam ex venis egresso; uti copiosè admodum in eo esse à chyrurgis demonstrantur. Sanguinis itaquè motus extraordinariò vehemens in venis fiens in hoc affectu potissimum est respiciendus, non autem ejus per sedes eruptio; atquè ille est cohibendus, si sit symptomaticus, non autem hic. Nam nisi ex venis aliquid in intestina derivetur extraordinarii, nihil quoquè excernere potest alvus, quàm ordinarias intestinorum fæces. Qui bilem extraordinario copiosam vomunt, illa non aliunde quam ex venis prolapsa est ad intestina graciliora, indeque iterum ad ventriculum & fauces regurgitat: ita & illi qui bilem cacant, non aliunde eam excipiunt quam ex venis. An autem bilis ita copiosa per solum ductum biliarium ex venis ad intestina feratur, quãta sæpè aut cacatur, vomitur, mingitur? vel an per plures venas mesenterii, quis est qui id sine dubitatione affirmare vel nega-

*Quæ intestina excernunt, ea ex venis derivantur.*

gare ausit; fortasse, imò sine dubio per aliâs quoque venas Mesenterii è venis effluit, vel vasis sanguineis, quam per solum ductum biliarium; non enim frustra eas plures produxit Natura & intestinis inseruit, omnes. Idemquoque est sentiendum de sanguine, de phlegmate, de humore melancholico, & aliis humoribus quos ægri sæpè cacant, quod de bile. Si absque omni intestinorum exulceratione & apostemate, bilis ex loco suo per anum excerni potest; vel alius aliquis humor malignus etiam ab extremitatibus manuum & pedum qui in articulis digitorum quandoque in calculum desinit, ad intestina trahi, & eis illæsis per anum elabi potest, quare non & sanguis. Quod verò scribit Doctissimus Fernelius. in Cap. 7. lib. 3. Methodi medendi: nempè humores per apertos conspicuosq; ductus, à corporis ambitu, per jecur ad intestina devolvi; In violenta autem purgatione, humores non per apertos solum, verùm etiam per cæcos occultosq; ductus, ab extremo corpore ad ventrem confluere;

*Non sola bilis ex venis ad intestina labitur.*

*Sensibiles humores per sensibiles vias feruntur.*

irrigetur & mollescat; de eo nullum est dubium; Verùm quod minima portio bechicorum intus in asperam arteriam ingrediatur, quāvis id sensim & lenitre fieri putent, qui putant; illi⁹ opinionis fidem sensus quotidian⁹ refellit. Nam minima quæq; cibi aut potus portiuncula, per errorem casu aliquo, in vasa respirationis prolapsa, magno conatu, & cum tussi in fauces & palatum, vel ad nares usque regurgitat; non sine periculo subitaneæ suffocationis, nisi egrediatur sponte, vel tussis vehementioris impetu propellatur. Quod si verò adeò periculosè est, etiam mica cibi vel gutta potus in asperam arteriam prolapsi, certè non tutior erit bechicorum substantia in loco illo. Nam vapores ipsi, in aspera arteria sibi occurrentes, primo tussim excitāt, & non sine periculo foràs simul erumpunt; Et nisi eruperint suffocant patientes, ac si aquis profundioribus immersi fuissent: Ut Exempla eorum docent, qui incendia fugientes in profundas se abscondūt cellas, ad quas quidem flam̄a non penetrat, nec fumus semper, tamen

*Vapores ẽ vaporibus occurrentes tußim causantur.*

tamen exanimantur: Verùm eâ ipsâ viâ eodemq; modo, quâ,& quo, cibulentæ & potulentæ materiæ ascendunt ex stomacho, & cum spiritibus uniuntur famelicis & sitibundis, vadunt quoque ad locos & membra ea, ad quæ ab arte destinantur; scilicet vaporosâ specie, & nutritivi vapores & medicativi deferuntur ad suos fines: bechica ad cordis affectus, vel diaphoretica ad venarum extremitates capillares; & diuretica ad renes; & uterina ad uterum. Quod si verò objiciat aliquis, nos eo ipso argumento, quo negamus bechica in asperam arteriam ingredi, refutare nostram quoque sentẽtiam de sanguinei humoris in canalibus respirationis hærentis putrefactione sonantem; nam si minima canales illi non capiunt, nec etiam sanguineum humorem pati posse, qui interdum magnâ quãtitate excernitur, quam multi parenchyma pulmonis esse putant, ab ejus colore & fibris decepti. Respondeo: Quod nec hic suo periculo destituatur, in propaginibus, vel canali arteriæ asperæ, quamdiu autem in ven-

*Sanguis canales respirationis obstruens, non ita est periculosus ac cibi & potu mica trachea infarcta.*

triculis cordis hæret, eousq; gravat quidem, non tamen omninò abolet respirationem; Geminæ enim sunt cavitates cordis, ita ut unâ obstructâ per alteram pateat liber ingressus & egressus vaporum; quod si vero ambo cordis ventriculi repleãtur sanguine, simul & semel, tum subito quoque exanimantur patientes. Multi in Oenopolarum cellas ingressi, in quibus ingens asservatur vini copia; solo odore inebriantur, per nares saltem attractis in cerebrum vini vaporibus; atque tantum vel aliquantò minus mingunt, quasi per os vinum bibissent. Tanta est vaporum efficacia, & sub vaporosâ specie latitantium virtutum seminalium; quanta scilicet imò major quam humorum, quamvis volatilior, humorum autem diuturnior. Si itaque vaporum extrinsecorum magna est efficacia, in promotione & suppressione respirationis; quare eam negaremus vaporibus cibulentis & potulentis; Maxima autem efficacia in propellendis humoribus cordis ventriculo infarctis, vaporũ est ex arterioso sanguine erumpentium

*Odore quãdoque vini inebriantur homines.*

pentium vehementia; à quibus & tussis nascitur, purulentæ excretionis vel comes vel stimulus. Bechica sola nihil proficerent, nisi vapores ex arteriis halantes ipsis conjungerentur; His autem subsidentibus bechica quamvis fortissima nihil conducunt; Errhinorum tantum efficacia ad respirationem facilitandam confert; quamvis ultimò his languentibus, omnia extrinseca fiant irrita. Sed hæc de hoc affectu dixisse sufficiant.

*Bechica in purulenta excretione efficacissima.*

---

## CAPUT VI.

### *De Sanguinis fluxu per Sedes Cura.*

SIne dubio percepisti sensum mentis mei, Amice Lector, de hoc affectu, ejusque causa, & generationis modo, ex verbis Capitis Tractatus hujus partis primæ. Quod nempe sanguis ille, qui vomitur, valdè discrepet ab eo, qui cacatur; Hic enim non nisi venosus est; Ille autem, vel omninò, vel majori ex

*Sanguis qui vomitur arteriosus, qui cacatur venosus est.*

parte arterioſus; quamvis impetus virtutum ſeminalium, in utroque ſanguine latentium,tum ex arterioſo in venoſum derivari poſſit, imò quotidiè derivetur; tum ex venoſo in arterioſum regurgitare; Nam ſanguis venoſus ex arterioſo; hic autem ex vaporibus nervorum ſcaturiat. Nam ſi regurgitant ſæpè humores excremētitii ex inteſtinis gracilioribus per pylorum in ventriculum, & ſic per œſophagum foràs usque; idem quoque fieri poteſt ex ſanguine venoſo verſus arterioſum. Quia autem contenta venarum à contētis arteriarum valdè diſcrepant; igitur aliam curam quoque exigunt vel curę proceſſum. affectus ſanguinis venoſi, quàm affectus ſanguinis arterioſi. Sanguinis vomitus ſpontaneus, vel cruenti & purulenti humoris frequens vel continua excretio; nunquam eſt tuta vel ſalutaris; quamvis ſæpè hæc vel illa aliquandiu intermittat; Sed ſanguinis per ſedes eruptio ſæpè eſt tuta & utilis; quia per eam multi diuturni & pertinaces morbi terminātur; Citra quàm quod multa acria, ſalſa, bilioſa,

*[S]anguinis [ev]acatio ſæpè [u]tilis.*

liosa, pituitosa, tali modo exonerentur. Quare non posset Natura sponte, quod Ars certis efficit remediis? si Practicis credendum est: Hi enim ex capite, ex pedum articulis imò ex ossium medullis, humores peccantes per suorum medicamentorum specificorum virtutes attractivas, ad intestinorum anfractus provocant, & per easdem vias per quas chymus ad venas fertur in sanguinem in eis commutandus, sine impedimento ejus ad venas lationis, cum fæcibus alvi, vel reliquiis cibulẽtorum & potulentorum evacuant. Idem igitur est quoque concedendum Naturæ ipsi cujusque individui? Nam non Ars naturam, sed Natura artem docet. Non itaq; festinandum est supprimere omnes cruentos vel purulentos sanguinis fluxus, sive purus sanguis sit qui per monoculum erumpat, sive permistus alicui humori bilioso, pituitoso, & melancholico. Sed si alicubi valet proverbium id vel observatio Medicorum, ipsius Hippocratis testimonio autenthisata, quod nempe interdum optima sit Medicina, nullâ uti Me-

*Sanguinis cacatio non est cito supprimenda.*

 ti Me-

ti Medicinâ, valet hîc; in critico ſcilicet per Anum fluxu ſanguinis. Si quid itaque prodeſſe vult Medicus fluxum talem patienti, ab eo ad conſilium medicum vocatus, nihil aliud perſuadeat ei primùm; quàm ut ſit bono animo, & ab omni medicamẽtorum ſtipticorum, vel alvi fluxum ſupprimentium uſu abſtineat, niſi ſibi ipſi noxius eſſe velit. Prudentia autem in Medico eſt, fluxum alvi criticum à ſymptomatico diſcernere ſcire; huic enim eſt per medicamenta occurrendnm, non autem illi; Sanguinis eruptio per ſedes omni ætati utriusque ſexus cōmunis eſt; tamen primæ ætati & mediæ communior quàm ultimæ; huic autem periculoſior. Sunt infantes pueri & puellæ, qui admodum diu hunc affectum patiuntur, majori parentum, quàm eorum ipſorum dolore. Nam non in menſem tantum unum aut duos durat affectus hic, ſed & in annos plures, quibus infantes ſanguinem cacant per intervalla purum, mox purulentum, vel aliis humoribus permiſtum, quamvis neſciant patientes eos

*Sanguinis cacatio diuturna.*

eum

eum pati, nec infantum parentes; quia non semper aut continuò sub nomine & forma sanguinis erumpit per sedes, quamvis intus in intestinis purus putus sanguis fuerit in intestinis graciliori-bus, in ea per venas mesaraicas ex venis majoribus primùm prolapsus. Longior autem ejus in intestinis mora, eum mutare & nomen & formam facit, vel vermium generationi eum accommodat; Quorum cura iterum est peculiaris. Quamvis verò multi sint qui id de sanguine, intus adhuc in intestinis contento ignorēt; Ita & de humoribus aliis, qui ex intestinis sæpè ad fauces regurgitant per œsophagum: Res autem ipsa ita se habet; Non negaverim quidem, quod ex reliquiis cibulentorum & potulentorum, vel aliorum humorum putrescentibus, vermes quoquè in intestinis generentur, ex sanguinea tamen massa frequentissimè plurimi. Noveram juvenem annorum 22. jam autem virum sexagenarium qui circa annum priorem, Lugduni Batavorum operam dans studiis, cum crepitu ventris magnum

*Vermes ex Sanguine.*

*Historia de Vermibus.*

gnum glomum vermium, instar mille-pedum formatorum excrevit; ignarus tamen quod id factum sit, usquè dum vermes illi eum circa genua motu suo titillassent; Quorum postquam aliquos extraxisset, solutis femoralibus eorum majorem copiam quàm unâ volâ capere potuisset reperiit; Quia autem sensit alvum stimulari ad excretionem plurium; ideò secessit in campum, ut videret an ex ejus intestinis in femoralia colluvies illa vermium prolapsa fuisset: deprehenditque per sedes nullum alium excretum fuisse humorem, præter duo scybala vermium. Recordatusq; quod ante semestre Flissingæ Selandiæ, ingenti cardialgiâ laborasset, quæ alvi profluvio soluta fuit; ex ejusq; reliquiis vermes illos natos fuisse judicabat; idq; non falsò. Quod verò tunc, uno quasi impetu colluvie illâ vermium exoneratus fuisset; imputabat id spiritui vitrioli quo per septimanas aliquot quotidiè in jure carnium usus fuisset. Sunt quidem Medicorum multi, iique non vulgares, qui sanguinem per anum erumpentem,

*Spiritus Vitrioli utilis ad vermium expulsionem.*

tem, ex intestinorum ulcere vel apostemate, ad monoculũ demandãdum sentiũt. Nullæ enim venæ sunt in intestinis, ut fluxum hunc ab earum erosione, aut diabrosi derivari dicere ausint; ideò apostema vel ulcus intestinorum, comminiscuntur cui tanquam fonti imputare possint quod volunt; Impossibile autem est ut intestina à semetipsis apostasare possint, nisi ex stercoribus apostemata quoq; oriri judicemus, quia omninò sunt exsanguia. Apostema autem vel ulcus nullibi nasci potest nisi in carne, vel membro quod sanguis alluit. Non est itaq; in cura eruptionis sanguinis per monoculum, habenda ratio alicujus apostematis vel ulceris intestinorum, sed ipsissimi tantùm sanguinis, per venas mesaraicas à venis majoribus ad intestina prolabentis; Hujus enim motus, & substantia vaporibus salsioribus imprægnata, fluxum hunc causatur, absente omni apostemate intestinorum, eorumq; exulceratione. Nam sanguinis fermentatio solito vehementior, eruptionis illius ad intestina, imò & ex inte-

*Apostema in intestinis nullum generari potest.*

inteſtinis cauſa eſt. Illa autem fermentatio maſſæ ejus in venis ſurgit immediatè ab aliquo ſeminario vegetabili aut minerali, ſub homogenea ſanguinei humoris ſpecie occultato: Qualiter vinum ſemel quietum, ad ſecundam & tertiam fermentationem irritatur ab amurca, quæ ejus ſubſtantiam ab infra contingit. Poſſunt quidem inteſtina vel excorticari, vel ſphacælari omninò ab humoribus ſalſioribus; ita ut amplius officia ſua naturalia exequi non poſſint; ſed eorum contentta ad ventriculum regurgitent, nunquam autem exulcerari, ita ut ſanguinem vel pus vomant per anum. Qui autem dolores, præcedunt, comitantur, aut ſequuntur ſanguinis per anum ejectionem, illi non ab inteſtinorum exulceratione, ſed ab humorum per inteſtina fluentium ſalſedine & malignitate naſcuntur. Si enim poſſibile eſt ut ſanguis menſtruus per os erumpat fœminæ, uti multi id narrant Practici; vel ſi poſſibile eſt ut per ureteres mingatur, vel per vaſa ſper-

*Inteſtina excorticari poſſunt, ſed non exulcerari.*

*Inteſtinorũ dolores unde.*

ſpermatica ejaculetur; Vel ut ſalſa & acris pituita ex pedum articulis per inteſtina evacuetur; quare impoſſibile ſit ſanguinem ipſiſſimum ex hepate per venas meſaraicas inteſtinis illabi, quæ orificia venarum meſenterii eaq; hiantia excipiunt: quamvis ordinario per eas non ſanguis ſed ſanguinis ſaltem excrementa; bilis, phlegma, melancholia ad inteſtina efferatur, à ſanguine nomine & formâ diſcrepantia. Multæ enim ſunt venæ meſenterii, omnes tamen verſus inteſtina hiantes ſi credendum eſt Anatomicorum teſtimoniis. Imò ſi nullus alius eſſet hiatus ex venis ad inteſtina propendens, quàm ſolus biliarius; per hunc tamen ſolum æquè ſanguis ac bilis ad inteſtina ferri poſſet; ſicuti per ureteres ad veſicam; vel per vaſa ſpermatica ad genitalia fertur; ſcilicet ſine omni venarum continuitatis ſolutione exulceratione, & apoſtemate; Nam bilis citius ſanguis fuit in venis, quam inde excreta à veſicula bilis excipi potuiſſet, & inde ad inteſtina ſub bilis forma & nomine prolabi. Non enim bilis

*Vena meſaraica multa.*

*Bilis citius Sanguis, quam bilis.*

bilis constit ex succo chyli vel chymi, sed ex sanguinea massa; alias non posset secerni à sanguine per phlebotomiam ex venis egresso; uti copiosè admodum in eo esse à chyrurgis demonstrantur. Sanguinis itaquè motus extraordinariò vehemens in venis fiens in hoc affectu potissimum est respiciendus, non autem ejus per sedes eruptio; atquè ille est cohibendus, si sit symptomaticus, non autem hic. Nam nisi ex venis aliquid in intestina derivetur extraordinarii, nihil quoquè excernere potest alvus, quàm ordinarias intestinorum fæces. Qui bilem extraordinario copiosam vomunt, illa non aliunde quam ex venis prolapsa est ad intestina graciliora, indeque iterum ad ventriculum & fauces regurgitat: ita & illi qui bilem cacant, non aliunde eam excipiunt quam ex venis. An autem bilis ita copiosa per solum ductum biliarium ex venis ad intestina feratur, quâta sæpè aut cacatur, vomitur, mingitur? vel an per plures venas mesenterii, quis est qui id sine dubitatione affirmare vel nega-

*Quæ intestina excernunt, ea ex venis derivantur.*

gare ausit; fortasse, imò sine dubio per aliâs quoque venas Mesenterii è venis effluit, vel vasis sanguineis, quam per solum ductum biliarium; non enim frustra eas plures produxit Natura & intestinis inseruit, omnes. Idem quoque est sentiendum de sanguine, de phlegmate, de humore melancholico, & aliis humoribus quos ægri sæpè cacant, quod de bile. Si absque omni intestinorum exulceratione & apostemate, bilis ex loco suo per anum excerni potest; vel alius aliquis humor malignus etiam ab extremitatibus manuum & pedum qui in articulis digitorum quandoque in calculum desinit, ad intestina trahi, & eis illæsis per anum elabi potest, quare non & sanguis. Quod verò scribit Doctissimus Fernelius. in Cap. 7. lib. 3. Methodi medendi: nempè humores per apertos conspicuosq; ductus, à corporis ambitu; per jecur ad intestina devolvi; In violenta autem purgatione, humores non per apertos solum, verùm etiam per cæcos occultosq; ductus, ab extremo corpore ad ventrem confluere;

*Non sola bilis ex venis ad intestina labitur.*

*Sensibiles humores per sensibiles vias feruntur.*

ut ego id ita uti sonant credam, me au, thoritas illius ingeniosissimi Medici non coget; nisi reddatur ratio dicti: nempè quòd & quomodo humor prius sensibilis, possit insensibilis fieri in egressu, post autem iterum sensibilis fiat: Quod enim per insensibiles vias ingreditur, vel egreditur, id quoquè ante & post insensibile ut sit necesse est, quamvis post sensibile fieri possit. Vaporum insensibilium cum spiritibus conjugium insensibile est, & per tales vias fit eorum communicatio; sed humorum sensibilium alia est ratio. Quod verò sanguis non semper sub eodem nomine & forma; sub qua ex venis primum erumpit, per sedes quoquè egrediatur, sed vel sub purulentâ vel aliâ aliqua. Causa est ejus ob anfractus intestinorum, vel languoris impetus, intus in ipsis longior mora; nam impetus vaporum sanguinem ex venis comitantium, non semper est æqualis, sed interdum vehementior interdum vilior; interdum in ipso sanguinis in intestina prolapsu, eum relinqnit; sanguisque alvi fæcibus permistus

*Vaporum cum spiritibus conjugium est insensibile.*

*Impetus vaporum non sunt semper æquales.*

ſtus eodem movetur motu quo hæ; interdum eum ad monoculum usque comitatur. Ita quoquè non cruenta ſemper vomuntur per fauces, ſed purulenta, quæ tamen in primo ſui ex arteriis egreſſu cruenta omninò ſunt; ſed longiori in vaſis exſanguineis mora, in purulentam mutantur maſſam. Ex tali cauſa pus quandoque merum cacatur, vel purulentus humor, qui tamen purus putus ſanguis fuit in ortus ſui principio: quamvis alii quoque humores plures ei permiſceri poſſint in fluxu; quia multitudo venarum meſaraicarum arguit multifarios humores quoq; per eas ad inteſtina ordinariò excerni. Quid ſi igitur extraordinariò per plures idem excernatur, ſive is ſit bilioſus, ſive phlegmaticus, ſive melancholicus, ſive ſanguis ipſe; id nullam infert abſurditatem; nullum arguit in inteſtinis præſens eſſe apoſtema, vel exulcerationem. Alia itaquè via & methodo medendi, eſt occurrendum ſanguinis per ſedes eruptioni, quam id communiter fit, vel in ſcholis docetur fieri. Nec ſtypticis vel

*Per unam venam plures poſſunt excerni humores.*

adſtringentibus hic utendum ex vulgi opinione; Nam variæ ſunt eruptiones ſanguinis per anum, aliæ aliis crudeliores, periculoſiores, diuturniores, ſanguini ſimiliores, vel ab eo nomine & formâ diſcrepantes: de ſymptomaticis ſolis loquor, quæ conſilio & auxilio Medici indigent, ſive ſint cruentæ ex toto, ſive ex parte; ſive bili, aut alii humori permiſtæ, ut ſunt dyſenteriæ, dyarrhœæ, lienteriæ, fluxusq; hepatici dicti cum ſuis ſpeciebus. Omnes hi affectus, & alii plures innominati, ex ipſiſſima ſanguinis maſſa ortum ſuum trahunt; quamvis de eis aliter ſentire in ſcholis edocti fuerimus. Sunt enim Medici plerique qui fluxus inteſtinorum plurimos, niſi omnes à ventriculi vitio derivari ſentiunt; Ideò ventriculi tanquam partis mandantis, maximè vel unicè rationem habendam eſſe docent, in omni fluxus inteſtinorum cura; Hanc autem opinionum vanitatem, ex ignorantia, vel defectu judicii Medicorum natam, ægri luunt dolorum diuturnâ & periculosâ perpeſſione, ſumptuumq; fruſtraneâ

*Alvi fluxus omnes ex Sanguine oriuntur.*

*Ventriculus est pars affecta, non afficiens.*

ſtraneâ expenſione. Ita quidem eſt, quod ventriculus ab humoribus ex venis ad inteſtina prolabentibus, infeſtetur & inquinetur, ſæpè vel humoroſâ vel vaporoſâ ſpecie in eum regurgitantibus, & in eo ructus, flatus, nauſeas, vomitus, alios denique affectus cauſantibus. Tamen omnes illi imprudenter agunt, qui ventriculum pro parte amandante habent; cum tamen ille aliunde excipiat quod habet, ſive ipſe aliunde afficiatur, non autem alia afficiat. Si enim poſſibile eſt, ut contenta inteſtinorum craſſiorum ad ventriculum regurgitent, qualiacunque ſint; Quare ille infeſtari non poſſet à vaporibus & humoribus inteſtinorum gracilium, ei vicinorum, præſertim excrementis ſanguineis copioſioribus & vehementius in inteſtina illa erumpentibus. Non itaque ventriculi aut inteſtinorum eſt habenda ratio, in alvi fluxu ſanguineo, bilioſo, vel alio aliquo acri admodum; ſed venarum ſaltem, & in eis contentorum humorum & vaporum, eorumque motus vehementiæ; Quamvis ventri-

 culus

*Ventriculus non negligendus tamen.* culus & inteſtina omninò negligenda non ſint; non tamen ſunt habenda pro generationis morbificorum humorum centris, ſed ſaltem jam generatorum receptaculis, & fluxus canalibus; ab eorum tamen malignitate afflictis. Nec etiam in ventriculo ſaltem & inteſtinis ſentiuntur dolores, alvô, fluxu aliquo, præſertim ſanguineo, cruento vel purulento, laborante; ſed & in meſenterio, hepate, dorſo, in extremitatibus manuum & pedum, in capite, ſive in toto corpore. Sicuti enim in ſanguinis vomitu, cor primum eſt, quod à ſanguine, vel vaporibus ſanguinis arterioſi *Pars affecta eſt hepar; ſed ſanguis, efficiens.* afficitur. Ita in ſanguinis per ſedes eruptione, ſive cruenta, ſive purulenta, citius afficitur hepar, & venæ in eo concentratæ, meſenteriumq; ipſum, quam inteſtina; quamvis in venis tales dolores non ſentiantur, quales in inteſtinis. Multi ægri, dyſenterici, vel fluxu hepatico laborantes, humanitus ratiocinando, citius convaleſcerent, & à morte liberarentur, ſi Medici ſaltem errores ſuos in hoc affectu curando agnoſcerent,

rent, atque ita corrigerent; Nam quandoq; eorum error ipsis quoque vel eorum propinquis malè cedit; dum scilicet aliqui eorum ab affectibus obsidentur, quos illi in aliis curare, vel curaturos se putabant. Sed ita videtur in fatis esse, ut penes, scilicet, ipsa totum sit; & fines certos determinare, & media ad fines ab eis destinatos, destinare. Ego autem non fatis reluctaturus; durum enim est contra stimulum calcitrare; sed patientibus adversum morborum dolores opem laturus, quantum id per humanam industriam, & citra crimen læsæ Majestatis fatorum, moliri fas est; quæ in sanguinis per sedes symptomaticâ, aut criticâ eruptione, agenda sint vel negligenda, syncero animo hic breviter sum consulturus; Illis videlicet, qui rationibus obsequi amant; Nemini tamen infensus futurus eorum, qui consilium hoc meum sunt aspernaturi; Habet & sapientia, & fatuitas, suam utilitatem & noxam; Voluptatem & dolorem, suos favitores & hostes in mun-

*Dolor dorsi unde.* do. Dolor dorsi, omnium in sanguine venoso fientium mutationum, & motuum violentiorum, vel extraordinariorum, index est certissimus. Multiplex autem est dolor hic, alius serpens, frigens, urens, pungens, continuus, intermittens; Imo totuplex, quotuplex differentia pulsuum est. Non tamen calculus eum excitat, vel saburra arenosa renibus infarcta; uti multi ita de eo judicant Medici. Sed vapores sunt salsi, arteriosi æque ac venosi sanguinis, sibi mutuo in loco eo occurrentes, alii aliis salsiores vel vehementiores; à prævalentibus autem tum in tincturis, tùm in motus violentia oritur passio illa dolorifica, quæ in dorso sentitur; hi enim impetum faciunt in dorsum ex ramis superioribus descendentes ad inferiora; vel ex inferioribus ad superiora ascendentes. Atq; vel inde liquet alium motum esse sanguinis in arteriis, alium in venis contenti. *Dolor dorsi non tantùm in calculosis.* Nec etiam sunt calculosi omnes, qui de dolore dorsi conqueruntur; sed & Febricitantes, & Epileptici præsertim post paroxysmum, & hæma-

hæmaptoici & dyſenterici. Truncus enim iliacus dictus & arterioſo & venoſo ſanguini eſt pervius, quamvis à parte ſui utraq; & ſuperiori & inferiori in ramos diverſos abeat, tum arterioſos tum venoſos. Quod ex oculari & manuali demonſtratione Anatomicorum liquet. Nam Vena cava & Arteria magna, in dorſo, è regione renum in unum truncum coeunt, ad digiti unius transverſi longitudinem, cujus rami inferiores & ſuperiores iterum in arterioſos & venoſos canales diſperguntur. Quia igitur ſanguinis, ſicuti & aliorum humorum per ſedes eruptionis cauſæ vel ſeminaria, in maſſa ſanguinis venoſi potius quàm arterioſi continentur; uti id jam in parte Tractatus hujus primâ probavimus: Igitur primò & maximè, venarum ſolarum, earumq; contentorum & excrementorum, in cura ſanguinei fluxus per inteſtina eſt habenda ratio; Quieto enim ſanguine in venis exiſtente, vel non admodum vehementer ebulliente, quieta ſunt quoque in inteſtinis omnia. Phlebotomia itaq; ſola in

*In ſanguinis cacatione venarum eſt habenda ratio.*

compeſcendo ſanguinis venoſi motu extraordinario, ſed ſymptomatico, plurimum habet momenti; Diminuto enim humore, vehementia motus mitigatur, vel ſaltem ejus largior in inteſtina eruptio cohibetur. Si videlicet ex humore aliquo ſenſibili, ſanguini permiſto furor ſanguinis oriatur; Si autem à principio aliquo ſeminali, ſpirituali vel fatali? tum & phlebotomia vana eſt; Nam unica ſaltem gutta ſanguinis in venis reſidua, æque furit, ac ſi ejus integra libra adeſſet. Phlebotomia autem & plethoræ, & cacochymiæ acommodatiſſimum eſt remedium. Purgantium hîc nulla utilitas, quia alvus ſpontè officium facit; quamvis fæcibus alvi etiam ſynceris, humores alii, ſive bilioſi, ſive phlegmatici, ſive cruenti, ſive purulenti præponderent; Adſtringentia autem ventriculum vel inteſtina omninò ſunt vitanda, nam remorantur ſaltem humores in inteſtinis; quorum excretio eſſet maturanda; aut ea alio regurgitare cogunt ad partes etiam inteſtinis nobiliores. Sanguis enim eſt, qui

*Phlebotomiæ utilitas in ſanguinis cacatione.*

*Adſtringentia hic noxia.*

qui tumultuatur in venis, & qui ampliorem capacitatem quærit, quàm quæ est venarum & intestinorum; ideò non vult constringi hæc vel illas; sed si non possit deorsum erumpere per intestina alvi, ad stomachum, vel superiora alia membra regurgitat, vel ad ureteres, & vasa spermatica, aut uterum; et secum obvia quæque trahit aut protrudit. Quod ex sanguine arterioso ordinarie & continuò erumpit excrementitii, vapores soli sunt. Sed extraordinariò illinc & sanguis ipse prosilit. Ex venoso autem, non vapores ita copiosi quàm humores excernuntur, & per venas mesenterii ad intestina deferuntur, ut bilis, melancholia, phlegma, cum suis speciebus, ita & sanguis; Raro autem hic, nisi ab aliquo in eo latente principio irritatus. Arteriarum orificia versus canales respirationis hiantia, subitam inducunt suffocationem, si constipentur & irruentibus in ea vaporibus non pateant. Si autem venæ mesaraicæ obstruuntur aut constipantur; tum sanguis aut ad alia emunctoria ejus, aut ad fon-

*Orificia arteriarum obstructa, subitaneam mortem adducunt.*

ad fontem suum regurgitat, scilicet ad arterias, & per emunctoria arteriarum erumpere molietur si per propria non possit; vel nisi eruperit gravem & difficilem reddet respirationem, donec iterum ordinaria ejus emunctoria hient. Ad præcavenda itaquè illa omnia incommoda, vel abolenda; Sanguinis diminutio est consulenda, nec longè differenda sed ocyus acceleranda, præsertim venosi. Nam sanguis qui per anum erumpit, venosus tãtum est, rarissimè aliquid sibi arteriosi permistum habens; nisi in dysenteria pestilentiali & contagiosa. Nos autem patientem à molestia quam patitur, & periculo quod metuit, tum in præsenti tum in futuro, tum in venis tum intestinis liberare intendimus, igitur hic ad sequentia respondebimus. 1. An in omni alvi fluxu, præsertim autem sanguinis per anum eruptione, vena sit secunda? 2. Quænam vena, an una ex superioribus vel ex inferioribus; an in manu scilicet, aut brachio, aut pede? 3. Quanta portio sanguinis demenda? an æqualis

lis utrinque? vel hinc aut illinc major? 4. Quo morbi, vel mensis, aut diei tempore? 5. An anodyna conducant sanguinem cacantibus? 6. An adstringentibus in hoc affectu omninò non utendum; vel si? Quando, an in principio statim morbi, vel in fine? 7. Quid agendum sit, si non cruenta sed purulenta saltem sit dejectio, pari tamen conatu & dolore præsenti, ac si ipsissimus excerneretur sanguis? Hæc si ritè consideraverimus; multa inde in ægros & nos ipsos redundabunt, commmoda atquè sciemus, solidis rationibus suffulti, quænam in hoc affectu sint agenda, vel negligenda, & quando. Non enim utilia semel, semper talia sunt; nec etiam semper omnia ex æquo noxia sunt. Sæpè hodiè neglecta prosunt, quæ facta nocuissent; & dilata nocent, quæ præcipitata profuissent. Qui alvi fluxum à vitio ventriculi, aut intestinorum derivari contendunt; vel sanguinis per anum eruptionem; ab ulcere aut apostémate intestinorum oriri sentiunt? illi in hoc affectu Phlebotomiam omnem inuti-

*Quæ hodiè sunt utilia, cras noxia sunt.*

inutilem esse judicabunt; nihil enim potest prodesse aut nocere sanguinis diminutio facta ex venis, ad ulceris intestinorum curationem; hæc enim omninò sunt exsanguia. Nec utilem eam judicabunt in biliosorum, pituitosorum, melancholicorum, vel purulentorum excretione. Ex nostra autem opinione, & utilis & necessaria erit in omni alvi fluxu; præsertim autem cruento; si scilicet sit symptomaticus non autem criticus tantum. Probabimus enim jam, humores omnes qui cacantur â fæcibus alvi & nomine & formâ discrepantes, non in ventriculo generari vel intestinis; sed per venas mesaraicas ex venis communibus ad intestina deferri cum majori vel minori vaporum impetu; qui impetus à seminariis surgit intus in massa sanguinis homogenea latitantibus; non verò à calore vel frigore sensibili, quamvis alterutra harum formarum motu sanguinis extraordinarii, semper sit comes; nunquam tamen est causa. Sanguis itaquè extraordinariis seminibus intùs prægnans, quæ in eo

*Phlebotomia in omni fluxu Sanguinis cohibendo utilis.*

in eo varios motus omnes autem extraordinarios causantur, suo in massam ejus impetu, est præcipuè à Medico respiciendus; Non possunt enim vel venæ vel intestina quietari, nisi contenta eorum evacuentur, & ex corpore evacuentur, quibus anima subjecti ejusque sensus & sensoria onerantur & gravantur: Præsertim si natura se illis proprio motu, ita citò uti status ægri postulat, exinanire non possit, per ordinariorum emunctoriorum orificia; quæ sunt venæ mesaraicæ, uterus, renes, & vasa spermatica, vel pori cutis. Quamvis autem in venis communibus sæpè nullus talium seminariorum sentiatur vel præsentiatur præsentia; in venis tamen mesaraicis actu præsentia, vel in intestina prolabentia, aut jam actu prolapsa, certis se indiciis produnt; scilicet non saltem sui motus violentiâ, sed saporum quoquè calorum & frigorum signaturis. Si ex ventriculo ad intestina demandaretur mali principium, scilicet cruenti, aut biliosi, aut purulenti alvi fluxus causa, illic scilicet generata?

*Intestinorū fluxus quietari non possunt, nisi Sanguine in venis quietato.*

Tum

Tum per vomitum, vel unâ alterâ alvi dejectione evacuaretur, sine tanto doloris sensu, & periculi metu, quantum patiuntur affectu hoc laborantes; Nec adeò diu continuaret, uti sæpè fit, præsertim affectus ille quem scholæ fluxum hepaticum nominant. Quia autem ex venis ipsissimis, vel earum contentis oritur, quicquid mali sentiunt & venæ mesenterii, & intestina inferiora, denique & ventriculus ipse; Igitur venarum motus, earumque contentorum nobis solum & maximè est habenda ratio, in cura fluxus omnis alvi, præsertim autem cruenti & purulenti. Non potest autem sanguinis motus in venis aliter mitigari, cum patientis aliquo commodo, quàm diminutâ ejus vaporum, & massæ portione; quod fit phlebotomiæ beneficio. Quod si igitur phlebotomiam in hoc affectu non saltem utilem sed & necessariam esse judicaverimus; quomodo constabit nobis porrò, quænam venæ sint incidendæ, an aliquæ ex superioribus vel inferioribus, brachii, manus, poplitis aut pedis; Una vel

*Quæ vena secanda in dysenteria & omni Sanguinis vacatione.*

vel plures in utroque scilicet latere, aut in uno saltem? Non enim perinde est unde detrahatur sanguis. Probavimus jam, sanguinem in omnibus venis sibi similem non esse, quoad saporem & consistentiam, quamvis quoad nomen & formam externam sit omninò homogeneus supra & infra; Sed sicut dissidet arteriosus à venoso, ita & venosus dissidet ab invicem, superior ab inferiori; Quamvis nullus sit localis hiatus, qui hunc ab illo segreget, sed se mutuò contingant ambo in vasis suis, & in illis, quorum rami ascendentes à descendentibus discriminari incipiunt, & illic ubi portio sanguinis quieta à mobili discrepat; sicuti vinū ab amurca. Nec plethora est propriè dicta, quæ causa est ejus ex venis, vel ex ano eruptionis. Non enim è pondere judicanda est plethora, sed à sanguinis massæ vaporibus; Nonq; id quod eum ex pauco multum facit, sed quod ex parvo magnum, noxiæ illius eruptionis causa est. Nam sicuti vinum defæcatum, potest in vase contineri quietum ad multos annos, etiamsi vas

*Localis hiatus nullus est in venis, qui sanguinem à sanguine dividat.*

ſemper eo plenum ſit; dum verò in vapores attollitur fermentatione, tum in loco priori contineri nequit: idem judicandum eſt & de ſanguine. Eſt autem in ſanguine aliquid occulti, quod ſanguinem inflat, ſanguis tamen non eſt, ſed vel aliquando fuit, ſed eſſe deſiit, aut aliquando fieri poteſt, niſi citius evacuetur, quàm fiat; Nam ſunt quædam in maſſa ſanguinis, quæ ex tenebricoſo ejus ſinu erumpunt, ſanguis futura, ſed citius iterum diſcutiuntur, vel ex corpore propelluntur, quam ſanguis fiant.

*Dolor dorſi.* Dolor autem dorſi, qui omnibus fermè ægris eſt familiariſſimus, maximè autem ſanguinem cacantibus, videtur indicare differentiam ſanguinis ſuperiorum ramorum, à ſanguine ramorum inferiorum; vel ſanguinem inficientem ab infecto diſtinguere; tamen nullo aliquo certo indicio, niſi Medicus ingenii ſui ſubtilitate deprehendat, utrum vapores ſanguinis aſcendentis ab infra, vel deorſum ſupernè deſcendentes, alii aliis prævaleant. Nam in ordinario ſanguinis motu & fermentatione, æqualis eſt

eſt proportio vaporum aſcendentium & deſcendentium, ſine omnis ſenſu dolorificæ paſſionis fiens: Sed dum vapores deſcendentes aſcendentibus, vel hi illis prævalent, vel motus vehementiâ, vel ſaporum ſpeciebus, aut ſpecierum gradibus; tunc illic ubi ſe vapores illi mutuò contingunt, vel ſibi permiſcentur, quod fit in dorſo, vel trunco iliaco, dorſo adnato; tum illic, & tunc, ſentitur dorſi dolor vehementior, vel mitior, pro diverſitate varietatis vaporũ illic ſibi mutuò occurrentium, duratque donec vapores iterum invicem vel in motu, vel in ſaporum gradibus reconciliati fuerint; aliis per urinam, aliis per ſudorem, aliis per venas meſenterii diſcuſſis, vel in humores coagulatis. Tutius tamen eſt ſecare venam infra quàm ſuprà; potius in pede, quàm in brachio aut manu. Sanguinis enim portio ex venis pedum detracta, quamvis minor, plus affert emolumenti patientibus, quàm ejus portio detracta ex venis brachii, quamvis major. Nam ſi detraxeris ex pedibus cochlearia ſanguinis duo,

*Vena ſecanda in pedibus, non in brachio.*

plus ſentient inde commodi patientes, quàm ſi ex brachio duodecim ſuſtuleris. In utroque autem pede eſt phlebotomandum ſimul, non in uno tantum. Ex utroque pede autem, nec tantum eſt emittendum ſanguinis, quantum ejus emittunt ex una vena brachii: Nam plus egreditur maſſæ in vapores diviſibilis cum ſanguine inferiori, etiam pauciori, quam cum ſanguine ſuperiori, etiam copioſiori. Sed hæc alibi prolixius demonſtravimus. Sunt quoque Medicorum multi, qui ſentiunt non ex venis affecti lateris, ſed ex oppoſiti emittendum eſſe ſanguinem; hoc modo enim fieri putant revulſionem: Ita quidem eſt quod revulſio fiat, ſed non ſanguinis noxii evacuatio; Niſi ſciamus in oppoſito latere non dolente, latere ſeminarium doloris in altero ſenſibilis; ſed eâ intentione, vena in oppoſito latere nunquam ſecatur. Sed ſententia nulla adeò futilis eſt & abſurda, quæ deſtituatur omni patrono: Ideò nos noſtra non vulgo, ſed prudentioribus ſaltem recommendamus, & nemini invito obtru-

*Vena incidenda utriusq; lateris, aut pedis ſimul.*

obtrudimus; sed eorum saltem censuræ exponimus, qui rationibus aures præbent, non nudis verbis. Ideò nos nunquam unam tantum venam, vel in uno latere secandam, sed in utroque,& manu & pede simul, melius esse judicamus: scilicet aut in utroque pede, si hìc; aut in utroque brachio, si illic eam incidere voluerimus. Phlebotomia quoque non est differenda, donec invaluerit morbus; sed in ipso morbi exordio adhibenda. Dolor enim dorsi, præcedit humoris cujuscunque per venas mesenterii inordinatam eruptionem, maximè autem sanguinis ipsius. Dolore itaque in dorso incipiente phlebotomandum est; vel non longè post eum differenda venæ sectio; Nam tunc temporis extracta satis exigua sanguinis quantitate, præsertim ex pedibus magna tollitur portio amurcæ, quæ sanguinem inquinat & ad eruptionem cogit. A sectâ venâ, Anodynum aliquod, sed valdè lenè diaphoretico alicui, vel diuretico fortiori permistum, præbeatur patienti, in omni alvi fluxu nondum *Dolore dorsi incipiente phlebotomandum.*

inveterato, maximè autem in ſanguinis cacatione. Nam anodyna ſola compeſcunt quidem ſanguinis motum, ſed niſi vapores in humores mutati confeſtim evacuentur, tum redit affectus, poſterior priori violentior, poſtquam virtus anodyni evanuerit; ſed diaphoretica eum per ſudorem evehunt, aut diuretica per urinam; aut ad minimum mitigant. Ante ſectam venam, anodyna, vel ſola, vel diaphoreticis permiſta, tumultuanti in venis humori prævalere non poſſunt, vel patientem tutum à recidiva reddere. Adſtringentia ſola in hoc affectu exhibita magis noxia ſunt quàm utilia, abſente phlebotomia, quamvis ſtomacho multum conferant emolumenti; quia eum armant adverſus vaporum & humorum contagium, ex venis meſaraicis in inteſtina graciliora irruentium; qui multas ſtomacho cauſantur moleſtias, ructus, vomitus, cardialgias. Si autem cum magno commodo exhiberi debeant patientum; in morbi declinatione ſunt exhibenda; ut ſunt pyra & cotonea ſimpliciter cocta

*Anodyna & adſtringentia quãdo conducunt.*

cum

cum aliquantulo Cinnamomi, vel nuce Moſchatâ condita: Aut ignem paſſa; ſuccus vel marmelada Cydoniorum, Myrtilli, Pruna Sylveſtria, ſuccus Acaciæ, & ſimilia; Pro potu loco Zythi, vinum porrigatur, optimè defæcatum; quod maximè diureticum eſt; Nam ea quæ urinam cient, alvum adſtrictiorem reddunt. A cibis & potibus, non ſanguis venoſus primum afficitur, ſed nervi primùm, ſecundò arteriæ, tandem venæ earumque contenta, ultimò carnes; Ideò tempora ſatiationis ſpirituum famelicorum & ſitibundorum, differunt à carnis & pinguedinis generatione; citiusque ſatiantur illi, quam ſanguis & caro generetur. Caro enim ultima eſt in generatione; Sanguis venoſus, arterioſum ſequitur; hic autem ex nervis haurit quicquid habet vivacitatis præ venoſo. Nervi autem ex ventriculo accipiūt quicquid inde ad cerebrum ſublimatur virtutum vel vaporum ſpiritibus, ſanguini, carni conducibilium; In primis his vaporibus famem & ſitim ſatiantibus, occultantur virtutes ſemi-

*Diuretica ſunt adſtrictiva alvi.*

*Vapores primi.*

nales illius speciei, cujus individuum fœtus est, quod à nobis editur & bibitur; Virtutes autem illæ seminales, intus in Republica corporis nostri, materialia vel servilia munia obeunt, non formalia, qualia extra nos; Nisi successu temporis antiqua recuperent privilegia & in nobis. Inebriare nos possunt quidem & à principio, & somnolentos efficere; sive alienare spiritum carnis nostræ ab ordinario vel extrinseco ejus motu, eum exaltando, vel scotomizando; Hæ enim sunt ebrietatis causæ, & effectus, quos comprehendunt versiculi vulgares ebrietatis opera recitantes. Inebriari enim est affici & superari à spiritu ordinis vel superioris vel inferioris; Ita inebriati fuerunt Prophetæ & Apostoli, omnes denique illi qui prophetabant, sed cœlitus; à spiritu scilicet ordinis sublimioris quam est terrestrium. Ideò in furore illo agebant, loquebantur, videbant, audiebant quæ aliis imitari fuit impossibile. A terrestribus autem Spiritibus, scotomizantur animi humani, ut agant, loquantur, cogitent

*Inebriatio quomodo & unde fiat.*

vel

vel moliantur ea, quæ extra illum mentis furorem eis ardua, turpia, aut mirabilia & pœnitenda apparent. A cœlestibus spiritibus inebriati, illuminantur & informantur de eis quæ sunt in futuro agenda, vel ab ipsis patientibus, vel ab aliis; Ita & Epileptici, Augures, Pythones vident vel audiunt absentia & futura; quia Spiritus eos obsidentes, sagaces valdè sunt; sed potissimum mendaces in rebus seriis; sed materiam hanc seorsim sumus tractaturi. Intestina autem corporis nostri, vel membra & sensoria interna & externa patiuntur & afficiuntur à signaturis ciborum & potuum, quæ ipsis per sanguinem venosum communicantur, mediantibus vaporibus & humoribus maximè terrestribus, quos communiter excrementitios appellamus, & in biliosos, pituitosos, melancholicos, cum eorum speciebus dividimus. Qui itaque sanguinis fluxum patiuntur cujuscunque nominis; illi omnes illos affectus ipsis valdè molestos & periculosos mutare vel superare possent, si saltem vellent, aut modum sci-

*Spiritus morbifici multi sagaces sunt.*

*Ægri se ipsos juvare possent, si scirent.*

ſcirent; ſcilicet affectuum internorum & antiquarum concupiſcentiarum, ciborum potuumq; mutatione, in meliorem formam. Quia autem vel eam ignorant, vel in ea præſcribenda errant Medici, errant quoque & ægri: In mutatione animi, corporis conſiſtit valetudo & morbus. Non verba ſola dedit mortalibus Salvator, inquiens, quod certum ſit dæmoniorum, ſcilicet morborum humanorum genus, quod non medicamentis, ſed precibus & jejuniis expelli, vel curari debeat. Tale quoque genus morbi eſt Hæmorrhagia omnis, ſponte, ſine externæ cauſæ violentia, in nos irruens. Qui enim, maximè ægrorum ſciunt & volunt imperare affectibus ſuis, quibus ſerviebant prius, & ſerviunt adhuc in ægritudine; illi unâ operâ frænant & vapores, & humores ſanguinis utriusque; hi enim ambo moventur, ad inſtar affectuum. Ideò inedia, jejunium, parciſſimusque cibi & potus uſus, præſertim arbitrarius, maximè proſunt, hæmorrhagia inteſtinorum, & omni eorum fluxu ſympto-

*Hæmorrhagia affectuum mutatione ſupprimitur.*

pto-

ptomatico laborantibus. Igitur Medici ægris sanguinis fluxum patientibus temperatissimam consulant diætam, quæ sit ad necessitatem directa non autem ad voluptatem; ut scilicet eâ satientur spiritus, non autem onerentur, & hi, & membra; Natura enim paucis contenta est; nec cibi alii sunt præscribendi, quàm quibus patientes unquam pasci consueverunt; quos si fastidiunt; alii eis substituendi non sunt; sed eousque sine cibo relinquendi, quousque redierit appetitus intermissus, redibit autem citò, vel ocyus sponte, quàm si patiens cibis, quos fastidit reficiatur, ex opinione aliorum. Potus sit inebrians potius, quàm dilucior: Antiquus, non recens; ideò vinum est cerevisiæ præferendum; præsertim si non bibatur plenis faucibus sed saltem cochleari sorbeatur sicuti jus; aut per tubulum angustiorem sugatur; E. g. per stramen triticeum. Sicuti autem in sanguinis vomitu fit; ita & ejus per sedes eruptione; nam non semper sanguis syncerus & rubens

*Vinum conducit dysentericis.*

bens vomitur; interdum hic nullus apparet, sed purulentus quidem humor excreatur aliquandiu, & fœtidus nonnunquam; Idem fit & in sanguinis cacatione; Non enim continuò cruenta sunt quæ excernuntur per monoculum, sed purulenta tantùm, pauciori aut copiosiori bili aut pituitæ permista, pari tamen dolore & conatu, quo cruenta cacantur. Nam nisi impetus vaporum ex venis erumpentium, & sanguinem inde rapientium ita vehemens sit, ut per anfractus intestinorum ad monoculum usquè pertingat, tum sanguis ex venis prolapsus, in intestinis hæret quousquè putrescat, & in eam formam commutetur in qua per monoculum tandem erumpit, à sanguine tum nomine tum forma discrepantem. Non quod ex ulcere vel apostemate intestinorum rupto nascatur, sed quod eam mutationem in intestinorum anfractibus longius hærens passus sit. Anno 1631. in Exercitu Regio Suecico ad Nurenbergam, ubi loci stativa erant per integram æstatem, grassabatur affectus hic,

*Unde purulenta cacatio.*

*Historia de Dysenteria purulenta.*

toto

toto fermè tempore illius illic commorationis; sed mutatis castris, & ad Winsheimium translatis, cessavit. Valdè crudelis fuit morbus hic, sed gravius sæviebat in patientes noctu quàm inter diu. Qui autem largius vinum biberunt vesperi, per noctem quietiùs dormierunt, quamvis manè somno discusso recidivam passi fuissent. Ego ipse morbo eo aliquandiu laboravi nunquam autem ut jacuissem; quamvis interdum per noctem frequentissimos ejicendi conatus passus fuissem, quos mucus quidem sed valdè paucus sequebatur. Una autem & eadem est cura, omnium affectuum intestinalium à sanguine syncero vel purulento surgentium. Nisi quod purulentus admittat leniter purgantium usum, ut Mannæ, Cassiæ, Rhabarbari, Myrobalanorū, &c Cruentus autem nullorum omninò: Clysteres ex decocto capitis vel pedum vitulinorum, magnam habent & utilitatem & efficaciam in sanguinis per intestina eruptione, non quidem in ea supprimenda, sed mitigandis ejus symptomatis;

*Clysteres in Sanguinis cacatione.*

matis;

matis; abluit enim inteſtina,& glutinosâ ſuâ ſubſtantiâ, adverſum acrimoniam vaporum & humorum ea infeſtantium, munit defenditque: quæ ſæpè excoriari ſolent eorum acrimoniâ. Sed hæc hic, de hujus affectu cura, monuiſſe, doctis & prudentibus ſufficient: Alios non curamus.

---

## Caput VII.

### *De Sanguinis minctione, ejusq; Cura.*

Unde & ex quib⁹ cauſis, vel quo proceſſu, ſanguis in renes, & per hos in ureteres ad veſicam usque & genitalia propellatur; diximus in Tractatûs hujus. Part. 1. cap. 10. Hic, quæ plura ad ejus accuratam curam requiſita ſunt; breviter demonſtrabimus. Affectus hic omni ætati utriusque ſexus eſt communis, ideò ejus examen ſerium à Medicis exigitur, ne quid ſine ratione ab eis committatur; Empiricorum temeritatem evitare volentibus. Quod ſanguis qui

qui vomitur, non ſit venoſus ſed arterioſus; demonſtravimus jam: Ita & de eo qui cacatur, quod ſit venoſus, non arterioſus. Sed de eo qui mingitur demonſtrabimus utrumq;, nempè quod ſit arterioſus & venoſus; ſive quod ei & arteriæ & venæ ſuorum contentorum imprimant tincturas; Si enim Anatomicis credendum eſt, ab utroque latere duo ſunt rami verſus renes hiantes, emulgentes appellati, quorum unus canalis, ex trunco arteriæ magnæ; Alter ex venæ cavæ, derivatur: Sed à parte trunci iliaci inferiori, vel deſcendente. Quia igitur in utrumque renem, ab utroque latere hiant ſimul venæ & arteriæ; ideò quoquè ex utroque ſanguine excernitur urina quæ mingitur, vel urinæ materia. Urinæque contenta ita ab invicem differant, ſicuti ſanguis arterioſus à venoſo in ſuis vaſis nativis hærens: Quantum verò horum unus ab altero diſcrepet; & ipſi Anatomici docent, & nos jam in præmiſſis docuimus. Diſcrepant itaquè & illa quæ ex utroq; ſanguine excernuntur. Atquè ſic duplex

*Sanguis qui mingitur eſt miſtus ex arterioſo & venoſo.*

*Serum urinæ duplicis naturæ.*

plex ferum, aut duplicis naturæ est id quod in urinam desinit; alterũ venosi, alterum arteriosi sanguinis tincturas redolens magis. Sed à quo sero urinæ color, sapor, odor, pondus, quantitas nascatur; à quo flavescat, pallescat, rubeat, magis vel minus; Id nemo docuit Medicorum: Ita nec à quo sanguine aquosa mingitur, vel colore omni destituta; Non enim sufficit eam ab hac vel illa bile pallescere. Nisi sciamus simul an bilis venosi vel arteriosi sanguinis sit excrementum? vel an inde tantùm unde color, sapor quoquè & odor urinæ proveniat. Nam urinam utrinquè nasci nemo negare potest; Quia autem ex utroque sanguine impressiones excipit urinæ substantia; Ideò antiquitus consuetum est ex urinæ signaturis, de universi corporis constitutione judicare; præsertim autem eorum membrorum in quibus emunctoria ramorum venarum & arteriarum suis orificiis hiant; scilicet hepatis & lienis, cordis & venarum mesenterii. Quamvis autem non saltem incertum, sed sæpè & omninò fallax

*Urinæ color, sapor, odor, &c. unde.*

fallax vel mendax sit judicium ex urina fiens, secundùm regulas Medicorum scholasticorum; Tamen non omninò inutilis est urinæ observatio eorum Medicorum, qui sanguinis utriusque conditiones ab invicem discernere sciunt; non quidem ita ex instructione aliorum, sed per prudentiam propriam, certis rationibus fulfultam: Nec est rationi solidæ consentaneum, sentire de utriusque sanguinis impressionibus in urinam idem; Quoniam conformatio substantiæ eorum discrepans, motus denique dissimilitudo, diversum quid nos de ejus impressionibus quoquè judicare docet: Quamvis in urina sic mista sint, ut unum esse appareant. Si sanguis arteriosus ejusdem esset constitutionis cujus est venosus, tum pulsarent æquè venæ ac arteriæ; vel hæ æquè silerent ac venæ: Tamen has pulsare non illas, arteriarumq; contenta discrepare à venosis, docent Scholæ & Anatomici omnes. Quamvis autem concurrant in renibus excrementa serosa sanguinis utriusque in unum corpus: Tamen ex

*Judicium ex urina interdum fallit, non semper.*

*De utroq; Sanguine idem sentiendum non est.*

urinæ ſignaturis aliis de ſignaturis vel vitiis contenti arterioſi; ex aliis de vitiis ſanguinis venoſi judicandum eſt. Peculiares rami ex diverſis ſurgētes truncis, peculiares quoque aut vapores ſpirant, aut humores excernunt; Ex pulſu, judicant indifferenter de motu vel affectu ſanguinis utriusque, tanquam ex ſigno minimè fallaci, Medicorum plurimi; quàm primum enim ad ægrum acceſſerint, pulſum tangunt, ex ejus motus indiciis in cognitionem morbi promovendi; Id autem nequaquam docuerunt Medicinæ Doctores primi; ſcilicet ex pulſus indiciis de utriusque ſanguinis conſtitutione judicare. Sciverunt enim diſcrepare ſanguinem venoſum ab arterioſo, & cujusque proprietates ex peculiaribus indiciis à ſenſu acquiri poſſe. Ideò qui id agere volunt, ſive unâ operâ de venarum & arteriarum contentorum proprietatibus divinari; melius id & certius agere poſſunt ex urinæ, quam ex pulſuum indiciis. Nam carnes non generantur immediatè ex ſanguine arterioſo, verùm ex venoſo, ex quo

*Pulſus judicium erroneum.*

*Carnes generantur ex Sanguine venoſo.*

quo naſcuntur quoque humores excrementitii. Urina autem naſcitur ex ſanguine utroque, quia & venæ & arteriæ aliquid ſui conferunt in urinam. Quid autem arterioſi vel venoſi in ea ſit, quis eſt qui ſciat, aut qui docuerit, aut id ſcire velle cogitarit unquam? Iſchuriæ, dyſuriæ, ſtranguriæ, cruentæ, aquoſæ, bilioſæ minctiones, alia denique ſymptomata dorſi, renum, ureterum, veſicæ, penis, omnia à ſubſtantia urinæ, vel exinde naſcuntur & ſcaturiunt unde urina ipſa. Quia autem hæc ex diverſis labitur vaſis, ideò diverſæ quoque ejus tincturæ peculiares cauſas habent; ſymptomataque inde ſurgentia derivantur. Stranguriâ corripiuntur multi, ab ipſo hauſtu alicujus inconſueti potus. Dyſuria verò & gravius affligit, & longius durat; de quorum affectuum cauſis, hariolamur potius, & erramus judicio quàm philoſophamur ex certis rationibus; quia ignoramus diſcrepantiam cauſarum, & earum impreſſionum, quæ in urinam fiunt ex ſanguine arterioſo & venoſo peculiares. Non enim ex venis aut ar-

*Diverſarum urinæ ſignaturarum diverſæ cauſæ.*

teriis ad caput ascendit, id quod inebriat; sed ex capite per nervos arteriis & venis communicatur id, post quod inebriavit prius. Imò verò non solum id, quod inebriat propriè, ex ventriculo ad cerebrum immediatè ascendit, & ex cerebro in nervos, hinc in arterias & venas, carnemque & medullas ossium influit, sed & id, quod famis & sitis quietat molestias; Nam citius satiatur fames & sitis, quàm generatur aut caro, aut pinguedo, aut sanguis ipse. Si nescimus, an citius penetret urina ad ureteres per arterias quàm per venas; quia id occultum est à sensu; scimus tamen quod citius & satiemur & inebriemur, quàm caro marcescens restauretur, vel pinguedo nascatur; Unum dictat sensus alterum ratio. Quare urina ebriosorum limpida est & aquosa: Si enim æquè ex sanguine venoso nascitur ac jejuna, quare non æqua pallet ita ac hæc; Venosus enim sanguis nunquam bile destituitur; sed arteriosus semper, nisi in eum ex venis regurgitaverit. In urina jejuni sunt plura sensibilia, quam in urina saturi

*Urina citius penetrat ad renes per arterias, quàm venas.*

*Ebriosorum urina alba.*

turi vel ebrii, quamvis desit pondus: Tamen non omnibus nota sunt ea, quæ in urina sunt conspicua. A colore urinæ etiam intensissimo, cujuscunq; speciei color illius sit, sive rubeat, sive palleat, sive sit viridescens, sive niger omninò; (Talem enim urinam mingi vidimus etiam à personis optimè habentibus, sicuti cruentam & purulentam, vel aqueam,) tamen nulla passio dolorifica sentitur; Ab odore quoque nulla; Ita nec à pondere vel ejus quantitate majori aut minori; sed à conatu mingendi magna, prout ejus variaverit vehementia. Igitur inde liquet vel solum saporem esse doloris, minctionem comitantis, causam, vel eum subsequentis; nec humoris solius tantum, sed & vaporis. Quod si verò constat id de sapore tam vaporis quàm humoris? Quis illum saporem noxium ab innoxio discernere scit; nam urina rarò insipida mingitur; Nec sola bilis est sapida, sed & pituita, talis & sanguis est. Quam mingimus ordinariò urinam, salsa quoque est, sive sit rubicunda, sive citrea, sive spicea, sive

*A qua causa oriatur urinæ dolor.*

*Urina omnis salsa est.*

aquosa; tamen non continuò dolemus, etiamsi ipsissimum mingamus sanguinem: Ideò non ab omni sapore urinæ indifferenter passio oritur; sed à certa saporis specie, aut speciei gradu. Unde autem urina tingitur? Nam serum sanguinis necessario ut tale sit intus, qualis extra urina mingitur, necesse est; hæc autem sæpè diaphana omninò & aquosa exit; A bile judicatur communiter urinam tingi; Igitur ab ea proprietate, quam bili imputamus, melancholicum & phlegmaticum humorem absolvimus. Sed per hanc rationem, & urinam ab arterioso sanguine tingi negamus. Nam bilis dicitur esse humor excrementitius sanguinis venosi, quoniam ex ejus canalibus tantum excernitur. Rami autem venarum ascendentes alterius generis sanguinem non habent quam descendentes. Igitur nec rami arteriarum descendentes aliud quid possunt communicare renibus ab infra, quam simile illi, quod rami earum ascendentes cordi communicant, pulmoni & canalibus respirationis; versus enim

*Urina color à bile.*

enim has partes orificia arteriarum superiora hiant, æquè ac inferiorum versus renes. Si autem certò nobis constat de causa coloris urinæ, quod nempe ille in eam à sola bile derivetur, Unde igitur sapor ejus? an identidem ex bile, aut aliunde? Sine dubio; Nam urina aquea est æque salsa ac biliosa; quamvis sapor bilis dissideat à sapore salso communiter sic dicto; tamen uterq; gustum, & per consequens tactum quoque afficit; uti alibi probavimus; nam in quibus membris non adsunt instrumenta gustus, tamen sapor eis ignotus omninò non est, sed se & illic tactui insinuat, alia tamen formâ quàm gustui, scilicet caloris aut frigoris speciē. Ideò sæpe urina urit meatus per quos vadit, cæterà innoxia: sæpe pungit, & ineffabili dolore tactum vexat, absente omnis caloris & frigoris sensu. Si autem sapori vel colori urinæ nobis molesto, aut alicujus periculi suspecto, occurrere volumus, illum mitigando; hunc minuendo? Tum necessariò nobis constare debet, cuinam sanguini, imputandum sit

*Urinæ sapor unde.*

*Urinæ sapor tactum afficit.*

contagium ſaporis vel coloris. Interdum urinæ paucæ, magnus eſt mingendi conatus; interdum etiam copioſior, ſine tamẽ omni ſingulari conatu erumpit, niſi à pondere ſtimuletur? Unde igitur ille impetus vehementior in urinam quandoq; derivatur? an ex venis, vel arteriis, aut utrinq;, aut alternatim hinc & illis? Ex quibus indiciis aliquid horum certò deprehendi poteſt? Scimus enim ex hiante vena æquè proſilire ſanguinem, quàm ex arteria; ex hac autem violentius, quandocunq; hiaverit. Ex hac igitur ratione arguere poſſumus, quod minctio vehementior, vel mingendi conatus extraordinarius, abſente urinâ, ex arterioſo procedat ſanguine; idq; pari certitudine aſſeverare audemus, ſicuti aſſeveramus urinam à bile colorari: Unde autem in ea alia contenta, ſedimenta, nubes, ſuſpenſa, vel ei innatans pinguedo, interdum cruſta? Semel vidimus urinam in matula ita fervere, ſicuti ſolet fervere aqua vivæ calci ſuperfuſa. Nec eſt temeraria curioſitas, in omnes minctiones & urinæ cir-

*Mingendi conatus unde.*

*Curioſitas Medicorum*

næ circumſtantias accuratiùs inquire-re, quæ in urinam ex vaſis ſanguineis derivari poſſunt; Aut temerarii erunt appellandi omnes illi Medici, qui docẽt diſcernere arterias è venis earumq; contenta; imò & delectum facere venarum unius brachii; ſive unam in cubito, aliam in manu tundere. Identidem temerarii erunt omnes illi, qui certis medicamentis ſpecificam vim imputant trahẽdi aliquibus bilem, quibusdam pituitam, hanc aut illam ex capite aut ex pedibus, ex venis minoribus vel majoribus. Si autem temerarii non ſunt, qui inutilibus nugis occupant & ſuos, & diſcipulorum, & ægrorum animos; nec temerarii erunt, qui ſeriis, utilibus & neceſſariis ſe & alios exercẽt. Nam ſine delectu venarum vel arteriarum mederi velle affectui renum, ureterum, veſicæ, à ſola urinæ ſubſtantia, vel ejus pondere, ſapore, odore, colore, motu orto; & irrationabiliter morbos vel ægros curare velle. Scimus enim urinam variare diverſis temporibus, veſpertino & matutino; ſtomacho jejuno

*non eſt temeraria.*

*Urinæ varietatis cauſam neſcimus.*

vel pleno: in paroxyſmo & extra paroxyſmum; à conſueti vel incõſueti cibi & potus generis eſione, vel intermiſſione; tamen cauſam neſcimus; quia neſcim9, an ex arteriis aut venis in urinam derivetur doloris hujus aut illius varietatis cauſa. Aut nullibi curioſi eſſe audebimus, aut ubique temerarii vocari debebimus, quotiescunque nos in ſcrutinio occultiorum cauſarum ſeduliores demonſtraverimus, ex requiſito noſtri tituli & officii: Et non niſi à regulis hiſtoricis vel dogmaticis pendere. Si ſcimus Chymum ex inteſtinis gracilioribus per venas meſenterii ad hepar deferri, illic in ſanguinem commutandum; ſolamque bilem ex hepate per peculiarem ſed ſenſibilem ductum ad inteſtina propelli; quare ex unâ operâ non cogitamus per quas vias vadant ad inteſtina alii quoquè humores excrementitii, ſanguini ſpiritnique animali æque ſi non magis, noxii & oneroſi ſicuti bilis? & an ſingularem generationis materiam vel modum ea quoquè habeant, quæ

*Negligentia Medicorum.*

quæ urinam tingunt coloribus variis, quàm quæ eam ſaporibus & odoribus inficiunt? Si ſcimus differentiam potus inebriantis à non inebriante? Quare non ſcrutamur, an uterque ad ſanguinem deferatur per eaſdem vias, vel quilibet per diverſas; Et ſenſus enim dictat & ratio ſuadet, ea quæ inebriant ex ventriculo immediate ad cerebrum ſublimari; Sed ex capite per quos meatus iterum feruntur ad arterias, ad venas, ad renes, ad inteſtina, illa quæ inde ſponte evacuantur, vel eo vi medicamentorum ſpecificorum attrahuntur? Scimus enim ea quæ inebriant, non citius mutari in ſanguinem quàm virtutem ſuam in cerebro exercuerint; ſcimus quoquè quod citius ſatietur fames & ſitis quàm generetur caro vel pinguedo; ſi audemus inquirere in vias illas per quas chylus vel chymus ex ſtomacho ad hepar fertur, ſi fertur; Quare non auderemus ſcrutari per quos meatus fiat Inebriatio, vel famis & ſitis ſatiatio? An ſcilicet per eos per quos ſanguificatio; aut per alios? ſimpliciter autem

*Inebriatio per quos meatus fit.*

tem pẽdere debemus à dogmatib⁹ scholasticis, & ab illis quæ didicimus in dieb⁹ juventutis nostræ? Tum per vitam integram necesse est ut maneamus infantes, vel ita affecti qualiter affecti fuimus donec adhuc infantes essemus: nec aliquãdo nos prudentiores esse docet, sed semper & virtutum & vitiorum, & causarum ignaros. Quæcunque urinas cient, illa quidem Diuretica dicuntur; Tamen urinas non generant; sed jam actu generatis impetum imprimunt ocyus erumpendi, quàm id fieret sine tali adminiculo. Purgantia autem quæ bilem trahunt, vel pituitam salsam ex articulis & extremitatibus corporis quibuscunque; nec ea quoquè generant quæ trahunt; nec materiam urinæ, vel serum ex venis emulgentibus trahunt ad intestina, quamvis hoc æquè sit salsum ac pituita articulis pedum impacta. Nam si id fieret per ea quæ arthritica dicuntur, tum magis noxæ inferrent quàm commodi patientibus, si urinam ab ejus nativis emunctoriis abstractam ad intestina deturbarent. Sed quæ sanguinem

*Diuretica, urinas pellunt, non generant.*

furen-

furentem intùs compescunt, an non ea quoquè serum à renibus avocant? Non videtur; nam non conduceret sanguinis minctionem supprimere, si uno actu & sanguis cohiberetur à fluxu & serum. Aut si sanguis mingitur eruptis vel arrosis venis lumborum, an una cum sanguine & urina prolabetur in alvi concavitatem? Nam nihil esse potest invium urinæ, quod non est invium sanguine, tamen sæpè videmus urinæ plus hujus quàm illius; interdum sanguinem omninò sine urina; ita & urinam sine sanguine. An igitur compresso hiatu sanguinis non prohibebitur & urinæ fluxus? vel si non? Tum per easdem vias mingitur dum mingitur, & sanguis & urina, & omne id quod cum urina simul excernitur? Sed si id est; An igitur ea quæ movent contenta venarum emulgentium, movent quoquè & contenta emulgentium arteriarum; vel an hæc & illa uno eodemque vel stimulo vel fræno tractari debent? Non videtur; nam sicuti specificis peculiaribus curamus affectus pulmonum, jecoris,

*Quæ sanguinis minctionem supprimunt, non supprimunt urinam.*

*Venæ alio modo quàm arteriæ vitium curandum est.*

ris, cordis, capitis, uteri, renum, &c; ita peculiaribus quoquè debemus occurrere vitiis arteriarū & venarum. Nam læsâ venâ, non læditur simul arteria, vel dum eroduntur venæ, non autem arteriæ emulgentes; tum non ex his sed ex illis fit sanguinis eruptio; nec hæ sed illæ sunt consolidandæ. Si enim venæ earumque contenta, discrepant ab arteriis earumque contentis, in ramis superiora perreptantibus; tum discrepabunt quoquè, in ramis earum per inferiora dispersis. Scimus autem nec arterias, nec venas solas versus renes hiare, sed utrasque: igitur ex ambab⁹ in utroque latere, vel serum, vel sanguinem in renes derivari; Si autem vel serum, vel sanguis solus, hinc vel illinc renibus influeret, nonque ex ambarum vasis; tum nunquam; vel solus sanguis mingeretur, vel sola urina, sed ambo simul invicem permista semper; Videmus autem ordinariò vel urinam tantùm ipsam, vel sanguinem mingi; interdum unum alteri permistum, hoc vel illud copiosius. Sedimenta urinarum quoquè interdum

*Urinæ sedimentum.*

terdum sunt varia, ab urina & colore & pondere distincta, si non statim in ipso urinæ egressu, tamen brevi post. Inde autem liquet quod urinæ sedimentum, qualecunque tandem sit, prius vapor fuerit insensibilis omninò in urina; sicuti urinæ substantia in massa sanguinis utriusque, citius quam vel ad renes, vel ad vesicam prolapsa fuisset; Sedimentum ab urina secretum, urinæ iterum permisceri potest, ut nullum inter ea appareat discrimen; Caloris externi beneficio. Sanguis autem, sive sine sive cum urina excretus, in vaporem redigi nequit, sed qualis egressus est talis manet; atquè inde liquet, quod eam habuerit intus formam prius, quàm habet & servat inde egressus in matula. An autem per anastomosin orificiorum venosorum vel arteriosorum in matulam usque derivatus fuerit? quid ego de re eâ sentiam, in libro primo me explicui; & rationibus certis, eousque quousque per veriores confutatæ non fuerint à contrariam mihi defendentibus sententiam meam comprobavi. Urina

*Sanguis sub propria forma mingitur, non sub vaporosa.*

eorum

eorum qui balſamo ſulphuris vulgari u-ſi ſunt, vel alio aliquo humore oleagino-ſo fragrantiori, fragrans quoquè redditur, etiam intra horæ unius ſpatium; ſi cum aliquo vehiculo volatili, qualis eſt ſpiritus vini, eo uſi fuerint. Verùm non ita tingitur à colore cibi aut potus, ſicuti ab odore. Igitur non eſſet temerarium ſcrutari, an urinæ æquè color ac odor ex utroque naſcatur ſanguine? an ſaltem ex uno color, ex altero odor? atquè quis eorum ex quo? Ita ut ſciamus rationabiliter colori vel odori urinæ alterutri in urina exundanti, occurrere, & vel hunc vel illum ſi peccat, vel utrumq; corrigere. Nam ſi utrinq; utrumque, nempè & colorem & odorem urinæ generari putamus? tum nullus eſt habendus delectus ſanguinis arterioſi & venoſi, ſicuti infra, ita nec ſupra, atquè perinde eſt ſive arteriam ſive venam ſecemus phlebotomando; ſive non majus periculum imminebit patienti à vulnere arteriæ, quàm à vulnere venæ quod tamen nos docuerunt Præceptores noſtri, ipſa denique ratio & ſenſus

*Urina fragrans.*

ſenſus in eo conſentiunt. Nam ex indicio pulſus, arteriarumque continua intumeſcentia earum, & detumeſcentiæ reciprocatione, ſanguinem à ſanguine diſſidere, ſuadet ex parte ſenſus, ex parte ratio. Aqua fluvialis inter ripas fluens dulcis eſt vel inſipida; In mare autem prolapſa ſalſeſcit, tamen ab alio principio nullo, quàm ab eo quod omnem maris aquam ſalſam efficit, ſive earum confluxum in mari moderatur, ad certos fines. Ita principium id quoquè quo ſanguinem arterioſum perpetuo motu exercet; cum in venoſum prolapſum deſerit, attamen aliâ motus ſpecie movet in venis quàm in arteriis; nam niſi moveretur ſanguis in venis, quamvis non ita vehementer uti alter, tunc neceſſario putreſceret, ſicuti aqua ſtagnans putreſcit. Ex ſanguine tamen arterioſo venoſus naſcitur, ex venoſo autem caro & oſſa; Ideò arterioſus ſolos vapores excernit, in humorem autem ſanguineum ipſe deſinit; qui iterum alterius digeſtionis beneficio, ex una parte carnem & oſſa; Ex altera va-

*Arterioſus in nullum humorem deſinit quã Sanguinem venoſum.*

*Urinæ color à Sanguine venoso: motus ex arterioso.* rios generat humores; supra biles & phlegmata, infra serum & ungues. Color tamen in urina vel omnis, vel maximâ ex parte, sic & sapor, & consistentia, ex solo venoso filum trahit; Sed odor, & violentia ejus erumpentis, vel quæ inde surgunt commoda aut incommoda, ea in urinam derivantur ex sanguine arterioso. Quicquid est mobilius vel volatilius in urina; id totum ex arteriis; quicquid autem tardius & fixius, id ex venis in eam derivatur. *Urinæ Sanguis & pus utrinque.* Urina verò cruenta & purulenta utrinque nasci potest; Quia amborum vasorum contentum sanguis est, isque vaporibus plenus; sed arteriosus subtilioribus & velocioribus; venosus autem crassioribus & tardioribus. Ideò ille est spiritibus affinior; hic autem, carni & ossibus; Illius evacuatio largior semper noxia; hujus interdum utilis. Sanguis autem uterque apostasians ad carnem, vel ex vasis suis nativis prolapsus; *Apostemata arteriosa & venosa.* uterque apostemata & ulcera causari potest, sive in pus converti potest in locis quisque abscessuum suorum: Ideò exan-

exanthemata, bubones, carbunculi, ulcera, vomicæ, aliaq; endemica & epidemica mala oriuntur; præsertim autem ex sanguine arterioso; qui quia spiritibus & vicinior & affinior, quàm venosus, omnia quoque vitæ noxiora & periculosiora generat, quàm quæ ex sanguine venoso proveniunt; Ideò bubones Venerei adeò maligni non sunt, uti pestilentiales; sunt tamen crudeles & diuturni, quia non à vaporibus ita, quàm ab humoribus suum ortum trahant; Quod hic de ulceribus & apostematis dicimus, idem & de sanguine ipso arterioso & venoso audiendum est, qui vel cacatur, vel mingitur, vel vomitur. Et quamvis tantus dolor non sentiatur ex sanguinis arteriosi incomodis, quàm venosi; major tamen virium resolutio vel deperditio. Urina loturæ carnium similis, est periculosior omninò sanguineâ; præsertim si pauca, tamen cum magno conatu expellitur. Sed si multa; absque singulari conatu? ea venosa est & minus periculosa. Pallida omninò, vel biliosa; majori ex parte venosa est;

*Urinæ differentia.*

Sed limpida & tamen pallens, arteriosa; qualis solet esse aliquo pestilentiali morbo infectorum, quàm ideò salubrem esse judicamus, quia sanorum urinæ est valde similis. Multa & citrea ultimæ concoctionis est fructus, scilicet venosæ, atque membrorum optimæ constitutionis indicium. Aquosa & diaphana, præsertim pauca, nisi citò in arenulas desinat, imminentis periculosi morbi est index. Non est quidem mei propositi hic, Uromantiam profiteri; sed saltem per certa & sensibilia indicia demonstrare, quomodo Medicinæ Studiosi, aut Practici Tyrones dijudicare debeant, sciant & possint vitia urinæ, ex colore, sapore, odore, quantitate & motu ejus; quæ nempe magis in eam derivantur ex hoc vel illo sanguine. Nam talis cognitionis negligentia, in Medico, multum mali causari potest patientibus; Sed acquisitio & certitudo, Medico multum felicitatis in curæ successu & eventu; patienti autem in recuperanda ocyus valetudine. Nam discrimen facere urinarum ex discrimine san-

*Urina quomodo judicanda.*

ne sanguinis arteriosi & venosi, docuerunt hucusque Medicorum nulli; Sed qui de affectibus urinæ, ejusque signis diagnosticis scripserunt; Scripserunt autem multi multa; in humoribus saltem & communibus signaturis conquieverunr; vel ex urina, non de sanguine hoc vel illo, sed de affectis saltem partibus pulmone, jecore, renibus, vesicâ, &c. inde augurari docuerunt. Miror certè, quod Fernelius, Medicorum hujus ætatis ingeniosissimus, & sagacissimus, nullam omninò differentiam docuerit urinæ venosæ & arteriosæ, quamvis multa præclara & laude digna, de abditis rerum causis publicaverit; Objicient mihi sine dubio multi, uti jam sæpè factum; Quod mihi tantum soli satisfaciam in hæc arcana accuratius inquirendo, non autem aliis. Nec hæc ita ad curationem Hæmorrhagiæ requisita esse, quasi sine eorum cognitione nullus affectus urinæ ab aliquo unquam feliciter curari possit; Multos autem celeberrimos Medicos per orbem fuisse, feliciterque curam omnium affectuum *Objectio.*

Nephriticorum absolvisse, talium subtilitatum ignaros. Hæc quidem vera esse fateor; sed viliora, quàm ut me à continuatione scrutinii mysteriorum, officio & titulo meo subordinatorum, deterrere possint; Ab eventu res judicare vulgi est & fatuorum consuetudo: Multa enim sæpissimè casu contingunt, imò plura aliter, quam ex intentione. An non sæpè cæcus feriit scopum, à quo videns aberravit: Sæpe anus curavit morbum, quem Medici pro desperato reliquerunt: Imò plures convalescunt ægri sine Medicis, quàm illi sunt qui Medicorum operâ utuntur. Tamen præstat officio oculorum frui; Præstat Medico prudenti plus confidere, quàm temerariæ anui; Plus veterano, quàm recenti, & ex Scholis Medicis primum egresso Practico. Qui omnibus satisfecerit in omnibus, hucusque nondum inter mortales visus est: Sapientia autem plures offendit quam fatuitas. Plurimi sunt, qui affectant judicare aliorum res, qui tamen in propriis cæcutiunt; ad actum judicii activè exercendum,

*Responsio.*

*Veterani præstantiores novitiis.*

dum, omninò inhabiles & indigni; digniores ut judicarentur & castigarentur ab aliis: Notum est, stupidos, segnes, hypocritas, calumniari industrios operarios; illisque exprobrare temeritatem, & polypragmosinen. Sed ab initio mundi sic diffidebant animi mortalium, diffidebuntque quousque inter animales ordines animalem vixerint vitam. Nemo quidem pro alio, sed quisque pro seipso est rationem redditurus actorum præteriti temporis. Ego mihi sum cõscius, quod nulla maledicere voluerim, quicquid mihi obtrectaverint ululatu suo & canes & ululæ. Omnem sanguinis minctionem cruentam, purulentam, vel aliquomodo symptomaticam, imò & febres omnes, dolor dorsi comitari solet, isque vel continuus vel intermittens. Ex quo judicant non saltem fatui circumforanei, sed & Medicorum multi regulis scholasticis inebriati, quod sit alicujus obstructionis in renibus, vel ab arena, vel à calculo indicium. Nos autem taliter ex dolore dorsi judicantes, errare dicimus; idque cer-

*Dolor dorsi quorum morborum comes.*

*Dolor dorsi non est index calculi.* tis rationibus persuasi. Verum quidem est, quod arena vel calculus, renibus vel ureteribus infarctus, gravem & obtusum, vel acrem & acutum dolorem causetur in alterutro lumborum latere, dextro vel sinistro; aut passionis alicujus sensum in ureteribus, eorumque canalibus. Sed omnem dolorem dorsi, ab arena tantum, vel calculo oriri, contradico. Alias oporteret omnes febricitantes, omnes hydropicos, dysentericos, nephriticos calculosos esse. Sed vapores soli sunt, iique valdè salsi, acres, graves, violenti, supernè deorsum descendentes, vel infernè sursum ascendentes, & in trunci iliaci concavitate sibi mutuò occurrentes; In venis enim est continua massæ sanguinis fermentatio; sic & in arteriis; Hic communissimè vehementior & celerior; illic remissior & tardior; vel in venis humorum; in arteriis autem vaporum. *Vaporum violentia.* Nemo autem miretur audiens de vaporibus, quod ex eis & plura & vehementiora mala nasci possint, vel patientibus infligi, quam ex humoribus vel succis crassioribus. Nam

si solus

si solus vapor epilepticus potest prosternere totū corpus? quidni possent idem efficere plures, quamvis quoad saporem & vehementiam impetus, epileptico vel apoplectico mitiores. Nisi fortassis negaverimus à vaporibus generari apoplecticas, vel epilepticas convulsiones: Cum tamen id scribat & Galenus ipse, & Doctissimus Fernelius; Quamvis multi sunt, qui tales affectus, nec certum habere initium, nec certam sedem asserant. Sed de his in peculiari tractatu prolixius agemus. Constat etiam omnibus, aliquo modo saltem constitutionis humanæ corporeitatis, conscii, nec arterias aliquando vaporibus destitui; nec venas humoribus, homine superstite; Id enim de arterioso sanguine attestatur continuatio respirationis in & exspirationis: De venoso autem, indefessa biliosorum excretio docet. In momento quidem fit vaporum generatio, à seminalibus virtutibus; sed vapores ab exordio ortus sui, non ita sunt sensibiles, uti post fiunt, maximè autem mox in humores desituri.

*Vaporum generatio fit in momento.*

Necita citò in humores concreſcunt, quàm citò primum ex tenebris in lucem eruperunt. Ex humoribus naſci poſſunt vapores, ſenſibilis caloris impetu, qui ejus medio multiplicari quoquè poſſunt, vel diſcuti, donec omninò evaneſcant: Ita frigore poſſunt vapores in humores cogi. Sed vapores immediatè ab anima prodeuntes, vel ab aliquo ſeminali principio in chao ſanguinis occulto, æquè ſine frigore coagulari poſſunt, ac ſine ſenſibili calore diſcuti: Ita ſine caloris vel frigoris omni ſenſu generatur & ſanguis ipſe, & alii humores tum nutritivi tum excrementitii, tum utiles tum noxii futuri; Nullibi autem vel in nulla corporis parte ita junguntur vapores & humores arctè, arterioſi & venoſi, in maſſam quaſi unam, quàm in medio ſpinæ dorſi, in loco eo in quo venæ cum arteriis unus fiunt truncus; ex quo trunco iterum in ramos aſcendentes & deſcendentes ſe explicant. Cui loco proximè adjacet pancreas, venæ meſaraicæ, emulgentesque dictæ, uti venæ ita & arteriæ. Nam truncus Iliacus

*Vaporum generationis modus duplex.*

acus, dorso ipsissimo infixus est, ex arteria magna & vena cava compositus; qui tamen mox ab utraque parte in peculiares ramos arteriosos & venosos, tum ascendit, tum descendit; In quibus autem locis concurrunt vasa suorum orificiorum anastomosi, in iisdem concurrunt vasorum contenta vaporosa & humorosa; sicuti rami arteriæ asperæ cum vasis arteriosis cordis, in quibns sibi occurrunt vapores tum intus erumpentes, tum extra attracti. Nam nisi esset anastomosis arteriarum exsanguium cum sanguineis; nec vapores possent ferri ex arteriis versus fauces; nec à faucibus aër ad orificia arteriarum deferri. Si verò valvulæ sunt quæ appositæ orificiis venarum vel arteriarum hiantibus; id scrutentur Anatomici. Nos ratio docet, nullam dari penetratioem vaporum vel humorum sensibilium, sine læsione continuitatis vasorum. Qui autem vapor aut humor cui prævalet in occursu vel concursu; id innuit passio in sensu, circa truncum iliacum, oborta.

*Iliacus truncus adhæret dorso.*

orta. Vapores cum vaporibus coeunt vel diſſident occultius; ſed humores cum humoribus & vaporibus manifeſtiùs. Id docet magnetis & ferri exemplum; virgulæ metallicæ & argentelli; Auri, argenti vivi, & plumbi: Olei & picis; aquæ, & ſalis; hoc enim cum humiditate aquea uniri poteſt, ſed non cum oleaginoſa, vel aliqua pingui, niſi utriusque prius præcedat præparatio. Vapori, qui ponderari ipſe nequit, ponderoſiſſima cedunt; Sed vapor humori non ſemper cedit loco, ſed ſæpè ei permiſcetur & unitur, ita ut ab humore diſcerni non poſſit, etiamſi unum nō ſint. Diſſidentes autem vapores vel humores, ſenſibiliter ab invicem divulſi peculiares petunt locos, & induunt formas, poſteriores à prioribus diverſas, & cauſantur quoquè ſingula peculiares in ſenſu dolores. Dum Anatomici ſingulari induſtria, aliquid novi reperiunt in aliqua corporis parte, cujus nulla prius ab aliis illius artis Præceptoribus vel Profeſſoribus mentio facta fuit; vel non adeò accurrata ut illi eam oculariter

ter conſpexerunt; quamvis obſervatio illa nihil conferat utilitatis ad cognitionem cauſarum morbi, vel curæ felicitatem; ſed ſit ſaltem induſtriæ eorum ſingularis teſtimonium, & augeat numerum obſervationum anatomicarum; Tamen ſe tripodem aureum reperiiſſe putant, & in ſuis ſcriptis jactant. *Anatomicorum gaudium.* Nemo mihi quoq; ingenuus invidebit gaudium meum; quod ego ſcilicet geſtiam me reperiiſſe, quod vel neglexeruntomninò, aut ſaltem reticuerunt à nobis, Medicinæ antiqui Doctores, qui noſtri Præceptores fuerunt; Ego verò libenter communico cum lectoribus, non ideò ut mihi ſimpliciter credant ſedùt me imitentur, & quod in me deficere deprehenderint, ſui ingenii abundantiâ recompenſent. Scio enim meæ hujus induſtriæ magnum fore commodum in curanda hæmorrhagia quavis; ſi nempè ſciverimus facere diſcrimen ſanguinis arterioſi à venoſo; Qui revera diſcernendi ſunt, quia id nos facere jubet natura ipſa, ſi non aliis indiciis, tamen vaſorum ſanguineorum *Venoſus Sanguis ab arterioſo diſcernendus.*

rum

rum conformationis diſcrepantiâ: Aut ſi nullum eſt faciendum diſcrimen ſanguinum; nullum quoquè eſt habendum diſcrimen membrorum pulmonis, cordis, hepatis, renum &c. Dolor dorſi minctionem cruentam & purulentam, antecedens, vel concomitans, nunquam eſt, ut inutilis, deſpiciendus; ſemper enim eſt vaporum in ſanguine diſſidentium index, ſcilicet deſcendentium & aſcendentium, à vaporoſitate in humoroſitatem, vel ex humoroſitate in vaporoſitatem abeuntium. Sunt aliæ quoquè circumſtantiæ in hoc affectu à Medicis obſervandæ, in cura utiles & neceſſariæ, qui non ſoli nomini mederi volunt, ſed ipſiſſimo morbo. Putare enim noſtrum non eſt cógnitio cauſæ vera, & rationalis; ſed conceptui noſtro conformis. Purulēta & cruenta minctio ab utroque ſanguine indifferenter naſci poteſt, ſed alia ſunt indicia in ea ſanguinis venoſi, alia arterioſi. Pondus enim à ſanguine venoſo oritur, ſed conatus mingendi abſente pondere, à vaporibus arterioſis. Pus quoquè nullum ex venis aut

*Putare non eſt ſcire.*

aut arteriis ad vesicam amandatur, sed solus sanguis, aut serum utrinque. Ex sanguine autem per ureteres in vesicam prolapso, ejusque illic longiori mora, nascitur pus, vel substantia sanguinis mutatur in pus. Impetus enim vaporis sanguinei, quāvis in sanguinis minctione extraordinarius sit, non tamen semper est æqualiter vehemens, sed alius ultra renes non pertingit; alius ad vesicam usque; sed qui foras erumpit secum sanguinem rapiens, ille est vehementissimus. Possunt itaquè mingere pus, qui prius sanguinem non minxerunt; Sed qui sanguinem aliquandiu minxerunt, illi subsidente sanguine necessario purulenta mingunt, sive multa, sive pauca; quoniam sanguis in vesicam prolabitur, quamvis non erumpat foràs. In vasis enim suis nativis sanguis putrescere nequit, animali superstite. Quamvis aliter sentiant Medici pleriq;, qui scilicet febres omnes, aut certas ex putrefactione sanguinis in venis fiente derivari docent; quib9 nos in peculiari tractatu de febribus, rationabiliter occurre-

*Pus mingitur sine sanguine, sed sanguis non sine pure.*

*Sanguis in vasis suis nativis non putrescit.*

curremus. Extra vasa autem prolapsus, etiam in ipsis emunctoriis, in quibus fermentatio cessavit, ita & in manuum & pedum extremitatibus, nisi cito in ungues abeat putredini fit obnoxius; ita & in carnes apostasians ulcerum, bubonum, phlegmonum, exanthematum, scabierum, leprarum, carcinomatum, tumorum, scyrrhorum, œdematum, est generativus. Testimonia antiquitatis vel multitudinis, & experientiæ, æquipollere quidem possunt rationi, sed nunquam illi prærogare. Ex sanguinis vel puris spontanea eruptione, docuerunt nos Præceptores nostri judicare de alicujus interioris membri exulceratione; Cum tamen omnibus benè habentibus & sanguis & pus, per fauces, per monoculum, & per genitalia excerni possit; ita etiam citra omnem diabrosin, vel continui solutionem. Caseus vel butyrum non potest putrescere in lacte, quia actu illic neuter est. Ita nullus humor bilis, vel pituita putrescere potest, donec adhuc sub homogeneitate sanguinis occultantur. Sensibilia autem

*In venis nullus humor putrescit.*

facta

facta, à sanguinis massa excernũtur, ad emũctoria hæc vel illa; aut ad carnes abscessum faciunt, in carnibus in ulcera vel vomicas desitura. Generatio autem bilis ex sanguine, non fit actu putrefactionis propriè sic dicto, sed actu digestionis aut fermentationis: absurdum enim esset dicere quod cibi in ventriculo putrescant, dum eorum illic digestione fiat vaporum nutritivorum vel seminalium à corporeis & excrementitiis segregatio; vel dicere mustum in vase putrescere, dum fermentatur & defæcatur. Alius enim est calor putrefactionis author; alius fermentationis comes; Ille surgit ab extrinseca aliqua occasione; hic autem immediatè à spiritibus ipsis seminalibus ex insensibilibus centris, in sensibiles formas erumpentibus. Putrescit tamen & sanguis in corpore, sed extra vasa sua nativa; ita quoque putrescit cibus in stomacho ægri; & humores in suis emunctoriis, vel in vasa peregrina prolapsi. Putrescit quoque sæpe & vinum, & mustum, & acetum, & sal ipsum, quamvis remedium adversus

*Caloris putrefactivi & digestivi diversitas.*

putredinem esse judicetur; Dum scilicet ad usum humanum inutilia redduntur. Igitur non materiei solius est habenda ratio, in examine alicujus mutationis, alicubi in nobis fientis; sed maximè formæ ipsius, mutationis illius causæ. Sic non saltem respiciendum est in medicamentorum sapores, odores, colores, in cura hujus vel illius affectus; sed in peculiarem cujuscunque substantiæ seminalem rationem; quæ non semper est consona cum externis & sensibilibus signaturis; sed sæpè ab illis discrepat. Non spirant dulces vapores, vel coloratos, vel odoriferos, vel fœtidos, humores vel succi colorati, sapidi, odoriferi fœtidi; Et quamvis id interdum fiat extra nos in destillatione artificiali; Tamen mutatio humorum in corpore nostro, multum differt ab artificiali.

*Spiritus nutritivi cum nutriendis concurrunt nudi.*

Spiritus enim nutritivi cum nutriendis congredi debent, nudi cum nudis, sive insensibiles cum insensibilibus; Ideò vapores ex potulentis & cibulentis materiis halantes omnibus externis & sensibilibus signaturis spoliari debent citius quam

quam ſpiritus uniri poſſunt animalibus, eis materialiter ſubſerviturі. Diaphani omninò ad oculos; inſipidi in linguam; ſine odore ad nares; ſine rugitu vel tinnitu ad aures; ſine pondere ad locomotivam; & ſine calore vel frigore manifeſto ad tactum. Vapores enim ſunt ſubſtantiæ mediæ inter ſenſibiles & inſenſibiles corporeitates, ſpiritus humoribus & humores carnibus connectẽtes. Extrema enim cum extremis non communicant niſi per media. Quia autem vapores & humores morbifici, ſenſibiles ſignaturas habent, ideò membris & ſpiritibus oneroſi ſunt utrique, citius quàm inſenſibiles fiant: Nos autem in eum finem ſenſibilia adhibemus, atque hoc in ſenſu ſimilia ſimilibus curamus; quæ tamen poſtmodum in corpus noſtrum ingreſſa, illa quæ nos ſenſibilitate ſuâ intus moleſtabant, tincturis nobis oneroſis ſpoliant. Talis eſt vis illa magnetica, quam multi deprædicant ex effectis; ſed pauci agnoſcunt nudam. Talis eſt virtus à Medicis totius ſubſtantiæ nominata, cujus virtutes & effectus *Vapores quid ſunt?*

inter occultas qualitates recensentur, à Physicis vulgaribus. Si itaq; secundùm hanc Regulam, quæ est certissima, dirigenda cura est minctionis cruentæ & purulentæ? Tum considerare debemus, quod affectum curamus, & pro præsenti molestum, & in futuro periculosum, periculosiusq; tandem aliquando, quàm præsens est dolor. Nam quamvis hodie sanguis mingatur sine dolore; Cras tamen ita futurum non est: Hodie excernimus pus cum urina, sine omni conatu; sed cras conatus mingendi erit molestior, quàm urinæ pondus aut sapor. Quia autem duo sunt renes, duæ identidem venæ & arteriæ emulgentes, per quas & sanguis & serum ad vesicam labitur: Quapropter considerare nos oportet, an ex utroque latere malum oriatur, vel ab uno saltem, sive lævo sive dextro. Non enim uterque oculus simul læditur; ita nec uterque ren obstruitur, vel afficitur à sanguine æqualiter, aut exulceratur; si communibus verbis uti debemus. Aut venæ, arteriæ, renes, ureteres, absol-

vendi

vendi erunt ab omni vitio; & sola vesica exulcerata, vel alio aliquo modo læsa judicari debebit, à qua urina cruore vel pure inficitur. Nam alios vapores spirat butyrum putrescens, alios caseus, quamvis ambo ex uno lacte nata sint; alios item vinum, alios tartarum, vel amurca, ex uno eodemque succo nata omnia. Alios denique sudor, urina, fæx alvi ex uno eodemque vel cibo & potu, vel sanguine generata. Ita aliæ tincturæ derivantur in urinam ex humore bilioso, aliæ ex pituitoso, aliæ ex venoso, aliæ ex arterioso; si non specie, tamen gradibus differentes. Peste correptorum urina, ab urina sanorum nihil discrepat; quia arteriosus sanguis tum maximè laborat, minus venosus; tales autem urinæ grassante aliquo morbo epidemico sunt periculosissimæ. Et sæpè multi moriuntur, citiùs quam malum ad sanguinem usque venosum pertingat, nullo bubone, exanthemate, vel carbunculo erumpente. Sæpè nec in venoso, nec in arterioso sanguine malum est, sed in solis spiritibus occulta-

*Urina peste correptorũ sanis sunt similes.*

Nn 3 tur.

tur. Dum autem sanguinem mingimus, tum nervos ab omni periculo liberos esse judicandum est; Et causa illius affectus soli sanguini est imputanda, venoso nempe, aut arterioso; nisi pariter omnia infecta sint. Qui multo potu onerarunt ventriculum, sive inebriante, sive non inebriante, illi multis admodum vaporibus onerarunt cerebrum primò atque nervos; hi arterias quoq; infarciunt multis humoribus, salsioribus vel acrioribus, quorum indicia sunt urinæ albæ & copiosæ. Discussis autem vaporibus, & per exspirationem aut sudorem evacuatis, urinæ pallescunt magis vel rubescunt, sive ad priorem statum redeunt; atque inde liquet urinam nullâ bile tinctam, è solis arteriis nasci; sed coloratam à sanguine venoso, qui humores excernit plures quàm vapores, coloribus infici. Paucissimos enim vapores videmus coloratos esse. Sed extracta & decocta omnia; si non rubent omninò, tamen aliquo modo, aut pallent. Indeq; arguere possumus, quod si urina omnis coloris sit expers, sit

*Vapores colorati rarò sunt.*

ſit arterioſa; ſed colorata; venoſa. Quæ itaq; urinam colore ſpoliare debebunt, maximè ut ſint vaporoſa, ſpiritualia & volatilia neceſſe eſt; quæ ſubitò arterias penetrent, citius quam ad venas pertingant. Si urinam ebriorum cum urina ſobriorum contulerimus, tum videbimus, hanc eſſe coloratam, non illam; Ita & illi qui ſanguinem mingunt ſobrii, ab ea immunes fiunt, quamvis ad breve tempus, ebrii; ſi aliquod habet momentum experientia in demonſtratione veritatis; certè id quod hic ſcribo, in me ipſo expertus ſcribo; non audita vel lecta aliorum refero. Per aliquot enim ſeptimanas hujus affectus, ſine dolore tamen omni, paſſione vexatus, quotiescunque largiori potu vel vini vel cereviſiæ me oneravi, toties urinam limpidam vel ſine ſanguine minxi; Sed per ſomnum crapulâ diſcuſſa, recidivam paſſus ſum. Sæpiusq; continuaſſem largiorem hauſtum, niſi interdum defectus pecuniæ, interdum & nobilioris potus, quo Exercitus Suecicus integer laboravit, me impediviſſet,

*Urina ebrii & ſobrii differunt.*

*Largior vini hauſtus in cruenta minctione noxius non eſt.*

Atque hinc concludo, quod in sanguinis minctione cruenta, sed critica, imò & in purulenta, non julápia, decocta, vel extracta aliqua, aut pulveres adstringentes, & refrigerantes exhibendi sint; sed aquæ, aut spiritus destillati, volatiles, iique subtilissimi & fragrantissimi, qui sine mora nervos afficere, atque sic per solas arterias corpus integrum permeare possint. Si nempe sanguis multus mingatur, & sine singulari conatu, vel passionis sensu; Quod si verò urina sit pauca, vel sanguis qui mingitur, tamen cum singulari conatu, vel dolore dorsi, & colis excernatur; tum prudendentiam in Medico aliam quoque exigit. Tamen semper in omni cura cruentæ minctionis odor, color & pondus urinæ est observandum. Odor enim urinæ, non ex venoso, sed arterioso sanguine procedit. Igitur malè agunt, qui in obstructione urinæ, usum vini, ejusq; fortioris improbant; sub titulo caloris; Calidiora enim sunt aromata omnia; quam vinum ipsum; hoc enim uti citissimè cum spiritibus conjungitur, ita ci-

*dor urinæ x arteriosa anguine.*

tissimè

tiſſimè quoque emingitur; Imò ne hydropicis quidem vinum prohibendum eſt, ejus præſertim avidis, & prius non cõſuetis. Sol⁹ color, calor, æſtus, ſaporq; acrior urinæ, è venoſo ſanguine naſcitur. Quia hic ſanguis humores maximè excernit; ſalſos, biliosos, phlegmaticos, vapores autem pauciores; Arterioſus verò, non humores ita quàm vapores, facilè tamen in humores coagulabiles, in ramis præſertim arteriarum inferiobus; in quibus omnia per ſe graviora fiunt. Diaphoretica in minctione urinæ cruentâ, ſed multâ, conducunt; ſed in paucâ, noxia ſunt: Quia impetum ejus reprimunt, ideoque ex cruento ejus fluxu, purulentum efficiunt. Alvum ſolventia, noxia quidem non ſunt, attamen parum proficient, ſi ex arterioſo ſanguine fiat ortus mali. Sed ſi ex venoſo; tum diuretica, ex radicibus vegetabilium potiùs, quam ex floribus, herbis, ſeminibus eorum compoſita, maximè erunt conducibilia. Flores & ſemina arterioſo malo conducibilia ſunt. Semina oleaginoſa, carvi, *Radices vegetabilium diuretica ſunt.*

anisi, fœniculi, &c. cuicunq; urinę cōducunt, & multæ & paucæ; sed nulli quæ cum singulari conatu mingitur; Omnia enim pinguia & quocunque modo fragrantia impetum urinæ augent, etiam in urina pauciori, quæ solo pondere nequaquam ad egrediendum coacta fuisset. Urina quidem utrinque nascitur & ex cibo, & potu; Tamen sunt, quibus largior nascitur ex cibo quàm ex potu; Quamvis communiter largiorem potum, largior quoquè urina, & mingendi conatus sequatur. Quam naturarum diversitatem Medicus in praxi suâ prudentiâ discriminare sciat, ægrorum seriori examine. Quod nullas hic quoq; medicamentorum formulas adjicio, vel receptas. Studio & datâ operâ id à me & hic factum & semper fieri scitote ingenui lectores; non enim circumforaneis, vel alicui ex Empiricorum grege, laborem hunc meum consecratum volo, sed non nisi Medicis Rationalibus, ægrorum potius utilitati, quàm Pharmacopolarum lucri studiosis. Quicunque ingenio valent & prudentiâ, illi ex his meis

meis, varias poterunt concipere medicamentorum formulas. Quamvis ego sim simplicitatis studiosissimus. Hoc tamen sub finem adjiciendum esse utile putavi; Quod nempè consolidantium & glutinantium nulla omninò hìc sit necessitas; nulla utilitas; Quia in sanguinis minctione cruenta vel purulenta, nulla omninò adest exulceratio, nulla diabrosis.

*Simplicia medicamēta composītis praeferenda.*

---

## Caput VIII.

### *De Gonorrhaea Cruenta & Purulenta, ejusq; Cura.*

Testes, Parastatae, Prostatae, & quocunque alio nomine insigniuntur vasa spermatica in maribus & foeminis, quicquid habent contenti, sive vaporosi sive humorosi, sive intus haerentis, sive extra erumpentis, id omne, sicuti vasa urinaria, à venis simul & arteriis, nervisq; excipiunt. Nam sicuti duae sunt venae, totidemque arteriae emulgentes dictae; Totidem quoque sunt vasa spermatica, ab utro-

*Vasa spermatica.*

ab utroq; latere discreta ab ureteribus, & ab invicem, tum situ, tum nominibus, tum orificiis in diversas partes hiātibus, Quæ singula, si quis latius examinare vult; in scholis & scriptis Anatomicorū sufficientem reperiet materiam, voto ejus respondentem. Nos hic vitia saltem in spermate & ex spermate nascentia, breviter contemplabimur; eorumque aut mitigationis, aut abolitionis recensebimus modum & requisita: Si non Empiricis & circumforaneis, tamen rationalibus Medicis satisfactura. Canales itaquè ex venis & arteriis ab utroque latere versus testes & colem in maribus; in fœmellis autem, versus uteri cervicem & vulvam hiantes, vasa spermatica dicuntur. Non quod semper in eis spermaticus humor vel succus elaboretur, vel contineatur; sed dum generatur, quod nullibi extra ea generetur, & per ea generatus, excernatur. Interdum enim per longiores años nullum in eis est contentum humorosum, quod sperma dici possit aut debeat; scilicet à nativitate ad annum usq; duodecimum,

*Vasa spermatica non semper sperma habent.*

cimum, quatuordecimum, imò & plures; horum enim numerum determinare nemo ſcit, in quibus ſcilicet ſpermaticus humor generari incipiat, aut ceſſet; in aliis enim ſubjectis & citius generari incipit, & tardius deſinit. Non nulli à natura ſpadones naſcuntur ad Venerem omninò inhabiles, eamque faſtidientes; quamvis pauciſſimi; quidam per morbos, per faſcina, per actualem teſtium contuſionem vel reſectionem tales efficiuntur: Tamen vaſorum ſpermaticorũ in eis remanet ſitus, & numerus, vel canales. Si non humorũ tamen vaporum feraces; ſi non ſperma tamẽ ſanguinem, non quidẽ ordinariò, ſed interdum, expellentes. A vaporibus itaquè ſpermaticis nec infantes, nec adulti, nec juvenes nec ſenes, nec mares nec fœmellæ, immunes ſunt; ſed ab ipſo vitæ exordio illis impetuntur, alii aliis frequentius & vehementius. Nam ſcroti & teſtium tumores ſcyrrhoſi & œdematoſi, herniæq; flatulentæ puerorum, non aliunde capiunt ortus ſui exordium

*Vapores ſpermatici adſunt, ubi humores deſunt.*

um vel materiam, quàm ex vaporibus arteriosi aut venosi in vasa spermatica impetum facientis sanguinis, in testes, in scrotum, imò & in penem irruentibus. Si scilicet credendum est Anatomicis docentibus, quod urina venarum vel canalium spermaticorum, sinistra videlicet, ab emulgente vena oriatur. Si autem inde oritur; tum sine dubio ejus orificium quoq; hians ab emulgente excipitur; ita ut possit & ab emulgente in spermaticam, & vice versâ ex spermatica in emulgentem fieri contagium. Solent interdum in urinis infantum septennium & minorennium, in fundo matulæ apparere grumi sanguinis concreti, exigui quidem interdum, interdum majores; eos autem potius ex vasis spermaticis quàm ureteribus prolabi in genitalia, inde conjicere possumus, quod in genitalibus ad vesicæ collum sentitur dolor gravis & obtusus, qui tandem elapso sanguinis grumo cessat, urina tandem sine molestia manante. Ita in virginum urinis sæpè volitant grumi sanguinis, sed spermatici non uterini, vel

*Sanguinis gutta in urina malum.*

vel ex ureteribus eo derivati, sed ex vasis potius spermaticis; In quibus autem urinis id apparet; illi patientes sunt valetudinarii, & tamen salaces. Non esset quidem inutile si demonstraremus causam, quare nempe sperma non æquè citò nascatur in vasis ejus generationi dicatis, ac sanguis & urina sed ejus generatio differatur in ætatem provectiorem; Et terminetur ocyus, quàm sanguinis & urinæ proventus. Sed ob tractatus hujus compendium, materiam hanc, generationis spermatis & lactis tarditatem concernentem, aliò differemus. Spermificationis autem jam cœptæ, aut interruptæ, vel vitiatæ, aut omninò abolitæ actus causam, hic saltem examinabimus; quo omni spermatis defectui, vel exinde nato affectui, prudenter & feliciter occurrere, vel subvenire sciamus; à patientibus in hunc finem vocati. Gonorrhæa, non est propriè fluxus spermatici humoris cujuscunque, sed ejus saltem jam generati & maturati involuntaria eruptio, citra omnis voluptatis sensum. Sed nos sub hoc

hoc titulo, omnem ſpermatici humoris, cruenti, purulenti, & bilioſi fluxum complectemur. Gonorrhæa, ſive fluxus alicujus humoris ex vaſis ſpermaticis, ejuſque vel propriè ſic dicti, vel cruenti adhuc, aut purulenti, non tam voluntarius quàm invitis patientib⁹ fiens, flagellum quidem eſt ſcortatorum & ſcortorum communiter, quæ immoderato venerei actus exercitio delaſſati potius quàm ſatiati, evacuato omni ſpermate, ſanguinem ipſiſſimũ in vaſa ſpermatica ad genitalia usquè prolectarunt, vel in teſtes; qui eo prolapſus per vim, non in ſperma deſinit, ſed in pus, vel purulentum humorem mutatur, non ſpermati ſed ſanguini conformiorem, quem varia turpia & crudelia ſymptomata comitantur, de dieq; in diem pejora ſequũtur, bubones nempè venerei, ulcera genitalia erodentia, & multò plura alia etiam dictu turpia incommoda.

*Gonorrhæa eſt ſcortorũ flagellum.*

A vaporibus ſolis, in ætate etiam venerei exercitii ignara, vaſa ſpermatica permeantibus, ſæpè ingentia naſcuntur ſymptomata, quæ non tam peccatorum pœnæ

*Vapores ſpermatici infeſti juvenibus.*

pœnæ ſunt ea patientium, ſed reliquiæ pœnarum à parentibus meritarum, in prolem derivatæ? Tantò majores autem, crudeliores & periculoſiores ſunt dolores & morbi qui ex humoribus ſurgunt, proprio patientum vitio, vel libidinis exceſſu. Omnes Gonorrhœæ ſpecies moleſtæ ſunt patientibus, non quidem omnes ob dolorem exæquo ſed ob turpitudinem. Inter omnes & turpiſſima & crudeliſſima eſt bilioſa; Cruenta ei proxima, Purulenta, mitior; Aquoſa diuturniſſima hæc enim citra omnem Venereæ libidinis exceſſum oriri ſolet; à ſanguinis ipſius, vel teſtium depravata virtute; ab aliquo ſeminali principio veneris inimico. Non autem ſaltem ſcortorum & ſcortatorum flagellum eſt Gonorrhœa; ſed & legitimi conjuges in eum affectum quandoque prolabuntur, quamvis rarius. Nam nitimur in vetitum cuncti cupimusque negata. Atquè ferventiores ſe exhibent in Venerei actus exercitio, cum ſcortis congredientes, quàm cum legitimis uxoribus, multi. Si autem ultra ordinariam

mensuram lasciviat conjugum alter, præsertim fœmina, masculus autem ei satisfacere volens, non tam amore Veneris, quàm pudoris metu, si satisfacere sociæ thori nequiverit, supra vires defatigatur, & se spermatico exinanit humore, atque ea occasione, si non in Gonorrhaicum affectum devolvitur, tamen in alium illo pejorem; scilicet in sanguinis screationem, cacationem, minctionem, phthisin, fluxum hepaticum, &c. Rari sunt mares, qui æquè sint validi ad Venerem seniores, uti juniores: Sed raræ fæminæ, quæ non æquè imò plus lasciviant in anili ætate, ac in juniori. Pudet tamen fœminas fateri excessum earum libidinis, quamvis sciant multæ, se aliquot vicibus suos excellere viros; Ita pudet & viros fateri, defectum virilitatis in eis, ad satianda uxorum desideria requisita; Multi revera graviter laborant usque ad mortem viri, imò & exanimantur à Venere, qui ante nuptias satis vividi & validi fuerũt. Et tamen uterque ignorat morbi causam; Et quamvis interdum cognoscant

*Immoderata Veneris mala.*

eam,

eam, tamen nemo aperire vult ſui cordis occulta; Niſi Medicus prudentiâ ſuâ latentem ſub herba anguem deprehenderit; Sed & illi utilior eſt taciturnitas, ſi evitare vult iram fœminarum; nam ſunt multæ quæ malunt perdere virum, quàm deſtitui voluptate carnis. Spermatis materia ante perfectam maturitatem egredi coacta violentioris Veneris impetu, occaſionem objicit alteri humori immaturo quoq; in ſuum locum ſuccedendi, qui identidem violentiori Veneris exercitio juſto citius excretus, ultimo ſanguinem purum putum ad teſtes prolicit, qui in teſtibus non maturescit, vel in ſperma non mutatur, ſed in purulentum humorem, qui tandem ſemper per genitalia manat, convertitur, ſive putreſcit; ſicuti in alio aliquo ſanguinis exceſſu vel apoſtemate contingit; niſi quod hic patet putreſcenti aut putrido humori liber exitus; alibi autem rumpi citi⁹ cutis oporteat, quàm quod ſub ea putruit aliquandiu, erumpere poſſit. Nullibi enim datur vacuum, ſed quæ ſe mutuò contingunt, ea

*Spermatici fluxus cauſa.*

ſibi mutuò ſuccedunt; ſed moto uno movetur & alterum. Sicuti in defæcatione zythi, quod primum per orificium vaſis egreditur, ſpumoſum omninò eſt, & fæculentum; quod ſequitur, gravius & ſolidius; quod ultimò; zythi eſt ſubſtantia, vel ei affiniſſimus humor. Ideò quoque fit, quod infantes ex uberibus matrum ſugant lac primum; deficiente autem lacte, omne obvium, ad ſanguinem usque. Quæ autem lacte abundant fæminæ, illæ non ſaltem infantem unum, ſed & plures lactare poſſunt ad ſatietatem. Ita ſæpè violentum aliquod purgans, non tantum fæces alvi, vel contenta inteſtinorum omnia, ſed & contenta venarum meſaraicarum, venarumque illas contingentium foràs ciet; In generatione autem carnis & ſanguinis alium proceſſum ſervat Natura; à nervis enim facit exordium; perque ſanguinis arterioſi, mox venoſi proventum, carnis & pinguedinis ſucceſſione ſuos actus terminat. Talis eſt quoque ponderum, ſaporum, odorum, colorum, aliarumque ſenſibilium corporei-

*Generatio carnis & pinguedinis eſt actus nutritionis ultimus.*

poreitatum ex tenebris in lucem motus succeſſio. Ab extremis ad extrema immediatè ſaltus non fit, niſi per media; eorumque varias ſpecies, & individuorum gradus ſucceſſio; à primo cujusq; & ſpeciei & individui ordine ad ultimum. Octava quæque facit novæ numerationis exordium. Qui itaque vult curare turpem hunc & crudelem affectum, fundamentaliter; Neceſſe eſt, ut incipiat à priori, non autem à poſteriori; ſcilicet à Genitalibus, ubi dolor ſentitur; ſed ab affectu, in quo eſt voluptas Venereæ libidinis irritatrix. Non fluxum ſaltem ſpermatici humoris cohibendo; ſed laſciviam patientis mortificando. Qui aliter in opere procedit, illius cura vel admodum diuturna erit, vel omninò irrita: Quicquid enim putat ſe profeciſſe Medicus in præterito; id patiens uno momento deſtruit totum, affectus Venerei luxurià. Ideò maximè ſtudendum eſt Medicis, ut affectum in animo patientis luxuriantem frænent, talibus mediis, quæ illi actui ſunt maximè congrua. Medicamenta

*Octavus gradus facit nova numerationis exordium.*

*Affectus Venerei compeſcendi primùm.*

quæ ſimpliciter calefaciunt vel frigefaciunt, affectuum furori prævalere non poſſunt; ne ipſa quidem caſtratio, vel teſtium amputatio id facit, quamvis ſpermati generando idoneam ſubtrahat materiam. Sola patientis voluntas & arbitraria obedientia, conſilio Medici, maximam habet efficaciam. Affectu hoc modo mortificato, reliqua in corpore reſidua, & ab affectu pendentia, & humores, & vapores per ſe miteſcunt, & fiunt ſimilia cadaveri exanimi, atque tunc leviſſima quæque intus exhibita, vel extra admota, breviſſimo tempore felicem & ſucceſſum & eventum acquirunt. Exempla in ſacris multa legimus. Ulcera deſtituta à ſanguine affluente, ſanguis à vaporibus derelictus, vapores ab effectu, exareſcunt; ſive ſunt quaſi non eſſent. Sed quia Medici & Chyrurgi præpoſterè procedunt in cura Gonorrhœæ, ſeq; patientibus accommodant, ideò ſibi provident & Pharmacopolis. Si autem ægri ſic à Medicis tractari poſtulant, noſque quamvis inviti, ipſis tamen obedimus, vel metu iræ eorum,

*Ulcera exareſcunt quãdo.*

aut

aut necessitatis lege coacti: An sinistrioris eventus causa nobis vel ægris imputari debeat? Judicent æqui Lectores. Tamen summopere cavendum est, ne Medicorum ignorantiam patientes luant, virium vitæque dispendio. Quia autem in principio fluxus humoris spermatici nulla statim adest vasorum spermaticorum, vel genitalium exulceratio, sed sola humorum spermaticorum turbatio, per ablatam eorum debitæ maturitatis commoditatem; ideò si cessarent patientes post turbare sanguinem, & humores vel vapores spermaticos; tum facilè primus error reduceretur, imò rediret in ordinem. Sed qualis in affectu fuit furor, tempore absçessus spermatici humoris, comitatur communiter patientes, tamen, qui putant se non citius liberos futuros â passione sua, nisi redeant ad Venerem; ideò malum ingravescit in affectu, ingravescit in humore, & in membris, donec omninò exulcerentur omnia. Optima est cura, & felicissimè cedit, dum patientes idem agunt in af- *Gonorrhaici affectus compescere debent.*

fectus suos, quod Medici in humores & membra: Scilicet ipsis cavent à scortis, & omni sodalitio ad tales turpes actus irritativo. Sed qui jam aliquandiu fluxum humoris spermatici passi sunt, ita ut humor Gonorrhaicus non solum purulentus, sed & cruentus, & fœtidus evaserit. Nisi ambo testes infecti sint, Id enim an sit vel non sit, videre est ex erectione virgæ, quam sentiunt Gonorrhaici; hæc si continuet in fluxu Gonorrhaico, bonum est indicium, infectionis non absolutæ; Atq; talibus non omninò prohibēda Venus, sed spatio mensis uni9 permittenda, tamen nō nisi semel ad summum; Nam evacuato tunc pure, materia spermatis ad vasa spermatica revocatur, servatâq; Veneris modestiâ, in ordine custoditur. Affectibus sub potestatem ægri redactis; Balneandum frequenter, & sudandum alternatim; non in vaporariis, sed in vasis, in quæ totum corpus immergi possit; Aquæ incoqui debent Herbæ Diaphoreticæ & Diureticæ, quales sunt folia omnium Carduorum;

*Erectio virgæ in Gonorrhaicis bonum.*

rum ; illisque permiſcendum Abſynthii modicum, vel Arthemiſiæ, vel Salicis flores piloſi, &c. In balneo, permittendus ægris hauſtus cereviſiæ, quæ in picatis aſſervatur vaſis ; in hujus defectu, alicujus amarioris Zythi ſubſtituendum genus: A balneo in lectum cogendi ægri; atquè ciendi ſudores, qui facile erumpunt poris per balneum reſeratis. Lectiſternia & veſtes ſuccino, myrrha, terebinthinâ perfumanda. Qui de mane ſublimato uti conſueverũt; illis aliquot guttæ ſpiritus vel olei terebinthinæ in cochleari ſublimati ex frugibus, ſive **Korn-Brandtwein**; exhibendæ. Sed hæc Chyrurgis ſunt notiſſima. Raro tamen Gonorhœa eſt ſine bubone; cujus cura ſingularem quoquè induſtriam exigit; non tam purgantibus per ſedes, ſed per vomitum ; ideò Antimonialia hic multum proſunt & ea quæ bilem per vomitum expellunt. Nec eſt feſtinanda ejus abolitio, ſed maturatio promovenda, ad totalem puris evacuationem ; ne ſanguis ejus cauſa regurgitet in venas,

Oo 5 aliàs

aliàs morbus inde naſcetur quam vulgo Gallicam lucem appellamus; ideò negligenda eſt hic Gonorrhœa, ſed buboni proſpiciendum ut ille matureſcat, & optimè, poſt eruptionem puris & cruoris, mundificetur; hoc enim facto, per ſe Gonorrhœa ſupprimetur; pluſque pejoris mali metuendum eſt à bubone quàm à Gonorrhaico humore. Eſt & alius quidam humoris ſpermatici fluxus; quem nocturnam pollutionem communiter appellamus; Turpis & ille, maliq; ominis, ſi longius continuaverit. Hic autem fluxus invadit & eos qui Venerem manifeſtam quidem fugiunt; ſed intus in pectore occultam gerunt. Multi ſunt autem hodiè qui Gonorrhœam patiuntur; Alium tamen fluxum prætendunt, dolo ſuo nemini magis noxii quàm ſibi ipſis. Medici tamen prudentia fallit quandoq; ægrorum dolos, eorum quidem maximo bono; Habent ſcorta ſua certa experimenta quibus & ſuos & procorum curare ſciunt affectus, ad interim; qui tamen aliquantò poſt erumpunt fortius; Sed

*Bubonis cura.*

*Nocturna pollutio.*

Sed qui non vult falli fugiat consortia scorti. Sunt Rationes apud quos bubones pati, non tantùm semel sed & sæpius, honor esse censetur; sed nos ipsis cum honore voluptatem libenter cedimus; Senectutis incommoda, delictorum juventutis sunt præmia.

---

## Caput IX.

## *De Hæmorrhagia Uteri, ejusque Cura.*

Quod hoc affectu solæ fœminæ, vel fœminini sexus individua, non quidem promiscuè, vel sine discrimine omnia, & per vitam integram, sed ab anno ætatis certo ad certum; nec continuò omnes, sed menstruatim saltem plurimæ molestari soleant: probavimus in capite 8. Tractatus hujus parte prima. Est quidem affectus hic in sexu fœminino, singularis Divinæ providentiæ & justitiæ monumentum; tamen non est omninò symptomaticus vel pernitiosus eum patientibus. Interdum

*Hæmorrhagia uteri utilis & salutaris.*

dum est valdè utilis eis & salutaris; vel si supprimatur, gravis admodum & periculosus. Multiplicemque industriam exigit in Medico eum artifialiter tractare volenti. Nam aliter sunt tractandæ puellæ, eum nunquam expertæ; Aliter eum patientes per intervalla; aliter continuò: aliter paucum nimis; aliter copiosiorem. Aliter prægnantes, aliter lactantes; aliter puellæ, aliter vetulæ. Nec solum fluentis causæ nobis Medicis cognitæ esse debent, sed etiam non fluentis; sicuti illius canales; ita hujus quietis loci. Nam aliæ sunt causæ quæ eum ex utero foràs per genitalia cient; aliæ quæ eum in matricem usque tantum propellunt; aliæ quæ eum in uterum prolapsum illic custodiunt; aliæ quæ non tam humores quàm vapores solos ad uterum & genitalia cient. Atquè pro ratione varietatis causarum, dirigenda est quoquè industria & mens Medici; qui omnia exactè tractare vult sua, in curatione subjecti fœminini sexus. Ante justum ætatis tempus, menstruatim nullus erumpit sanguis per u-

terum

terum fœminæ. Tamen interdum in urinis puellarum conspiciuntur guttæ vel grumi sanguinis: Hujus autem sanguinis substantia, an ex utero prolabatur, an autem ex venis spermaticis? De eo nulli constat; Nemo enim est qui puellam triennem vel septennnem viderit menstrua esse passam; Sed tamen minorennes interdum sanguinem cum urina excrevisse vidimus. Aliam itaquè curam exigit fluxus menstrui ordinarius, & ejus inordinaria eruptio; quia quælibet ejus eruptio peculiarem quoquè habet causam. Quæ eum menstruatim & ordinariò fluere facit, justâ ætate; valdè diffidet ab ea, quæ eum ex vasis sanguineis propellit, sine discrimine & ætatis, & temporis intervallaris. A vaporibus solis coactus sanguis imaginatione patientis excitatis sæpè erumpit, non sine periculo patientis vel morbi, vel mortis. Sæpè autem humor sanguinis intumescit in vasis suis, ut eum venæ suâ capacitate complecti nequeant, sed eum vel cum urina ad ureteres, vel cum vaporibus ad vasa spermatica, vel

*Puellæ minorennes Sanguinem per genitalia excernunt.*

vel in uterum per orificia versus eum hiantia expellant. Iterumque justo intervallo ejus fluxus supprimatur; utrumque tamen sine omni patientis & molestia, & dolore, & periculo: imò verò cum ejus magna utilitate & commodo, tum menstruatim fluat; tum fluere justo tempore cesset. Multa audivimus in scholis de sanguinis per uterum menstruo eruptionis tempore; ita &de ejus justâ quiete; dequè ejus substantiæ tum in subjecto proprio, tum peregrino commodis & noxis; sive quod is interdum ad mammas regurgitet in prægnantibus, illic lac futurus, alendo fœtui humor idoneus. Aut quod in matrice varios excitet tumultus; Quod interdum & ad veneficia adhibeatur; vel in propriis subjectis toxicus fiat, & per visus contagium lædat à patientibus visa: & multò plura alia; quæ tamen in praxi, & usu quotidiano, falsissima esse deprehenduntur. Fœminam quoquè putavimus nullam imprægnari posse, nisi primùm passa sit menstrua; sic à

*Multa de Sanguine scribuntur falsa.*

Præ-

Præceptoribus nostris persuasi. Prægnantes nullum omninò pati menstruum; sed toto imprægnationis tempore ad partus usq; exclusionem, arctissimè uterum clausum manere; nihilque interea temporis in uterum ingredi, nihil inde egredi posse. Sed multæ puellæ cum virginitatis suæ dispendio, puellam imprægnari posse antequam ejus menstrua fluant, expertæ sunt. Ipse ego his oculis vidi, & per aliquot annos familiaritate usus fui nobilis cujusdam viri, cujus uxor, annum nondum experta ex toto quatuordecimum primum est enixa fœtum, justo post nuptias spatio, nullo tamen prævio sanguinis menstrui fluxu; atquè singulis annis ad annum usquè vicesimum primum novæ prolis mater fuit; ita quoquè non lactantes saltem, sed & prægnantes multas, menstrua pati, quotidiana docent exempla, sine omni & lactis, & fœtus noxa. Theoria quidem scholastica ideò improbanda non est, quod multi singulares casus, citra vel contra regulas artis contingant. Sed qui praxin e-

*Fœmina impregnari possunt citius, quàm patiuntur menstrua.*

*Theoria est utilis discẽtibus, Practicis non.*

xer-

xercent Medici, à Theoricis ſcholaſticorum dogmatum præceptis pendere non debent, ita ut impoſſibilia judicent eſſe quæ regulæ artis quotidianæ non legitiment. Nulla enim regula ita eſt vera quæ non admittat exceptionem. Qui obſervationes Practicorum legit, ille multa exempla videbit regulis ſcholaſticis omninò contraria. Nulla ſanguinis eruptio, vel illa quæ per fauces fit, vel quæ per ſedes, & ureteres, eſt ordinaria; nec aliqua ſimpliciter ſalutaris eſſe judicatur patientibus. Sola hæmorrhagia uteri menſtrua, juſtis intervallis fiens in debita quantitate, ſive nec pauca, nec multa, nec continua in motu, nec in quiete, juſtâ ætate, incipiens & deſinens, juſtoque menſis tempore, citra tempus imprægnationis & lactationis judicatur utilis eſſe illi ſexui. Igitur hæmorrhagiam continuò fluentem, vel ordinariò non intermittentem; vel omninò ſuppreſſam, vel vagantem, vel cruentam nimis, vel purulentam; morboſam, vel ſymptomaticam eſſe judicamus. Quia verò non erumpit ſanguis ex ute-

ex utero fœminarum ab ipſo nativitatis tempore, ſicuti urina, ſed multò ſerius; quamvis venæ nunquam ſint exſangues: Quis ita eſt prudens Medicus qui ejus fluxui à natura deſtinatum temp⁹ certo definire ſciat; vel an ſpermificatio una cum uteri hæmorrhagia menſtrua in unum tempus incidere debeāt ambo; an verò hic illam anticipare aut ſequi: ſine dubio ſunt certa individua quorum menſtruorum eruptio in unum tempus cum ſpermificatione coincidat; & iterum quædam in quibus ſpermificatio hæmorrhagiam comitatur, vel præcurrit, aut ſequitur. Spermificatio enim & menſtrua hæmorrhagia ſunt actus duo valdè diverſi, & in peculiaribus vaſis fientes; igitur & ſimul fieri poſſunt, & diverſis temporibus. Puellæ ſicuti pueri minorennes, vomunt, quoq; cacant, & mingunt ſanguinem; Quis autem certo aſſerere audet, ſanguinem hinc vel illinc erumpentem, ſive cum urina, ſive ſine ea; quod ſit vel non ſit uterinus? vel quod non ex utero, ſed ex ureteribus, aut vaſis ſpermaticis erumpat?

*Tempus quod à Natura Hæmorrhagiæ deſtinatum.*

*Sanguificationis & hæmorrhagiæ non est idem definitum tempus.* Præsertim cum sciamus, sanguinem non erumpere statim à suæ generationis exordio; sed aliquot annos quiescere in suis vasis. Dentitionis, hæmorrhagiæ uterinæ menstruæ, spermificationis, sanguificationis, varia sunt tempora, nulla certa, vel dogmatis scholasticis congrua omnia. Calculus Medicorum ita certus non est, nec esse potest, uti Astrologorum; hi sciunt Annum, mensem, diem, horam, horæ minutum, in quo fieri debeat aut novi-vel plenilunium, Solis vel Lunæ ortus, occasus, ecclipsis. Sed nos Medici à posteriori judicamus tantum ea, quæ in nobis fiunt; scilicet postquam sensibilia actu sint; Citius ea nec sperat, nec metuit aliquis, sed ab eorum inopinato motu obruimur omnes. Imò nec à facto pronuntiare audemus de aliquo Naturæ opere, quod justo tempore factum fuerit, sive nec citius nec serius fieri debuerit, vel potuerit, quàm fieri cæpit. Sunt mares qui ocyus spermificant aliis, ita & qui serius: sine dubio & inter individua fæminini sexus talis est varietas; non

*Errror judiciorum de tempore justo Hæmorrhagiæ uterinæ.*

non ſaltem concernens tempus earum ſpermificationis, ſed & hæmorrhagiæ uterinæ menſtruæ; Nos autem Medici, ſine cognitione temporis juſti, hujus vel illius humoris fluxus; ad alterutrum irritandum porrigimus Medicamenta; quæ tamen ſucceſſu bono deſtituuntur, aut omninò patientibus noxia fiunt; qui benè valuiſſent, niſi à nobis læſi fuiſſent. Conjecturæ ſunt ſaltem ſecundùm quas nos noſtros conatus dirigimus, & rationum umbræ, quas nobis comminiſcimur, non autem rationes; quamvis congruant cum ſcholaſticis dogmatibus, & multorum Medicorum teſtimoniis; Atque ſic non aliundè, hinc tamen tantum convincimur, quod cura noſtra ſit plerumque caſualis ſaltem & fortuita, non autem ex Arte noſtra, ejusque certitudine. Et quod Divina Providentia ſola ſit directrix efficaciæ medicamentorum, & eventus dexterioris intentionis noſtræ; non autem noſtra prudentia, vel experientia. Nam qui neſcit unde incipiat natura, & quando? nec ipſe certus eſt de ſe ipſo, quod

*Medicamenta ſuo effectu fruſtrantur per errorem temporis.*

*Error unde.*

eam comitetur, juvet, aut impediat. Ex virium patientis integritate, judicare velle de tempore justæ hujus vel illius humoris excretionis; est quoque de utroque dubitare. Multæ sunt puellæ, quæ ex certis indiciis earum dorsi, vel pubis, judicant de menstruæ hæmorrhagiæ imminente mox, vel serius fluxu; Sed multæ sunt quoque, quæ nullis prævijs indiciis ab eo obruuntur; Sunt quoque multæ, quæ ignaræ omninò illius commodi & incom̃odi, solius imaginationis excellentiâ, vel vehementioris gaudii, tristitiæ, amoris, vel indignationis impetu, quamvis nemini, præter patientes solas, cogniti, alterutrum perdiscunt. Multis cum epilepticis convulsionibus erumpit. Multæ ex conspectu sponsi, vel proci quem singulariter deperiunt, primum in sanguinis menstrui eruptionem devolvuntur, quem nunquam senserunt antea. Fatales certe sunt vel omnes, vel pleræque sanguinis eruptiones; quas nec irritare, nec supprimere, accelerare vel differre Ars, nec scit, nec potest. Fatales causæ aberrant nun-

*Sanguis mẽstruus ordinariò non erumpit.*

*Fatales causæ aberrant nunquam.*

nunquam ſive maturando eruptionis tempus, ſive differendo; ſive paucum, ſive multum ſanguinem ciendo: Sed nos mortales erramus ſæpiſſimè, quia verſamur inter ambages rationis & ſenſuum; aliud quid agere aut negligere illis, aliud his ſuadentibus. Imitamur quidem vel conſuetudinem, vel multitudinem, vel regulas artis, eâ ſolum intentione ne vel erremus, vel & errores noſtros occultemus; aut excuſabiles faciamus; Tamen errores evitare nequimus, ſed potius fugiendo in eos incidimus. Nec eſt aliquis tutus ab errore, etiam ſolidiſſimis munitus rationibus; multò frequentius & gravius errant illi, qui aliorum ſequi malūt rationes quam proprias, judicio omni deſtituti. Eadem promittit vel minatur hodie totius Univerſi Director & Judex, omnibus cuſtodibus vel transgreſſoribus legis ſuæ, quæ antiquitus promittebat & minabatur Judæis; uti ex libris propheticis videre eſt; præſertim Deut. 28. Quantumque profecerunt Magi illi Ægyptii ſuis mediis, divinæ prædeſtinationi, ſine Deo;

tantum nos proficimus quoque ægris, nisi divina clementia nostris aspiret conatibus. Ex affectibus itaque potius animi quam corporis judicandæ sunt quoque res nostræ & aliorum. Affectus vapores movent; hi verò humores aut turbant aut quietant. Quod verò ex humoribus in vapores; vel ex vaporibus in spiritus regurgitat, id est mobile, & arti subjacet; sicutque citò irruit, ita citò quoque evacuatur. Sed alia est ratio affectuum seminalium ex occulto cordis erumpentium; nam hi soli sunt, qui inficiunt hominem & inquinant; non autem ex cibo vel potu nati vapores aut humores. Aëris externa constitutio, Sol, Terra, pluviæ, non mutant semina ex specie in speciem, sed saltem fructus eorum contingunt quoad gradus aliquos externarum signaturarum. Ita nos non externa informatio, non consuetudo cibi, potus, vitæ genus, sed interni tantum affectus, legibus fatalibus eorumq; necessitati subjugant, ita ut nos oporteat vel agere vel pati quæ citra tales affectus nequaquam nos agere vel pati

*Affectus regunt hominis.*

pati contigisset. Facta enim infecta fieri nequeunt; Quæ quasi sponte delinquimus, inviti luimus. Sed de hac fatorum inevitabili necessitate alibi seorsim agemus. Hic saltem demonstrare voluimus, quod illa hæmorrhagia, quæ ab affectibus seminalibus ortum habet, immedicabilis & inevitabilis sit; sed non quæ ab humoribus. Affectibus seminalibus Medicina mederi nescit; sola Ratio hominis, divinæ Legi conformis, illis dominatur, & dominari constituta est; non autem ea, quæ sine ratione operantur, quod operantur. Quilibet patiens pro se ipso, suis imperare potest astris vel fatis, si se conformare studuerit ad Divinæ Voluntatis normam. Fatis scilicet illis, quæ ejus destinata sunt officio; non autem illis quæ ipsi sunt præfecta. Affectus animales fata sunt servilia, hominibus ad servitutem destinata; quibus qui servit, servis suis servit; Sed proh dolor; omnes in hoc corpore agentes, eis servimus, alii nostrum ignari, alii inviti, alii ex industria: Sed de horum ordinibus alibi in tractatu peculiari.

*Fata duplicia sunt.*

liari: Serviunt autem fatis servilibus, crudelibus valdè & importunis, sed astutis & dulcedine voluptatis inescantibus, & pueri & puellæ; Illi manifestius, hæ occulti⁹, ideo quoq; omnia sunt in puellis periculosiora & acutiora, dum sensibilia fiunt; & ira & amor. Prudentiâ maximâ opus est, non ad corrigendos, sed ad evitandos solum fœminarum dolos. Puerorum affectus & septennium scrutari possumus: Sed fœminarum ad annum usque septuagesimum latent, sive imperscrutabiles manent. Fœmina mutat menstruatim sanguinem, ita & affectus, sed rarò in meliores, semper autem in occultiores. Igitur difficillimè est fœmininis mederi morbis, quia ex profundis admodū surgunt principiis. & quos fœminæ gestibus nequeunt fallere, fallunt verbis. Ad pervestiganda fœminarum secreta actu opus est, eoque admodum occulto; nam si animadverterint aliquem vel in gestu vel in verbis, non saltem paribus, sed & occultioribus illudent insidiis astutorum. Ego revera magis gaudeo familiaritate virorum, quàm

*Fœminæ nō mutant affectus cum Sanguine.*

quàm fœminarum, quia me veſtigia terrent. Nullus affectus autem uterinus ita obruit fœminas, ut ſine omnibus præmiſſis indiciis externis ſanguinem eorum interturbet, & ex vaſis propellat: Sed ſemper aliqua extrinſecus ſigna apparent, per quæ occulta earum in ſenſus veniunt; Non enim ſaltim humores, ſed & vapores, ſuis certis ſe produnt indiciis, quamvis hæc ſint mobilia admodum & mutabilia; Sed illa durabiliora. Sępè ægrotant puellæ minorennes, imò & ætate provectiores, quorum morborum cauſas ignorant & Medici & parentes ipſi; In junioribus, putant vermes eſſe, qui tormina in corpore eorum cauſantur; ſed vapores ſanguinis ſunt, qui primum ſoli in matricem, vel in inteſtina earum impetum faciunt, aliquanto poſt, ſanguinem ſimul rapturi. Vapores autem illi ſurgũt ex principiis ſeminalibus in ſanguine latentib9, ſed animalibus, quæ aliquando tandem ſunt in meros affect9 deſitura, poſtquam maturuerint; Quoq; crudeliores morbos perpeſſæ fuerint puellæ in corpore

*Puellarum morbi ſunt indices earum affectuum.*

prius; in tantò crudeliores affectus degenerabunt in eis, in ætate provectiori; quamvis occultiores, quàm fuerunt symptomata morborum elapsorum. Donec sanguis menstruus eruperit, putamus fœminam ad concipiendum fœtum ineptam esse; cum tamen sciamus in multis subjectis sanguinem à menstruo fluxu vacare ad annum usq; vigesimnm, imò & ultra; An igitur in ipsis eò usquè vacat natura à spermificatione; Nequaquam certè; In quibus autem natura spermificat, quamvis sanguis menstruatim non fluat, illa subjecta certè impraegnari possunt; Non enim sanguis sed sperma fœminas capaces amplexuum viriliũ efficit. Sed de his in peculiari tractatu, in quo de fœmininis morbis acturi sum[9]. Interdum in nutrices vel ancillas derivatur vitium quod in corporibus puellarum juniorum apparet, non tamen aliunde natum quàm ex vaporibus sanguinis, abscessus in hoc vel illud membrum facientibus, sine sanguine. Ita si altero latere aut pede claudicent; Gibbosæ fiant à pectore vel à ter-

*Spermificatio, nõ menstrui eruptio, signum est maturitatis puellarum.*

*Error parentum.*

à tergo ; luxatæ manibus vel pedibus; vel alio aliquo vitio laborent, quod nequaquam animadverterunt parentes in eis adhuc junioribus. Talia vaporum sanguineorum delicta luunt sæpè nutrices innoxiæ ; Nam tot, nisi plura, & tanta mala proveniunt in corporibus nostris à vaporibus sanguinis, quot & quanta à sanguineo humore provenire dolemus, vel in scholis audivimus. Vapores autem non omnes ex sanguine, actu tali, suam originem trahunt ; sed ex affectibus, multi ; qui tandem in sanguinem desinunt, potiùs quàm ex sanguine nascuntur: vaporum ex sanguine provenientium multò alia est ratio; Multa & varia ad affectus uterinos compescendos vel abolendos prostant utiq; terrarum remedia, sed pauca sunt utilia vel nulla omninò quandoque : non enim mitescunt vel minuuntur symptomata, post medicamentorum etiam longius continuatum usum ; Fumi & fœtidissimi, & fragrantissimi à supra, vel ab infra patientibus admoti; steri-

*Vapores æquè noxii ac humores.*

ſteriles tamen ſunt omninò & inefficaces; Citius enim ſuam ſubſtantiam in Medicos & medicamenta expendunt ægræ, quam vel aboleantur ſymptomata vel miteſcant, imò & exanimantur omninò. Ex cauſa ſaltem ea, quod humoribus imputamus, non his, ſed vaporibus ſolis imputandum; vel ſanguini, quod à ſpermate derivatur; vel venis aut utero, quod ex arteriis, imò affectibus ipſis immediatè ſurgit. In quibusdam putamus immoderatum ſanguinis fluxum cauſari paſſionem in ſenſu patientum; in aliis iterum, ei ſuppreſſio id imputamus; interdum huic vel illi cibo aut potui. Ita quidem eſt, quod hinc ſæpè turbentur & humores & vapores, hujus vel illius ſanguinis; ſed ſæpè etiam in ſanguine omnibus benehabentibus aliunde oriuntur mali fomites, nempè ab affectibus ipſis. An non ſæpè utero, vel ſanguine per uterum men-ſtruatim, juſtâ quantitate effluente, tamen variis diris excruciantur & puellæ juniores, & mulieres ætatis provectioris. Si non fluit menſtruatim? ut fluat; ſi fluit;

*Inutilia ſunt medicamenta quando & quare.*

fluit; ſed ordinario im̃oderatius, aut lõgius quàm conſuevit; ut non fluat, præſcribuntur & exhibentur à nobis remedia; ſed omnia à nobis fiunt ſiniſtro & ſucceſſu, & eventu. Tamen omnes uteri affectus, à vapóroſa ejus turbatione, ad hæmorrhagiam usque, aboleri & mitigari per medicamenta poſſunt. Sed illi ſolum qui ex ſanguine actu tali materialiter ſurgunt; Sed quos, affectus animi excitant, vel principia ſeminalia, patientibus connata; illi omnibus externis ſunt violentiores, ſive nec ſupprimi poſſunt in quiete, ita ut non erumpant; nec à motu ad quietem cogi, niſi ſpontè in tenebras revertantur. Nihil patientibus proſunt medicamenta externa etiam violentiſſima; omni Medicorum & prudentiæ, & induſtriæ prævalent interna ſeminaria; Hæc enim profundius latent, quàm ut ad eorum quietis centra pertingere poſſint virtutes medicamentorum. Si autem moveri poſſunt humanæ artis beneficio; Nemini tamen cedunt, quàm ipſius patientis animi impreſſioni, ſive imaginatio-

*Sanguis à ſeminalibus cauſis erumpens ſupprimi per artem non poteſt.*

*Humorosa Hæmorrhagia cura est facilis.*

nationi extra ordinem elevatæ, q
propriè fides dicitur in sacris; in natu
libus superstitio. In symptomatis a
tem humorosis, à sensibili aliquo h
more principium trahentibus; Anod
na multum efficaciæ habent; atq
phlebotomia. Quo fine etiam à Me
cis adhibentur & consuluntur. Verùn
hic magna quoquè occurrit difficultas
non tam authoritate testimoniorum
vel exemplorum decidenda; quàm ra
tionum soliditate. Ex quibus nemp
venis sit detrahendus sanguis, in eju
parciori, vel omninò suppresso fluxu
vel ex quibus, si ejus largiorem, & longiorem fluxum compescere velimus?
vel ejus ad superiora regurgitationem
revellere? Hoc autem primò hic considerandum est, quod non sit venosus
tantùm sanguis qui menstruatim per
uterum erumpit, sed & arteriosus, si anatomicis demonstrationibus credendum est; quoniam orificia arteriarum
æquè ac venarum versus uterum hiant.
Ideò fluxus unus alio, scilicet arteriosus
venoso, est periculosior, aut diuturnior;
quia

quia semper major violentia adhæret vaporibus arteriosis quàm venosis; & difficilius compescenda. Raro autem in curatione hæmorrhagiæ uteri, secundum regulas scholasticas fiente, mentio fit arteriarum, sed solarum tantùm venarum; Igitur nos hic quoquè, de solis venis, earumque delectu aliqua monebimus scitu utilia & necessaria. Non quod negligendas omninò esse arterias, judicemus. Sed ut nos communi consuetudini conformemus.

*Quæ vena secanda in uteri Hæmorrhagia.*

Si menses præter modum emanant, inquit Doctissimus Fernelius; Vena cubiti interior secta impetum coercebit, sursumque retrahet; quemadmodum & cucurbitulæ subter mammas, vel umbilico affixæ. Suppressos autem menses, vena in poplite aut malleolo, instante purgationis tempore cæsâ, moverit. Nam sanguinis impetu deorsum converso, venæ quæ in uterum pertinent, resignantur; Et si quæ inflammatio subest, per initia sursum detrahetur, idque directo; Illinc quippe tanquam è fonte, plenior fluxio irruebat.

*Fernelii sententia de vena sectione in mensibus.*

bat; Nec est quod inde mensium suppressionem vereare, per sectam scilicet cubiti venam; Si modo mox venam in poplitem vel malleolũ directam ferire jubeas, quæ illorum evacuationi, derivationiq; paratum & expeditum est præsidium. Revulsio enim, quæ fit sectâ interiori cubiti venâ, quia jecur fontem ipsum, ex quo fluxionis est exordium exhaurit, universalis cẽsetur; Quæ verò ex venis inferioribus fit; Particularis; neq; fontem primariò evacuat. Quum itaquè universalia particularibus sunt præmittenda, Inflammationes quæ subter renes incurrunt sunt revellendæ primùm, præcisâ interiore cubiti venâ; deinde reseratis inferioribus, quæ aliquam quoquè revellendi obtinent vim. Has tamen tutum minimè sit primas ferire, maximè si ingens est vasorum plenitudo, fluxionisquè incursio vehemens. Hæc scripsit Acutissimus Medicus; Fernelius lib. 2. Method. Med. cap. 7. pag. 47. Sine dubio non ita ex suâ propriâ & peculiari, quàm communi scholasticorum opinione. Ideò nos quoquè cui placet

placet cujus opinionem ſequi liberum relinquimus, eam libertatem ab aliis quoquè pro nobis impetraturi; citra contemptum aliorum, noſtræ contrariam defendentium. Nos enim in praxi nolumus peregrinis inniti rationibus, ſed noſtris propriis. Ideò quomodo ex noſtro judicio, ſanguinis profluvium ex utero immoderatius ſit ſupprimendũ; Vel ſuppreſſum ad ordinarium & menſtruum fluxum reducendum; demonſtrabimus: In ætate illa, ex cujus requiſito ſecundum receptam in communi opinionem, ſanguinem menſtruatim erumpere oportuiſſet; ſi tamen nullus erumpat, tamen indicia communia ejus eruptionem imminentem prænunciantia adſunt, ſcilicet dolor dorſi, pubis gravitas, pandiculatio, oſcitatio frequens, &c. tum non ſaltem hæc ſunt obſervanda, ſed & alia externa; Nempe venarum frequens intumeſcentia, præſertim frigentibus membris; neceſſariò enim intumeſcere debent venæ, ſi contenta earum in vapores reſolvuntur, prius in ſe ipſa contracta magis, aut in

*Propriis rationibus niti in praxi, eſt tutiſſimum.*

Qq extre-

extremitatibus earum aliquandiu quiescentia, sub solidioribus ponderositatibus. Non enim semper in affectis partibus, vel tumescentibus venarum ramis, latet materiæ in vaporem dissolubilis substantia, sed alibi; vel ibi, ubi nullus dolor vel doloris signum, sed quieta & tuta putamus esse omnia. Dum scilicet ex aliquo sensibili seminario oritur vapor sanguinis massam attollens, venosam; Quod si verò ex arteriis procedat sanguis, vel sanguinem turbans vapor? Tum phlebotomia venarum inutilis erit; atque supervacanea est omnium indiciorum in venis observatio. Quandoque nec ex venis, nec ex arteriis, sed ex ipsissimis nervis scaturit vapor sanguinem turbans utrumque, & venosum & arteriosum, & materiam sanguinis mẽstrui, & massæ spermaticæ; quod uti ægris, ita & Medicis ignotum est. Non ita frequenter frustrarentur Medici successu & eventu bono, si ex solis humoribus sanguineis, aut ex sanguine venoso morbi generarentur. Quia autem utriusque sanguinis venosi & arteriosi

*Arteriarũ & venarum delectus.*

men

menstruatim intumescit & detumescit massa, seque ipsa jam major jam minor fit; ideò sentimus ordinariam menstrui eruptionem à sanguine venoso; extra- ordinariam autem, si non totam, majori tamen ex parte, à sanguine arterioso oriri; Tamen in nulla, venas, arterias, nervos, à consortio absolvimus mutuo: Quia autem sanguis est subjectum id, quod tunc maximè patitur, vel patientes incommodat; illi autem non tàm causas respiciunt quàm symptomata; magisque à sensibilibus pendent, quàm insensibilia curant: Igitur à phlebotomia venarum incipere curam hæmorrhagiæ uterinæ, sive immodicæ, sive diminutæ, sive suppressæ omninò, tentandam esse concedimus. Quia si non profuerit, nocere non poterit; in fluxu ejus præsertim immoderato: Nosque post factam, quo sit dirigenda cura docebit. Si ex arterioso sanguine oritur vitium hoc vel illud sanguinis, scilicet ejus vel immoderati fluxus, vel continui; Tum majori cum languore & virium jactura, fit quicquid ægræ patiuntur. Sola

*Arteriæ venæ nervi concurrunt simul in morbis.*

intervallaria ſymptomata menſtrua
remittentia vel redeuntia, ex ven
ſurgunt; & ſicuti ſenſim vel per gra
ſurgunt, ita quoque minuuntur, do
omninò ceſſarint. Interdum null
dolorem ſentiunt patientes in m
bris; ſaltem affectuum triſtior, vel
cundior facies, cum vultus pallore,
*Cura Medici mutanda ſæpius.* rubedine intervallari, ipſas vexat: I
totius mutandus curæ proceſſus, q
ties immutari affectus patientum an
advertimus. Non ſemper malum ori
à plethora, vel abundantia ſangu
humoris in venis vel arteriis; ſed ſ
à ſola multitudine vaporum; Igitu
ſolis eſt contraeundnum, non au
ſanguini; nam hujus maſsâ dimin
non ſemper abolentur vapores; S
*Sanguine diminuto nihil detrahitur vaporibus.* ex ejus drachma tot imò plures ge
rantur, quàm interdum ex integr
bra. Vapores itaq; interdum ſunt di
tiendi, interdum autem in humores
gendi. Interdum vapores ex ſang
putreſcente extra venas periculoſi
ſurgunt, quam ex eo in venis a
contento; atq; tunc balnea condu

plus quàm phlebotomiæ. Si autem sanguis in vasis suis contentus, vapores eructet multos ad matricem, vel ad superiora per ramos trunci iliaci ascendentes; tum phlebotomia nec est dissuadenda, nec differenda; præsertim in extremitate pedum facta. Putrefactio quidem nulla potest fieri in venis, per corpus dispersis; sed in extremitate venarum ad radices unguium pertingentium, fieri potest; atque inde ad superiora vapores spirare varios; nam massa in [illegible]s prædictis contenta sanguinem quidem contingit in fermentativo motu occupatum, sed unà cum ejus massa non movetur, sed sensim indurescit infra & in ungues abit. Uti id mustum docet; cujus superior pars in motu est continuo, sed fæx in fundo vasis quiescit, semel à musto secreta, & in tartarum sensim concrescit. Hanc autem fæcem pondere, consistentiâ, & quiete à sanguine discretam, non autem colore, vel nomine, in quiete, & à putrefactionis periculo immunem custodit, atque à regurgitatione vaporum ad superiora

*Putrefactio in venis nulla.*

*Sanguis pedum ab alio discretus quiete, non nomine vel formâ.*

colibet, Lixivium ex cineribus Fagi vel Quercinis compositum; vel aq fontana, aut scaturiens, multo sale c dita; si in eam pedes ad talos usque i merguntur, & in eâ ad minimum horæ unius quadrantem detineantu

*Vena secanda in pedibus quando.* Id autem fieri debet diebus à suppres ordinarii menstrui fluxu proximis: ne autem eo imminente, aut actu erum pente; nisi eum supprimere immod ratum velimus. Uti hæc in fragment Spagyriæ docuimus. Si autem vena s canda est, ob evitandas futuras sang nis incommoditates; Tum ea inciden da erit die â suppresso menstruo duode cimo, vel ad summum quatuordecimo. Longiùs dilata, eum ab ordinaria ejus reciprocatione arcebit, & magnas pati- entibus incommoditates causabitur. Si autem phlebotomia adhiberi consuli- tur, saltem ad compescendum ejus flu- xum immoderatum; Tum perinde est, an supra, vel infra tundatur: Tamen consultius est, eam infra, quàm supra tundi: Quia sic docet nos prudentia scholastica, scilicet, si quid trahendum

est

est vel revellendum; id ad ignobiliores partes esse trahendum. Eruptio enim sanguinis cessabit, aut magna parte mitescet, venâ alicubi saltem sectâ; Tamen massæ ejus fermentatio intus in venis non cessat; sed interiora corporis æquè molestantur ab ejus vaporibus post sicuti prius; diminutâ ejus aliquâ portione; Vaporibus per integram venarum seriem oberrantibus. Fæces autem graviores plures extrahuntur cum sanguine ex pedibus detracto, quàm ex manibus. Si verò præoccupare voluerimus ejus immoderatiorem fluxum futurum, actu adhuc quiescentis; Tum sectio venæ non est differenda ad tempus menstrui usque, uti putat doctissimus Fernelius; existimans venâ in malleolo sectâ, sanguinem deorsum tractum iri; atque hoc modo eruptionem ejus ordinariam felicius sequuturam; Errare solent magni quoque Viri, dum præoccupant actus suos consuetudine, Rationibus neglectis; Nos Medici singula nostra molimina accuratissimè examinare debemus, satisfacturi officio, quamvis non

*Secta vena supprimitur ejus prior fluxus.*

*Medicorum industria utilis.*

ægrorum, vel aliorum consensui. Nam cochleari sanguinis uno detracto ex pedum venis, eo quiescente; plus proficiemus in fluxu ejus supprimēdo, quam si instante eruptionis tempore, vel jam actu fluente, integram libram detraheremus. Si enim secaverimus venam dum fluit, supprimemus quidem fluxum ejus, vel fluxus violentiam mitigabimus, ad breve tempus; sed materiam ejus fluxum irritantem, nequaquam minorabimus. Si unquam habendus est delectus temporis, vel venarum incidendarum? Revera is in cura fœminini sexus est habendus; In masculino enim sexu tam multi & graves errores committi non possunt, ac in fœminino. Quia menstruatim reciprocatur sanguinis motus in fœminis; sed in masculis tardius, & annuatim. Nec etiam est respiciendus Lunæ situs in expanso; sed cujusque patientis fœminæ peculiaris constitutio. Id quidem verum est, quod fœminæ plurimæ menstruatim patiantur sanguinis earum mutationes reciprocas, sive intumescentias & detumescen-

*Menstruatim mutatur sanguis in fœminis; in maribus annuatim.*

ſcentias; Tamen eas omnes ſimul & ſemel laborare menſtrui profluvio, falſum eſt. Ideò communis ille Verſiculus,

*Luna vetus veteres, purgat nova Luna puellas,*

authenticus non eſt, & ad ſingulas adaptari perſonas nequit. Ideò non à Lunæ Expanſi motu, ſed à cujuslibet fœminæ peculiari conſuetudine, eſt ſumenda phlebotomiæ differendæ aut accelerandæ inſtructio. Imò ſi accuratè admodum procedere volumus; tum non ſaltem dierum, ſed & horarum eſt habenda ratio; quando nempè incipiat, & quando ceſſet erumpere menſtruatim ſanguis. Nam ſicut Febrium intermittentium reciprocationes, abſente omni obſtaculo externo, vel artis, vel ægri; juſtis redeunt & ceſſant intervallis; ſic & menſtrua ſanguinis fœminini eruptio & ſuppreſſio; quod in Tractatu de Febribus plenius demonſtrabimus. Nec opus eſt, ut utrinque feriatur vena, præſenti & futuro periculo providentibus; uti ſcribit Doctiſſimus Fernelius, in loco

supra citato. Uno enim vulnere, utrumque præcaveri potest; si saltem & à Medicis, & ab ægris serventur servanda. *Sectioni venæ quæ præmittenda sunt?* Antequam autem sectio fiat, aliquot diebus præcedētibus, circa horam eam quâ sectionem fieri decrevimus; im̄ergendi erunt pedes lixivio; uti suprà dictum. Die autem immediatè sectionem venæ præcedēte, exhiberi debebit, dormitum ituræ patienti, Diaphoreticum anodyno permistum, acidiusculum redditum aliquot guttis Spiritus Vitrioli. *Spiritus Vitrioli virtus.* Est enim virtus Vitrioli non ita adstrictiva orificiorum, quàm vaporum coagulativa & repercussiva; Vapores autem in se ipsos contracti pondus quoddam acquirunt, sub quo deorsum præcipitantur, & inferiora petunt, com̄odiusq; tandem, minoriq; sanguineæ massę dispendio ex corpore evacuari possunt. Quo plus enim fermenti veteris massæ recenti misceatur, tantò fortior erit infectio; & quo plus amurcæ Zytho infunditur recenti, tantò fortior sequitur ejus in vase fermentatio. Quæ autem intra nos fiunt, pari modo ex iisdemque causis

casis fiunt, sicuti ea quæ extra nos. Quod verò Doctissimus Fernelius de hepate ratiocinatur, quasi id sit fons sanguificationis; id ipse ex præconceptâ in scholis opinione fatur, non autem judicii examine approbatum. Nec sæpius quoquè fœminis vena secanda est in mense quam semel, hæmorrhagiâ uteri vel ejus suppressione laborantibus? *Semel in mense secare venam sufficit.* Quod si verò eam repetere necessarium judicaverimus, ob aliquod vel præsens, vel imminens periculum; Tum unam sectionem ab alterâ ultrà horas 28. non differemus. Nam si longius procrastinaverimus? Tum sanguini imprimemus vitium inordinatæ reciprocationis; Ideò consultius est menstruatim eam fœminis tundere; quia menstruatim illæ quoquè sanguinem excernunt; quàm frequentiori sectione ejus ordinarium motum turbare. Hæc sunt observanda in hæmorrhagia illa, de qua nobis constat, quod sanguinis vitium derivetur à vaporibus venosis. Si verò de eo certi non simus? Sanguis autem ex vaporibus arteriosis inficiatur? hic

hæreo;

*Arteriosi ßi-cii incerta cura.*

hæreo; atquè quid faciendum sit, nihil certi consulere possum: Sed id Deo, prudentiæ Medici, & patientis conscientiæ recommendare volo. Mihi videtur quod tutissimum sit in tali affectu cuiq; patienti, ut exemplum illius mulieris sequatur, quæ omnem suam substantiam in Medicos expendit, sed frustrà; ad Christum autem conversa, subitò convaluit, exarescente sanguinis ejus fonte. Divina Divinitùs à nobis tractari postulant; humana humanitus. Negare autem nemo potest, impressiones morbificas utrinque fieri, scilicet ex sanguine arterioso æquè ac ex venoso; ita & ex vaporibus nervorum. Nam si ab aêre externo inficiuntur interiora: Quare idem negaremus fieri posse à vaporibus sanguinis utriusque & nervorum?

*Menstrua alba non sunt suppri-menda, nec fortiter ci-enda.*

Post suppressum sanguinis menstrui ordinarium fluxum, in omnibus fermè subjectis sequitur purulenti humoris excretio; tum in puellis cælibibus vel virginibus; ac in maritatis & viduis; Hic autem nihil est aliud quàm sanguinis menstrui residuum, quod extrà venas

nas prolapſum computruit, & in eam formam mutatū eſt; Illumq; humorem menſtrua alba nominant & fœminæ, & ſcholæ; à formâ potius effluentis humoris, quàm ab ejus materia mutuato nomine. Sed ejus fluxum ſupprimere tutum non eſt; quamvis id exoptent patientes; Nec etiam fortioribus medicamentis ad exitum urgere; quia horum violentiâ, & ſanguis ipſe ab ordinaria quiete ad inordinatum fluxum revocari poſſit. Ideò ad arcenda illius fluxus incommoda, quæ multa ſunt & gravia, Laconica ſunt ſuadenda patientibus; Nam corpus aquæ calidæ immerſum, leni ſuo calore & madore, quæ in genitalibus fœminæ hærent, blande abluit & extrahit, ſine omni ſanguinis periculoſa turbatione. Ideò cōſuetudo fuit apud Judæos; quod mulieres à tempore ſuppreſſi ſanguinis mēſtrui naturalis fluxus, lavabantur; Virique cum mulieribus menſtruoſis congredi vetabantur; ad præcavendam amborū utrinque pollutionem; Idemque mos adhuc hodie in ſeptentrionalibus,

*Judæis uſitata balnea.*

libus & orientalib⁹ locis servatur. Ptarmica quoquè conducunt tali affectu laborantibus; pruritu enim gravi infestat patientes. Ptarmica autem concussione totius corporis causatâ, contenta emunctoriorum venarum & superiorum & inferiorum excutiunt, sine omni periculo. Si autem uterinis vel menstrua cientibus in eorum suppressione uti volumus; ab eorum tamen usu per integros dies quatuordecim abstinendum est omninò; incipiendo numerare à primo eorum suppressionis die. Atq; toto illo tempore intermedio laconicis solis utendum; si non quotidiè, tamen qualibet septimanâ; Est enim horum efficacia magna, in, ante, & post menstrui fluxum: Si patientes scilicet ita adhuc vegetæ sint, ut balnei calorem sufferre possint. Nec etiam dum menstrua cientibus uti volumus, à violentioribus est incipiendum; sed à levioribus ad fortiora progrediendum; sicuti naturâ suo proprio motu nunquam ab extremis ad extrema progreditur, sed saltem per media. Sensim enim tractan-

*…rmico- …n utili-* *…ctioribus …piendum.*

ctando sanguinem, quicquid in eo vitiosi generatur, à qua tandem causâ, interna vel externa, sensim procedendo id totum aboletur. Omnia medicamenta uterina, sive ciendis sive supprimēdis mensibus dicata, nisi justo & requisito tempore exhibeantur patientibus, noxia sunt magis patientibus quàm proficua. Ideò puellæ & mulieres, vel suppressione mensium, vel ejus immoderato & inordinato fluxu laborantes, se ipsas in exitium certum præcipitāt, si inconsideratè quibusvis utantur medicamentis, quamvis in principio successu voto eorum respondente. Tutius est aliquandiu longius pati malum, tandem autem convalescere; quàm à symptomatis unius circuitu liberari; sed brevi post, iterum in eum, vel priori graviorem præcipitari, & relabi. Quarum fœminarum affectus coerceri non possunt; earum morbi, à sanguine arterioso derivati; sunt desperati omninò, à nullàque arte tolli possunt; nisi cum illis & vita cesset; Nam si naturam expellas furcâ, tamen usquè recurret. *Festinatio noxia.*

CAPUT

## Caput X.

### De Gonorrhœa Muliebri ſimplici, cruenta & Purulenta, ejusq́ꝫ curandi modis.

SAnguis menſtruus, revera ſanguis eſt ex venoſo & arterioſo compoſitus; Utriusque ſanguinis tincturas redolens;utrique quoquè quoad formam externam ſimilis: attamen quoad internas proprietates ab utroque diſcrepans; ſed ſperma à ſanguine diſſidet utroque, & quoad nomen, & quoad formam, & quoad generationis tempus, locumque. Nam ſi bilis à phlegmate disſidet,& proprietatibus internis,& externis ſignaturis, quare nos ſanguinem venoſum ab arterioſo, vel utrumq; ab urina, vel ſpermaticum humorem non diſcerneremus': Præſertim cum ſciamus cuique humori aliquid adeſſe proprii, illorum quatuor, quos ſanguis ipſe complectitur: Quod ſi autem illis, quare non & ſanguini ipſi, vaſis, motusque diverſitate ab invicem diſcrepanti.

Plures

Plures quidem ſunt humores qui per genitalia fœminæ excernuntur, tamen nec omnes ex utero; nec omnes etiam immediate ex ſanguine. Menſtruus enim ſanguis per intervalla erumpens, & ſubſiſtens, procedit tum ex orificiis venarum, tum arteriarum, verſus matricem hiantibus. Urina autem ex veſica & ureteribus. Spermaticus humor ex vaſis ſpermaticis; quorum alia ex venis, alia ex arteriis ortum trahunt. Quæ autem Deus & natura diſtinxit; quare nos Medici confunderemus, & ab invicem non diſcerneremus. In fœmininis ſubjectis vaſa ſpermatica omnia intus hærent in corpore, nulla prominent ſicuti in viris; Tamen in fœminis æquè diſcrepant intus, ſicuti in viris extra vaſa ſpermatica fœminina diſcrepant à virilibus, ſitu & conformatione, ita quoque eorum contenta; Contentorumq; proprietates, commoda & incommoda; Quæ ſi nos ab invicem non diſcreverimus in cura, ſicuti ea diſcernimus nominibus in Theoria; Injuri erimus futuri & Naturæ ipſi, & ægrorum con-

*Menſtruus Sanguis ex utroque naſcitur.*

ſtitutioni. Noſtri hic propoſiti non eſt, cujusque humoris peculiarem inſtituere anatomen; ſaltem breviter demonſtrare diſcrimen Gonorrhœę muliebris cruentæ & purulentæ; ab ejus ſanguinis menſtrui fluxu, rubro & albo, cruento & purulento dicto; Nempè quod hic nec adeò turpis ſit & periculoſus, uti ille; nec adeò crudelis & diuturnus. Et Menſtruus ſanguinis per intervalla intermittens; & continuus ſpermatis fluxus, à quo propriè Gonorrhœa denominationem habet, ex ſanguine utroque, arterioſo nempe & venoſo originem trahit; qui ſicuti in vaſis propriis, diverſi quid ad vitam, ad valetudinem, ad voluptatem conferunt; ita quoque in vaſis ſpermaticis, utero & genitalibus, quid diverſi ad morbos, ad dolores, ad mortem faciunt. Humor ſanguinis menſtrui ordinarius, vel cruentus adhuc, vel jam in pus immutatus, quamvis ſæpè fiat ſymptomaticus; tamen non ſemper talis eſt; ſed interdum naturalis & criticus. Humor autem ille, à quo affectus Gonorrhaicam appel-

*Sanguis menſtruus & ſperma ambo ex utroque Sanguine.*

appellationem habet, semper est symptomaticus; Nam contra legem & consuetudinem naturæ spermatis, cum magno doloris sensu, & nunquam sine periculo læsionis genitalium fœminæ excernitur. Quamvis autem eam patiantur interdum & virgines, vel personæ, quæ nunquam viri amplexum expertæ sunt; imò & Matronæ honestæ, jure legitimo cum maribus congredientes; tamen in utrisque est symptomaticus & periculosus. Maximè autem talis est in scortis publicis, & fœminis illis, quorum desideria vir unus satiare nequit; à quibus quo plures bibuntur, plus sitiantur aquæ. Ideò Gonorrhœa talis, quæ maligna vocari meretur, scortorum tantum, sive publicorum, sive domesticorum ita & scortatorum propriè flagellum est. Nascitur enim ex immoderato Veneris exercitio, vel ejus desiderio; Ideoque quæ supra de Gonorrhœa virili diximus, ea omnia hic quoque sunt audienda. Una enim eademque est utriusq; Generationis materia & processus. Si vir aut fœmina

*Gonorrhœa est fluxus symptomaticus.*

*Gonorrhœa quomodo generetur.* ultrà menſuram ordinariam & Legi divinæ congruam, indulſerit Veneri; vel ſuæ propriæ libidini obſequens, vel alterius ſe exæquare volens, ultra vires naturæ ſuæ; Tum immoderata quantitas ſpermatici humoris proritatur ad genitalia, & loco ejus ſuccedit materia ſpermatica ad teſtes; hacque egreſsâ quoque nova iterum ſubſtituitur, donec ipſe ſanguis ſyncerus ex venis & arteriis ad vaſa ſpermatica pertingat; Non autem ita ſubitò generatur ſperma in teſtibus, uti ejaculatur à Venere ſe exercentibus; ſed tardius fiunt intus omnia quæ generari dicimus; quamvis æquè citò ſuccedant in locum egreſſorum ſubſequentia, ac citò egrediuntur foràs manantia. Sanguis itaq; ſubitò & majori in quantitate, non ſaltem in vaſa ſpermatica prolapſus, ſed & ad Genitalia devolutus, turpis illius & muliebris fluxus cauſa eſt vel materia.

*Immoderata Venus valdè noxia.* Ideò immoderato Veneris exercitio, non ſaltem defatigari, ſed & examinari poteſt fœmina, nimiâ per genitalia ſanguinis arterioſi, nempe & venoſi evacuatio-

cuatione, ſicuti per jugulum fluxu. Atque ſanguis ille per genitalia eâ occaſione erumpens; multò eſt malignior menſtruo; Ita ut quicquid unquam ſcripſerunt Phyſici de malignitate ſanguinis menſtrui; id non de ſanguine tantum propriè ſic dicto, ſed de malignitate Gonorrhaici fluxus, præſertim cruenti ſit audiendum: ob juſtas rationes: Multæ ſunt mulieres, & matronæ honeſtæ, legitimi matrimonii ſorte cum maribus communicantes, quæ ſe fluore menſtrui albo vexari dolent, vel putant; quæ tamen ſunt Gonorrhaicæ, quamvis id ipſæ vel ignorent; vel ſi ſciant, fateri tamen nolint. Sterilitatis autem nota, id de eis indicat, fœcundiſſimis etiam ſociatis maritis. Igitur Gonorrhœa non omnis eſt ſcortorum flagellum; ſed & honeſtarum matronarum, virginumque lues & affectus ſymptomaticus. Nam conjuges vel mariùm, vel prolis, vel Venereæ voluptatis deſiderio, ultra modum inflammatæ, ab ejus autem, votis earum congruo, prohibitæ pudore vel metu, vel defectu

*Menſtruus humor non ita malignus eſt, ac Gonorrhaicus.*

*Gonorrhœa non eſt tantum ſcortorum plaga.*

virilitatis in viris, usu impeditæ, in passionem hanc turpem prolabuntur; scilicet quandoque suâ, quandoque maritorum culpâ, Venerei exercitii excessu vel defectu. Nam utrinque peccari potest; scilicet & fœmina à viro hoc affectu pollui; & vir à fœmina. Si enim hæc affectu libidinis suæ excellit virilitatis viri facundiam; tum vir ab ea in periculum, vel passionem hujus affectus incidit; Si autem vir ferventior est, quàm ut fœmina impetum ejus tolerare possit, & tamen oporteat; tum hæc in eum prolabitur, atque innoxia luit furorem mariti. Et nisi in ambobus affectuum sit æqualitas, sæpè viri, sæpè fœminæ, ob defectus vel excessus suos aut alterius, in periculosos mentis turbationes, deliria, aliosque animi affectus prolabuntur. Prudens autem Medicus, ex certis & manifestis indiciis, secretiorum quoque animi affectuum, potest & scit acquirere cognitionem certam: quorum aliqui, maximâ ex parte in occulto cordis hærent; minimâ, per externa signa se produnt. Sæpè qui-

quidem fit, quod unus alterius, & quisque suos vel excessus vel defectus novit; tamen neuter vel suos corrigere, vel alterius reprehendere palam audet; sed unus alterius se conformat, quantum potest, aut excessui, aut defectui, cum magno quidem animi sui aut dolore, aut prolubio: sed utroque profundè admodum abscondito; alter defectum suum celans, alter excessum; alter libidinis; alter ad eam satiandam ex integro, requisitorum. Pudor cuiq; frænum imponit. Nam interdum multi sunt viri facundiores in ore, quàm in re ipsâ; Fœminæ autem non omnes verbis tantum, sed & factis satiari volunt; quamvis extra dissimulent amoris odium. Quare fit sæpè, quod viri juniores, qui ante nuptias putabantur esse Gigantei duellatores in castris Venereis; post nuptias, elapsis aliquot non tàm Annis quàm Mensibus, in morbos & affectus periculosissimos incidunt; in fluxum nempe hepaticum, phthisin, marasmum, & alios his æquales & multò crudeliores; nisi ob excessum sive

*Frænum Venereæ libidinis pudor est.*

propriæ libidinis, sive uxorum. Nulla est adeò violens & profundè penetrans humorum, vaporum, vel spirituum turbatio, quàm quæ fit ab immoderato Veneris aut desiderio, aut exercitio. Multæ personæ ita lascivæ sunt, quamvis contrarium dissimulent in verbis & gestibus, ut ne urinam quidem comprimere possint: Sunt puellæ, quæ aliquandiu mensium suppressionem passæ, imò nunquam prius expertæ, tamen ad primum conspectum adamati, in eum prolabantur, meliori successu, quàm si violentiori medicamento eum proritassent. Dicto enim major est imaginationis exacuatæ efficacia, præsertim amoris vel iræ immoderatioris impetu. Nemo tamen patientum Gonorrhœam, vel rarò aliquis; nec etiam id ex integro, fatetur interioris sui affectus constitutionem, ad Medicum, consilii ejus vel auxilii, adversum symptoma, manifestius quàm ut celari possit, indigus. Sub peregrino titulo occultant molestiam interioris plagæ; turpitudine ejus territi, eam fateri ex integro.

*Venerei affectus magna est vis.*

*[G]onorrhaici occultant [a]ffectum.*

Non

Non enim ſemper Gonorrhaici curari volunt, ſi volunt; ſed affectum ſuum nominant nocturnam pollutionem, vel urinæ incontinentiam; vel fluxum Menſtruorum album; vel genitalium immoderatiorem æſtum, pruritum, frigus &c. Sed Medicus prudens, per ſerium examen omnium circumſtantiarum, quas ex relatione tum patientis ipſius, tum amicorum ejus, in cognitionem ab eis, vel omninò vel ex parte, occultatorum promoveri poteſt; atq; ſic diſſimulato animo, quaſi patientum petitis obſecundare vellet, medicamenta ad finem propoſiti ſui dirigere, patientibus ignaris; Sæpè multæ ancillæ gravidæ, ad aures meas de ſimplici menſtrui ſuppreſſione conqueſtæ, ſine tamen tum meæ conſcientiæ, tum fœtus jactura, juſto tempore ſuppreſſione menſium ſunt abſolutæ: enixæ ſcilicet fœtu vivido, qui illius ſuppreſſionis cauſa fuit: Fluxus autem prior menſtrui albus per lochia eſt ſublatus. Talis fraus & utilis, & honeſta eſt in Medico; Nec violat juramentum, qui piis dolis fraudes

*Medici prudentia in cura Gonorrhææ.*

des illudit fœminarum, quæ & flagitia patrare cogitant, suæ famæ prospicere volentes: quæ tamen prudentia Medici prævidens præcavet. Huic certe affectui prospexit natura ipsa, nempe spermatis immoderato effluxui; quia cuilibet Venereo exercitio, odium vel fastidium ejus suggessit, tanquam frænum; Prolis potius propagandæ, quàm voluptatis satiandæ gratiâ, in Venerem pronior: ut est in communi proverbio, omne animal tristari post coitum. Si adeò durabile esset fastidium id quod Venerem sequitur, uti vehemens est, in primo suo ortu? tum nunquam in fluxum Gonorrhaicum prolaberentur aut scorta, aut scortatores; aut aliæ personæ; Verum quia multos iterum æquè citò relinquit ac invadit, atquè in furorem convertitur; ideò qui primo actu immunes mansissent â Gonorrhaica passione, secundò vel tertiò in eam præcipitantur. Fœminæ post primum duellum paucissimæ sunt quæ satientur, sed plurimæ per unum ad libidinem in-

*Fastidium Veneris naturale.*

*Gonorrhææ ortus.*

cen-

cenduntur, ita ut viri, volentes earum ſatiare deſideria, ſi non in affectum Gonorrhaicum, tamen in alios æquè imò & magis crudeles, provolvuntur; à quibus vexantur ad mortem usque. Vah viro illi, qui nimis laſcivam nactus fuerit thori ſociam, nam citius ille exanimabitur, quàm fœminæ deſideria ex integro ſatiare poſſit; ſi ſcilicet ad nutum eſſe ſtuduerit: ne ab ea ob defectum virilitatis in deſpectum, & apud alios in jocum devolvatur, exceſſum libidinis ejus ſemel atquè iterum expertus. Nullum malum adeò infeſtat fœmininum ſexum, quàm amoris aut iræ exceſſus; Amor earum eſt inſatiabilis; & ira irreconciliabilis. Celare tamen utrumque doctè ſciunt, & niſi quis maturè ſibi proſpexerit adverſum duas has furias fœminini ſexus; ſerò pœnitebit, vel ſapere diſcet. Nullus eſt quoquè morbus ita contagioſus quàm amor; ſive licitus ſit, ſive illicitus; ſive manifeſtus ſive occultus; Sapienti ſat dictum. Omnes carnales concupiſcentiæ ſtimuli ſunt, vel ſagittæ ſpirituum infernalium ignitæ;

*Amor fœminarum inſatiabilis*

ſi ſci-

ſi ſcilicet mentem hominis ſibi ſubjugaverint totam; In proprio ſubjecto candent, in peregrino urunt, ſcilicet eo quod contingunt. Durum quidem eſt, imò verò & impoſſibile omnem eorum evitare æſtum, vel ſuperare violentiam, ita non niſi incaleſcamus ab eis, ſine periculo aduſtionis; Tamen neminem lædunt pernitioſius quàm incautos, quàm cœco impetu in eorum retia ruentes; & eorum toxicâ voluptate inebriatos, inebriarique ad furorem usq; cupientes. Ita quidem eſt quod multis ſuppreſſio ſpermatici, humoris longius continuata, ſit noxia; & multa incommoda ſurgant à ſpermate, ſicuti à ſanguine ultrà tempus ſuppreſſo; Ideò ſicuti menſtruam ſanguinis purgationem. ita & ſpermatici humoris excretionem valdè utilem eſſe. Docent enim Medici quod ex putreſcente ſpermate tum in vaſis ejus propriis, tum jam in uterum prolapſo, magnos, malignos, & periculoſos oriri affectus, ſcilicet Lypothimias, Syncopes, ſtrangulatus uteri, Epilepſias, &c. ſicuti ex ſuppreſſo ſanguine

*Suppreſſio ſpermatis noxia.*

guine

guine menstruo, etiam & oculi infici-untur, ut per eos lædantur, & externa objecta; Imò addiderim ego, quod ex spermatico humore suppresso pejores oriantur impressiones & contagia majora, quàm ex sanguine menstruo; si non ita membris noxia patientum, tamen animo, & internæ imaginationi; Præsertim in illis subjectis quæ amant quidem vehementer sed amores suos non ita sponte frænant quàm externis mediis coacti. Puellæ multæ in delirium & furorem prolabuntur amoris interni violentiâ, & spermatis earum luxuria, extra prohibitæ patrare quæ maximè vellent si liceret, citra famæ dispendium, & alia impedimenta. Nam quamvis sanguis putrescere nequeat in vasis suis propriis, propter continuitatem motus fermentativi, quo indesinenter exagitatur, quousque nomen & formam habet sanguinis. Ea tamen quæ in venarum & arteriarum extremitatibus quieta hærent, & ab unâ parte massam sanguinis, ab alterâ unguium radices contingunt putrescere, & ad superio-

*Spermatis suppressi vi tia.*

*Sperma pu trescere po test in vasi suis.*

periora vaporosâ specie regurgitare possunt, suisque tincturis totum corpus inquinare. Idem potest contingere & spermati in vasis spermaticis, si nempè longius illic hæserit quàm vel natura ipsius spermatis, vel affectus patientis eum illic hærere quietum vellent; Ideò Veneris exercitium, sed modestum & honestum, legibus Divinis privilegiatum est cuique sexui utile; maximè autem fœminino; huic autem maximè periculosum longius dilatum quàm id affectus interni vellent, & citra turbationem vaporum vel humorum tolerare possunt. Sed immoderata spermatis profusio, quamvis licita per extrinsecas leges esse videatur, alterutri congredientium, nisi utrinque, semper malè cedit; & si non in alios affectus eos præcipitat, tamen in Gonorrhæam; etiam ignaros eam inde oriri. Quia enim tempora spermificationis coincidunt cum tempore menstruosæ eruptionis sanguinis; non autem semper ordinariò vel debito tempore sanguis erumpat, tamen spermificatio adest, etiam men-

*Profluvium spermatis noxium.*

menstruo suppresso; imò sæpè largior spermatis proventus materiam menstrui subtrahit, sicuti imoderatior sanguinis menstrui eruptio, materiam spermaticam secum rapit; ideò errant judicio & patientes & Medici, ignari cuinam humori, an spermatico an menstruo imputare debeāt Gonorrhaicum fluxum; quem simpliciter quidem mēstruum album nominant, qui tamen non à sanguine, sed à spermate potius denominandus esset. Error autem ille oritur quoquè inde, quod & virgines eum patiuntur, maris amplexum nunquam expertæ; Quasi sperma vel generari, vel excerni nō possit sine viro, cum tamen sanguis menstruatim erumpat sponte propriâ, quod virginitatis indicium putatur esse indubitabile. Est quidem cuique illi humori, & spermatico scilicet & menstruo peculiaris insita virtus & vitium; sicuti aliis quoquè humoribus ex sanguine ordinario nasci consuetis; bili scilicet, phlegmati, urinæ, sudori &c. Utrius quoquè & excretio, & suppressio habet suam commoditatem & in-

*Spermificatio cum mēstrui tempore coincidit.*

*Spermatis & menstrui differentia.*

& incommoditatem; si differatur, anticipetur, augeatur aut minuatur: unum eorum est grave & periculosum, alterum turpe; unum magis noxium corpori, carni, sensui; alterum famæ, imaginationi, conscientiæ. Suppresso enim vasorum spermaticorum contento ultra tempus; eoque in vasis ejus primis, secundis, vel ultimis, aut in genitalibus vel utero putrescente; varii inde nascũtur humores, alii aliis acriores; vel vapores inde ad superiora regurgitant, variis saporibus, odoribus, coloribus membra tingentes; vel cerebrum variis imaginibus perturbantes; à quibus patientes in deliria vel furores quandoque tetros, quandoque ecstaticos cientur. Et quamvis sæpè & Epilepticas convulsiones causentur; tamen ita subtiles, ut non ita membra lædant quàm mentem turbent; Ad se enim reversi ægri, non se aliquos humores sensisse; sed appariciones aliquas jucundiores ac tristiores vidisse vel audisse narrent; Ita ut eos potius à spiritu afflatos, quàm à morbo afflictos putent, eorum verborum audito.

*Epileptici affectus ex suppresso spermate.*

ditores, & gestuum spectatores, tum in paroxysmo Epileptico, tum extra. Uterque sexus talibus est obnoxius ab iisdem causis affectibus. Sed mares juniores rarò; Sed sexagenarii, & in quibus Venus languere incipit, sæpè. Fœminæ autem, etiam juniores, à spermate varias incommoditates patiuntur; quæ nempè ultrà modum lasciviunt; sed omni occasione destituuntur suis desideriis potiri: citra famæ dispendium. Nisi exempla essent odiosa, narrarem multa pro me facientia, quorum adhuc testes supersunt vivi. Sed duo tantum sufficient nobis hic; tertium recitat Author libri Lux in tenebris dicti; in historia Christinæ Pajatoviæ; cujus deliria, author ille 1. cap. inter revelationes Propheticas recensendas judicat; sed cum magno & aliorum assensus, & famæ suæ dispendio. Fuit Lugduni Batavorum Anno 1625. Medicinæ Doctor, natione Moravus, mihi valdè familiaris, insigniter doctus; hic cujusdam puellæ aulicæ Hagæ Comitis correptus amore, ipse jam ætatis provectioris; ab ea autem

 turpio-

turpiorem quàm putarat repulsam passus, & cum ea uti prius sæpè factum confabulari prohibitus; occulto ejus amore, primùm in tabem; ultimò in delirium omninò prolapsus fuit, & miserè interiit. Pragæ fuit adolescens studiis literariis nimio deditus; sed supra modum Venereus, ita ut toties Gonorrhœam passus sit, quoties cum puella ei confabulari contigit; Occultavit tamen morbum suum, donec omninò consenuisset; interea putavit, quod non ille fœminas, sed fœminæ illum deperirēt; Tandem in continuum delirium prolapsus est. Hi duo revera perierunt, vel se ipsos perdiderunt nimiâ lascivià, atque ita fatuâ continentiâ. Tutius enim est nubere quàm uri. Et qui sibi conscius est lasciviæ, malè agit nisi adhibeat remedia, quibus extinguuntur æstus stimulorum Venereorum. Ita fit quotidiè; Multæ enim viragines se ipsas in gravissima conjiciunt symptomata, nimio, sed occulto, & quasi per vim intus abscondito amore. Cujus tamen incommodi facilis fuisset curatio in principio;

*Tutius est nubere quã uri.*

cipio; si saltem cum viris frequentius conversatæ fuissent, vel colloquutæ saltem etiam sine omni illegitimo amplexu. Vel si saltem parentibus revelassent, occultos amoris earum vehementioris impetus; quo illi maturassent eas ocyus elocare viris; Sed parentes interdum filias, quas summè diligunt, suo immoderato amore perdunt, vel in dispendium famæ devolvunt. Nulla puella ita casta est, ut omninò immunis sit â desiderio carnali: nec illæ, quæ se per votum castitati devoverunt, liberæ sunt â molestiis, quæ à spermatis suppressione surgunt; Tamen remedia habent, quibus, sine violatione tum voti, tum famæ illis occurrere sciunt. Satis enim fit voto, per abstinentiam à carnali copula; non autem satis curandæ valetudini, sine remediis furores Venereos compescentibus & frænantibus. Spermatici enim humoris vel immoderata excretio, vel justo diuturnior suppressio utraque est noxia, utrique sexui; sed fœminis periculosior quàm viris; Nos non nisi fœminarum incommodo hic

*Parentes sæpè filias perdunt, quas amant intentius.*

consulemus; Quomodo nempe fœminis à suppressione spermatici humoris laborantibus succurri possit, sine famæ earum, & pietatis, nostræq; conscientiæ labe. Ætas prima sexus utriusque, scilicet ab infantia ad annos usque spermificationis, vel mẽstrui eruptionis, (quamvis in multis subjectis citius se prodat spermificatio, quàm sanguinis menstrua excretio,) ab affectu Gonorrhaici mali immunis est; præsertim mariũ. Fœmellæ autem etiam juniores, & sanguinis menstrui profluvium nunquam passæ, honestæ & pudicæ, à Gonorrhœa tamen afficiuntur; quam illæ fluorem mensium album nominant; sed falso: Est enim spermatici humoris profluvium; quod si menstruam earum purgationem præcedat, tum sanguinis menstrui materiam simul rapit; & eam vel omninò supprimit, vel ita diminuit, ut rarò quid cruenti per genitalia emittant, sed quod inde erumpit, rarò menstruatim, sed continuò, purulentus saltem humor est. Potest quidem & ille ex sanguine menstruo nasci, diutiùs

*Sperma Sanguinis Menstrui suppressionis causa.*

quàm

quàm par eſt, in emunctoriis venarum uteri retento: Tamen ſi nunquam cruenti quid emanavit menſtruatim prius; tum pro ſpermatico humore, non autem ſanguine menſtruo eſt habendus, humor ille turpis & purulentus per genitalia fœminarum ſtillans vel copioſius manans. Ideò id primum eſt attendendum in curando affectu fœminino, an nempe ſpermaticus ſit, an menſtruus humor, cujus fluxu laborant patientes? Id enim ex certis indiciis deprehendere poſſumus, ſi ſaltem ſerius in omnes circumſtantias fluxus illius inquiſiverimus; ſed & hic prudentiâ opus eſt, ut veritatem fateantur patientes, invitæ enim id faciunt; Ordinariò quidem menſtruus ſanguis citius erumpit quàm ſpermaticus humor; ſed interdum menſtruo longius ſuppreſſo, ille anticipat. In pube & inguinibus ſentiuntur incommoda majora ab humore ſpermatico; ſed in dorſo; in ſanguine menſtruo: Ita quoque laſciviores ſunt puellæ ſpermatico fluxu laborantes quàm ſanguineo: Nam reciproca-

*Cautela in curatione Menſtrui albi.*

*Reciprocatio inter sperma & affectum lascivia.* tio quædam est inter spermaticum humorem & affectum lasciviæ, ita ut hic spermati comodiorem generationem, & hic lasciviæ stimulum suppeditet; In tali malo puellarum cum pueris, vel virginum cum adolescentulis commercia prohibenda non sunt; nam puellæ cum puellis sæpè turpiora patrant, quàm unquam patraturæ fuissent cum pueris. *Vapores soli interdū salaces efficiunt sine humore.* Impetus Venerei interdum magni surgunt à solis vaporibus, qui humoris spermatici generationem præcedunt, & utrumque sexum vexant; atque hoc vitium derivatur in juniores, non malâ institutione parentum, vel externâ conversatione; sed ex seminali principio, quod immutari difficulter potest, sed omnibus per integram vitam adhæret, etiam invitis, & eo liberari cupientibus. Etiam in tenerrimam ætatem sævit sæpè lascivia; Uritque maturè, quod vult urtica manere. Gonorrhœa autem omnis, cique cognati affectus non aliunde quàm ex lascivo surgit affectu, non per consuetudinem externam attracto, sed per Naturam innato. Gonor-

norrhaici affectus in fœminis communiter sterilitas comes est; sed non necessariò aut semper Gonorrhaicæ steriles sunt. Sunt multæ fœminæ ita fertiles, uti salaces; aliæ ita steriles; prout spiritus cum spermate,& hoc cum spiritu conspiraverit. In potestate patientis est sperma, sed non spiritus, vel affectus lasciviens; Hic quandoque superat hominem ei etiam rebellem; Sed spermatis excretio à voluntate pendet patientis; Ideò Gonorrhaici frænantes lasciviam in affectu, cohibent spermatis generationem; sed indulgentes lasciviæ, sperma multum effundunt sterile tamen omne. Gemina tamen sunt vasa spermatica in utroque latere distincta; ita & testes gemini ab utroque latere unus; ideò nec vasa spermatica omnia, ab utroque latere, nec etiam testis uterque laborat uno vitiato. Nam in viris resecto uno non ideò tota abolетur virilitas; ita in fœmina Gonorrhaica potest remanere ad conceptionis possibilitatem spes; Nisi temporis diuturnitate omnia vasa spermatica, &

*Sterilitas Gonorrhœæ comes.*

*Gonorrhaica nō omnes sunt steriles.*

testes ambo inquinati sint; Ex Gonorrhaicis tamen matribus, lascivi admodum nascuntur fœtus; ita ut in ætate matura citius Gonorrhœam patiantur, quàm menstrua; & nisi maturè elocentur viris, tandem omninò ad prolis generationem fiant inutiles; vel valetudinarios pariant fœtus, nec diu superstites. Hæc scire Medico utilia sunt valdè; sed effari non sunt tuta, præsertim ad aures fœminarum Gonorrhaici fluxus ipsismet consciarum; Nisi promittat illis talis incommodi earum totalem abolitionem; sive quid præstare possit, suis verbis conforme, sive nihil. Non opus est autem in parentum constitutionem inquirere sedulo, sed sicuti ex parentum cognitione certa promovemur in cognitionem liberorum; ita ex liberis cognoscere possumus, qualem vitam vixerint parentes, si prudenter omnia observavimus in his. Sed sicuti multum ægris prodest, Medicorum prudentia; ita & illis valdè noxia est eorum vel ignorantia vel stupiditas; nam hujus vitio sæpè in pejora mala prolabuntur

*Medico taciturnitas utilis.*

*Medicorum ignorantia ægris noxia.*

buntur ægri, quam factum fuiſſet, ſi nullis omninò uſi fuiſſent Medicis; Quia autem talia delicta operit tellus, ideò utrinque tuto peccatur; imò & periculoſum eſt, tales reprehendere errores. Gonorrhœam curare, à ſalaciori ſaltem ſed ſeminali affectu natam, ſine concurſu imaginationis patientis, difficile admodum eſt; præſertim ſi diuturnitate temporis invaluerit; Sed ab immoderato Veneris exercitio ortam, nō quidem ita difficile, quàm periculoſum; Nam hæc ſimpliciter ſuppreſſa, non autem radicitùs exſtirpata, in alios affectus, priori æquales aut crudeliores, devolvit patientes: Scilicet in tabem, in maraſmum, hæmaptoiſin, fluxum hepaticum, vel omninò in luem, quam communiter, Gallicam, nominamus. Habent quidem mulieres Gonorrhaici affectus ſpecifica quædam remedia, in Gynæcæis experientiâ comprobata, fluxum eum ſupprimentia ad tempus; quæ raro in vulgus effutiunt, & non niſi fideliſſimis communicant; quædam eorum quidem non reprehendenda, ſed

*Gonorrhœa ſuppreſſa noxia eſt.*

plurima valdè ridicula & superstitiosa: quorum virtute mitigant aliquandiu affectus illius violentiam; vel ex continuo eum mutant in intermittentem; nequaquam tamen eum omninò abolere possunt; ita ut quandoque profuisset illis nunquam usas fuisse: ob majorem eorum post noxam, quàm prior fuit utilitas; quæ in patientes derivatur, non ita quidem vitio medicamenti, sed earum proprio; quia injusto scilicet tempore utuntur medicamento, quod justo tempore propinatum, si non profuisset, tamen nihil nocuisset; uti post fit. Nullus autem affectus est difficilior mobilis à fœminis, quàm quem amor earum occultus fovet, aut ira; Amorem quidem profundius occultare possunt quàm iram; Sed ille eas gravius lædit quàm hæc, ita ut & in fœtum redundent ejus incommoda. Ira in eas ipsas magis sævit quàm in fœtum. Lascivia virginum in earum cælibatu celata, tandem per conjugii privilegia libertatem plenariam nacta, nisi facundos repererit

[…]morem oc[…]ltare fæ[…]ina diu […]ssunt.

rit mares & Antagoniſtas, periculoſa eis eſſe ſolet & fatalis rarò enim ſatiatæ relinquuntur à maritis, ſed libidinoſiores poſt factum quàm ante. Quaſdam puellas ita violenter vexat amor, ut nec famæ nec vitæ diſpendium, ejus in eis poſſit frænare impetum: Nec unius maris etiam facundioris æſtus, earum ſatiare deſideria. Quæ autem fœminæ ex congreſſu cum viro ferventiori, vel cum pluribus, Gonorrhaicam labem contrahunt? intùs in animo in Venerem minus pronæ: Illæ nec diu laborant hoc fluxu, nec admodum periculosè, quamvis graviter; ſed uno menſtrui ſuccedentis largiori profluvio ab eo liberantur: Abſente enim laſcivo affectu in fœmina tempore congreſſus viri cum ea; ſterilis eſt, vel ſuperficialis ſaltem infectio inde ſurgens; Quia contagioſus humor, vel vapor non reperit ſibi conformem intus fomitem; ſive paſſiva activis non ſunt conformia. Luxuriante autem affectu in fœmina laſcivo, etiam maſculo non ultra ordinem libidinoſo; facilis fit prolapſus, in Gonorrhœam, ſi non

*Gonorrhœa curatu facilis in ſubjectis Venerem faſtidientibus.*

non periculosam vitæ patientis; tamen ejus conceptioni & fertilitati; ideòque contingit quod fœminæ juniores ob suam salacitatem nimiam steriles maneant, tandem autem, mitescente in eis lascivia, imprægnentur. Scorta indesinenter turpi hoc fluxu laborant; & quod si interdum imprægnata fuerint; nec tum ab eo libera sunt; Nolo autem hic omnes Gonorrhaici fluxus causas recensere; saltem illius, qui insciis quasi patientibus obrepit, & ab omni illegitimo marium amplexu mundis; ut sciant quid eis vel omninò cavendum, vel frænandum valdè sit, si ab hoc affectu immunes esse velint. Matrimonium quidem est tutissimum hujus affectus remedium; præsertim juniorum cum junioribus; nequaquam tamen omninò tutum, nisi alteruter conjugum sciat moderari suos affectus, & amplexus Venereos dirigere secundùm regulam instituti Divini; scilicet ad procreationem sobolis, non autem ad satiandam libidinem. Inæquales ætate, inæqualitate communiter laborant affectuum; simu-

*Scorta indesinenter hunc fluxum patiuntur.*

*Æqualium cum æqualibus matrimonium optimum.*

ſimulent quicquid velint; quodquè domi non poſſunt extra venantur. Igitur parentes quandoque multa præcavere poſſent ſi vellent; ſi ſcilicet filias ſuas maturè elocarent viris, filiabus æqualitate ætatis & affectuum ſimilibus; Nam ſæpè in periculoſos affectus & famæ & vitæ incidunt filiæ, parentum ſuperbiâ, aut avaritiâ, aut ignorantiâ, non ita proprii animi malignitate. Interdum humor ſpermaticus ex genitalibus fœminæ erumpens, viridior & turpior eſt quàm puris ſimplicis ſolet eſſe ſubſtanſtantia; etiam aliquando dolores ingentes urentes, pungentes ſentiuntur in genitalibus fœminarum, ſine vel cum ulceribus; quæ tamen non putantur unquam cum maribus rem habuiſſe, nec ipſæ etiam id fateri volunt: minis, imò ne flagris quidem coactæ. Tales autem quamvis liberæ poſſint eſſe ab illegitimo congreſſu, tamen non ab amplexu viri: Quandoque & puellæ per puellas in affectum Gonorrhaicum devolvuntur; Intus in animo earum fervente affectu Venereo, omninò inſatiabili.

Et

Et quamvis ad eum curandum variæ adhibeantur machinæ, frequentes vacuationes, Diaphoretica sæpius præbibita, ad radicem mali evellendam directa: frustranea tamen sunt omnia, quia fomes ejus illic non hæret, unde vacuationem facere intendunt Medici, sed in ipsissimis affectibus; quos nemo Medicus mutare potest, nisi solus Deus, vel patiens; ideò omnia extrinseca inutilia omninò sunt; nisi talia suppeditentur, qualia poscunt affectus: Vah autem Medicis vel viris illis, qui talibus ægris præficiuntur; citius enim ipsi viribus omnibus exinaniuntur, quàm affectus patientum mitigare, vel satiare possint. Quod si verò in humoribus solis spermaticis aut sanguineis, hæreat Gonorrhoeæ causa & fomes, tum medicamenta extrinsecus adhibita, secundùm artis methodum, & consuetudinem, utilia sunt, & necessaria; Nam & patiens ipse non saltem fluxus ejus, sed & Venerei exercitii ob ejus turpitudinem fastidit usum. Atque qui talem patientem nanciscitur Medicus, ille & valetudini pati-

*Gonorrhœa incurabilis quæ?*

patientis, & famæ suæ optimè consulet arte suâ. Quia autem communiter à posteriori curari volunt ægri & ægræ; sive citius à sensu doloris liberari, quàm à doloris causa; ideò nisi semper, sæpissimè tamen frustrantur & patientes & Medici felici aut successu aut eventu curæ suæ, nisi patientes sibi ipsis cavere velint ab internis affectibus, eorumque luxuria. Sed mala indies fiunt deteriora; quod tamen aliter cecidisset, si methodus curandi inversa fuisset, aut per prudentiam Medici, aut patientis. Cōsulunt quoquè hoc in affectu fœminæ potius fœminas quàm viros easque vetulas, sine dubio talium affectuum conscias; & eos prius expertas; quarum ubique terrarum magnus est numerus; quæ non saltem medicamentis, proprio experimento approbatis, sed quandoque superstitiosis incantationibus, imò & fascinis utuntur; Qualesque Medici sunt, tales quoquè subsequi solet curæ successus & eventus. Quodque prius patientes admittere nolebant ob pudorem, & occultandam morbi turpitudinem,

*Ægri à posteriori curari postulant.*

*Fœminæ curant morbos sine ratione & contra rationem.*

nem; id poſtea eas facere compellit doloris vehementia; ſive & Medicos & Chyrurgos compellare cogit; ut plurimum tamen valdè ſerò. Quia non ſaltem membra ſed & vires ipſæ animi debiliores ſunt tolerandis & doloribus & remediis. Nam ſanguis qui menſtruatim fluere conſuevit prius, tandem omninò ſupprimitur, ad vaſa ſpermatica devolutus, & per ea evacuari conſuetus. Quod vitium nec prius, viribus adhuc integris, aliter mitigari vel curari potuit, quàm ſolius Veneris non ſaltem intermiſſione, ſed & faſtidio. Sanguis enim uterque, utriq; fluxui & menſtruo, & ſpermatico, ſuppeditat materiam; huic autem arterioſus magis quàm venoſus. Ideò ſuppreſſo menſtruo, ſpermaticus exacerbatur. Laſciva cupido non incipit cum ſpermificatione, ſed eam præcedit; Ita & abolito ſpermificationis actu, & menſtrui fluxu ordinario ſuppreſſo, vexat anus quoque decrepitas, quæ ob externam membrorum rugoſitatem & deformitatem maribus ſunt exoſæ; tamen ideò in affectu laſci-

*Sanguis uterq; materia, & menſtrui & Gonorrhææ.*

væ admodum, & libidinosæ; ob cujus libidinis excessum & sceleratissima quæque patrant; ad dæmones & veneficia animos convertunt, ut saltem potiantur petitis. Fluxum spermaticum ordinarium, magnus comitatur interiorum dolor, æstus, vel genitalium pruritus, ob acrimoniam in humore spermatico latentem: ideòq; intus in illis ulcuscula quandoque nascuntur, vel ipsius humoris acrimoniâ, vel patientum impatientiâ, quæ fricatione genitalium pruritum sopire volentes, ulcusculis imò & ulceribus nascendis objiciunt occasionem, hæc enim quo magis fricantur, majorem pruritum excitant, & ex ulcusculis in ulcera sordida & maligna abeunt. Atquè ad pruritus illius fervorem coercendum, citius quàm intolerabilis fiat, nihil est conducibilius laconico, aut balneo; in quo patiens ad ubera usque immersa, ad minimum per unius horæ spatium sedeat oportet; cui incoctæ sint herbæ Saturninæ; e g. Levisticum; Henricus bonus; Hortensis Pastinacæ herba, imò & Sempervivum Fœminæq; *Pruritus & ulcusculorũ cura.*

Tt geni-

genitalia intus ablui & fomentari spongiâ, Seminum mucilaginosorum decocto imbutâ; Optimèq; detersa, inungi intus debent unguentis nō tam pinguibus, quam mucilaginosis & viscosis, quę non ita facilè iterum prolabi, vel urina ablui possint. Hæc saltem ad pruritum compescendum, vel ulcuscula sananda, conducunt; non autem ad supprimendum fluxum spermaticum. Sanatis autem ulcusculis & mitigato pruritu, festinandum est, ut primâ occasione, menstruum ordinariò erumpat: nam hoc fluente, largiꝰ subtrahitur materia spermatico fluxui; hoc autem iterum ordinario fluere cessante, Laconicis & diaphoreticis exercendus æger sæpius, & ab omni Venereo exercitio abstinendum ad tempus subsecuturi menstrui, tum laconico & diaphoreticis iterum utēdum aliquoties, donec nulla amplius appareant purulenti humoris indicia; tunc temperandum admodum Veneris exercitium, donec omnia in ordinem & quietem, in venis & arteriis, & vasis spermaticis reducta fuerint.
Sudo-

Sudores copiosi, & frequens vomitus, in Gonorrhaico fluxu comprimendo, utilissimi sunt, si quid humana prodesse possunt medicamenta. Discussis enim vaporibus, & humores quietantur; illisq; turbandis omnis præripitur occasio. Medicamentorum formulas hic iterùm studiosè relinquo. Nihil enim est quod turpius prophanet Medicinæ majestatem, quàm talia scripta, quæ medicamenta dictant sine Ratione; horum enim occasione Studiosi Medicinæ à scrutinio causarum morbificarum à praxi avocantur, ut id agant, quod agere minimè idonei sunt; & quod si ipsis citra opinionem successerit praxis prima, eam non nisi modo inchoato continuant, neglectis rationibus omnibus. Qui Medicorum ingenii acumine pertingunt ad centra usque morborum occultiora, illis nullibi & nunquam desunt, vel deesse possunt, medicamenta, ad propositum eorum requisita. Sed Medici Empirici, medicamentorum multitudine explent rationis & judicii defectum non ita ægrorum, quàm ipsorum

*Sudorifera & Vomitiva in Gonorrhæa possunt.*

rum commodo; Quasi nobis Medicis pugnandum sit cum morborum titulis, potius quàm cum eorum causis.

---

## Caput XI.

### *De Cura Hæmorrhoidum.*

Sanguis à sanguine discrepat.

HÆmorrhagia ex Ano erumpens per orificia canalium, quos scholæ Hæmorrhoidas, Germani **Gulden-Ader**/nominant; sanguinem quidem vomit sanguini partium superiorum, vel illi, qui ex sectâ brachii vena erumpit similem, quoad nomen & formam externam; sed tamen ab eo sapore & pondere valdè discrepantem. Demonstravimus enim in parte hujus Tractatus prima, sanguinem à sanguine intus in arteriis & venis, earumque superioribus & inferioribus ramis ita discrepare, uti aëris extrinseci regio una ab altera discrepat, & quælibet peculiaribus meteoris generationi commodam præbet occasionem. Fluxus autem vel eruptio sanguinis per hæmorrhoidas non semper

per eſt ſymptomaticus; ideò non ſemper opem artis exigit; quia ſponte uti fluit,ita & fluere ceſſat. An verò canales illi,per quos erumpit,aut per ſimplicem hiatum,vel per diabroſin,venæ ſint tantum; an verò & arteriæ; id de eo nemo hucusque pronunciavit Medicinæ Doctorum,Rationalium,Dogmaticorum, Anatomicorum,Galenicorum,Chymicorum,Empiricorum; quamvis multa ſint, quibus inter ſe omnes diſſidere amant; Si igitur ego eum non ſaltem venoſum, ſed & arterioſum eſſe dixero; ignoſcant mihi Lectores ingenui, & prædictarum ſcholarum Doctores tum diſcipuli,& omnes illi,qui eum hucusq; venoſum tantùm nominarunt, canalesq; ejus venas. Quamvis autem nos nulla teſtimonia habeamus pro nobis authorum nobiſcum idem ſentiẽtium; qui ſcilicet in deſcriptione ejus arteriarum mentionem feciſſent. Tamen nos, juſtis rationib⁹ compulſi,eum ex utroq; ſanguine miſtum eſſe, liberè pronuntiamus. Quamvis verò conceſſerim ſubtiliores eſſe canales illos ſanguineos

*Hæmorrhoidũ ſanguis eſt mi-ſtus ex arterioſo & venoſo.*

ano infixos, quam ut eos ab invicem discrepare, ita manifeſtè demonſtrare poſſint Anatomici, qualiter id faciunt venarum & arteriarum emulgentium, vel vaſorum ſpermaticorum examinãtes diſcrepantiam; Tamen indicia & ſignaturæ in ſenſu patientum diſcrepantes, nos quoque diſcrepantiam ſanguinis erumpentis agnoſcere docent; ſive aliter & ab alio ſanguine eos affici ſimul & ſemel. Si vapores ab humoribus diſcerni debent: Quamvis autem videamus extra nos vaporum & humorum eſſe reciprocationem, ſive vapores jam ex humoribus naſci, jam iterum humores ex vaporibus; ſed alia eſt ratio motus in ſanguine fermentativi, quem moderatur anima carnis; vel ſpiritus ſeminales in maſſa ſanguinis homogenea occultati; Nam ab his naſcuntur vapores illi in ſanguine, ex quibus humores per emunctoria cientur, & qui ſecum ſanguinem interdum rapiunt; non autem ex ſanguinis maſſa in humorem diſſoluta, qualiter aqua caloris extrinſeci beneficio in vaporem reſolvitur;

*Vapores nati à ſpiritu differunt à vaporibus humoroſis.*

Exq;

Exque vaporibus ab occultis ſeminalibus principiis natis, impetus in ſanguinem derivantur, tùm vitales, tùm morboſi; tùm critici, tùm ſymptomatici, tum vaporum, tum humorum generativi. Vapores ſoli impetum in emunctoria facientes, eaque in tumorem duriorem aut molliorem attollentes, ſunt communiter arterioſi ſanguinis ſoboles; qui non ſemper ſanguinem ſimul foras proliciunt; atque à talibus vaporibus naſcuntur ficus ani, mariſcæ, condylomata, & hæmorrhoides cœcæ; quamvis interdum humoris alicujus tantillum, plus vel minus ſibi permiſti habeant. Ex venoſo autem ſanguine humores largius erumpunt, vel diutius ſtillant ſine omni moleſtâ violentia; tamen cum membrorum ſenſibili macie, non tamen omnes, niſi fluxus ſanguinis diu continuaverit, quod ſæpè fieri ſolet; ab intermittente autem, interdum vultus & manus, intumeſcunt & detumeſcunt ad oculum. Ideò non tantum plethora eſt ejus fluxus cauſa, ſed ſeminalium ſpirituum impetus, jam fortius,

jam mitius in sanguinis massam irruens. Putat autem Doctissimus Fernelius, *Incisione venarum superiorum fluxum Hæmorrhoidum nimium, supprimi; imò vero & eo modo in posterum omnem præcaveri posse, lib.2.Meth.med. Cap.7. pag. mihi 47, 48. Si quis autem in ejus nimio profluvio, venæ sectionem ab inferioribus inchoaverit: Quòd sit fluxionis impetum, phlegmonemq́ sive inflammationem in ano aucturus.* Sed pace manium, Celeberrimi illius Medici, sentimus nos contrarium; scilicet venam infra in pedibus secari oportere, & suppressis hæmorrhoidibus, & largius sanguinem vomentibus. Nam si ex communiori opinione, de sanguinis circulatione judicare voluerimus, de phlebotomiæ modo & cautelis; unde nobis constabit an uterque sanguis, nempe & arteriosus & venosus, uno eodemq; motu, vel motus impetu moveatur; vel uterq; diverso? Quod si autem in arterioso hæreāt hæmorrhagiæ seminaria? quod ea per sectam venam mitigari possint? Non enim oritur hæmorrha-

*Fernelii opinio de Cura hæmorrhoidum.*

*Circulatio Sanguinis cujus.*

rhagia ex mera ſanguinis plenitudine, nam venæ poſſunt & diſtendi, & coarctari; pro diverſitate augmenti vel decremẽti ſanguinis & humoroſi,& vaporoſi. Unde autem vapores ordinario vel plures vel vehementiores,in venis &arteriis naſcantur,quis eſt qui ſciat? Revera ab alio aliquo, eoque occultiori principio eos naſci oportet,quàm quod humor, ſanguis aut calor dici poſſit: nam quæ ſenſibilia ſunt, ea principia dici nequeunt, quamvis prima dici poſſint. Quæ principia ſunt actionum, paſſionum, vel formarum ſenſibilium, ea ſunt aut ſpiritus ipſiſſimi; aut ſpiritibus maximè affinia, & immediatè à ſpiritibus dependentia; ſatisque ſubjecta, aut inter fata recenſenda: quorum ordines quoquè vel claſſes duæ ſunt; Una dominantium,vel decernentium; altera ſervilium,& decreta exequentium; ſed de his alibi prolixius. Non ſemper itaquè humores ſunt cauſæ hæmorrhagiæ; ſed interdum vapores; hi quoquè non ex humoribus ſurgentes, ſed ex ſeminalibus ſpiritibus ſcaturientes; ideò non

*Fata duplicia.*

caloris affectus, ſed potius cauſæ concomitantes. Ita quidem eſt quod cibi & potus, medicamentaque, quæ venena a dicuntur, aut ſucci inebriativi, ſint valdè diviſibiles; ſui comunicativi, & cōtagioſi; tales quoq; ſunt & vapores inde ſurgentes. Sed vapores ex humoribus ſurgētes à calore agitatis, facilè diſcuti poſſunt, imò & diſcutiuntur; quibus diſcuſſis, nulla in corpore fit mutatio evidens; Vapores autem immediatè è ſeminalibus rationibus ſcaturientes, ſicuti valdè ſunt vehementes, ita & [illegible] periculoſi; Secum aliquid aut de ſpiritu, aut de humore nativo rapientes. Affectibus autem ſupra modum luxuriantibus, a ſenſibilibus cauſis ad laſciviam incitatis, obſequuntur humores in ſanguine; vel ſanguis ipſe tum venoſus tum arterioſus, & excludit vapores, quos ſponte nequaquā excreviſſet; unde & affectu durante, & eo ſopito, ingens ſentitur mutatio conſtitutionis interiorum. *Fernelii opinio de venæſectione.* Putat autem Doctiſſimus Fernelius, ſanguinem ex vena aliqua brachii incisâ egreſſum, patientes à recidiva tutos reddere, & in

& in futurum. Sed Doctissimus vir, id scripsit certè inconsultâ ratione; atque indè judicare possumus, quod & Magni Viri erroribꝰ sint obnoxii; & quod sæpè non saltem lingua, sed & calamus mentem authoris præcurrere soleat, in materiis rationem concernentibus. Nam si considerasset Vir ille Doctissimus; Sanguinem indesinenter mutari, sive ex nonsanguine, sanguinem; & ex sanguine non sanguinem fieri, vel bilem, pituitam, melancholiam, &c. nasci imò & carnem & ossa; Tum id nequaquam de sectione semel facta venæ alicujus pronuntiasset; Nam quod nondum sanguis est, id sub eo nomine & forma nequaquam ex vena vel arteria demi potest; quod verò hodie, vel heri sanguis fuit, atquè cum massa sanguinis in venis & arteriis sine pondere movebatur, id cras aut perindie quiescit, aut in extremitatibus manuum vel pedum aut in emunctoriis; & nisi regurgitet eo unde prius natum fuit; innoxium omninò est vel saltem ibi sentitur, ubi hæret; scilicet vel in emunctoriis venarum

rum & arteriarum, vel in inteſtinis. Ita quidem eſt quod evacuato ſeminario alicujus morbi ex corpore, ceſſent ſymptomata; Sed non evacuato quocunq; ſanguine, ſed jam à ſpiritu excluſo, ſive contagioſo. Morborum autem ſeminaria, vel principia, maximè eorum qui dicuntur hæreditarii, non in ſanguine hoſpitantur, ſed in ſpiritibus ſanguinis generativis. Periclitamur quidem indeſinenter à ſanguine; non autem propriè à ſanguine, ſed ſanguis à ſpiritibus, quorum alii per intervalla fatalia jam quieſcunt jam moventur. Sed id plenius explicabimus in Tractatu de Febribus, earumque intervallaris reciprocationis cauſis. Sive itaq; nobis animus ſit, ſupprimere fluxum hæmorrhoidum largius erumpentem; ſive ad fluxum conſuetum proritare eum, aliquandiu ſuppreſſum, ſed egredi molientem. In utroque affectu, venam potius infra, vel in pede; quàm ſupra, vel in brachio [illegible] cabimus, & ſecari conſulemus. Fluxum autem ejus quando proritare debemus, noſtro commodo? De eo no[illegible] ſe[illegible]

*Morborum ſeminaria non ſunt humores, ſed ſpiritus.*

ſemper non conſtat ; vel non citius quàm natura conatus artis anticipaverit. Ita nec nobis conſtat quod nam ſit juſtum tempus aut ſpermificationis, aut menſtruæ ſanguinis eruptionis primæ ; Ideò ad eam proritandam nec medicamenta propinare, nec extra applicare audemus tutò, niſi ſanguis ipſe eruperit primum, vel impetum ſuum præſtò eſſe, certis indiciis, nobis manifeſtaverit. Nos Medici, neceſſe eſt ut naturam præeuntem ſequamur, atque omnia agamus conſultâ eâ, & ratione noſtrâ; in praxi, cautelas artis, dogmataque ſcholaſtica experientiâ comprobata ſequi poſſumus. Nam ſi puellis proritaverimus ſanguinem ad eruptionem nec ætati, nec menſi conformi tempore, ſive invitâ naturâ? quia ſaltem putamus, artis regulis perſuaſi, tempus id jam vel elapſum, vel præſto eſſe ; cum tamen revera ex naturæ requiſito nullum adſit, vel unquam adfuerit ; Revera peccabimus. Ita ſi proritaverimus ſanguinem hinc vel illinc, neque infectum, neque inficientem, alterutrum evacua-

*Natura & Ars quando ſequenda.*

vacuare intendentes; tum frustrabimus carnem & ossa, debito alimento; sed non patientes morbo. Constare itaquè nobis primum oportet de sanguine, quo sit infectus, vel inficiens; deinde ubi & in qua parte hæreat infectionis seminarium, vel actu infectio; atq; tunc demum sanguini erit adhibenda manus. Nam sicuti ejus spontanea eruptio, alia est critica, alia symptomatica; Ita quoquè de ejus artificiali evacuatione est judicandum. *Hippocrates quidem prudenter jubet, antevertere morbos, sectâ venâ sanguinis diminutione, non autem illorum incursum exspectare, sive phlebotomiam differre donec eam nos facere urgeat necessitas.* Sed de quibus morbis hæc sententia Hippocatis est audienda? non revera de nobis ignotis omninò, sed de notis, & de more insilientibus; Si itaquè velimus in subjecto aliquo, fluxum hæmorrhoidum certo tempore sæpius perpesso, tandem autem aliquandiu suppressum, ad solitum fluxum proritare; scilicet si illam suppressionem ei noxiam esse, aut futuram

*Quando phlebotomandum.*

agno-

agnoverimus? Tum non differemus, sed accelerabimus phlebotomiam, sive citius morbum præveniemus, quàm ab eo præveniamur. Quod si verò animadverterimus ex ejus fluxus inæqualitate nullam in patientes noxam derivari? tum non festinabimus phlebotomare; nisi semel atquè iterum, de ejus necessitate admoniti, per certa in patiente subjecto manifesta indicia. Quis dicere ausit de morbo instante, quod sit futur? vel febris, vel Epilepsia, vel phthisis, vel hydrops, vel alius aliquis intermittēs aut continuus? nisi prius aliquoties observaverit ejus mutationes: Multa quidem de morbis instantibus præfamur vel divinamur; sed eventus nostra prognostica falsitatis convincit omnia; Nisi fortassis nos ipsos, nostraque interiora secundùm sonum & sensum Propheticæ scripturæ examinaverimus. Hæc enim promittit & bonam valetudinem, & longam vitam, omnibus syncerис Divinæ legis custodibus; Sed multos, graves, & crudeles morbos, in dies crudeliores minatur ejus transgressoribus:

*Verissima morborum prognostica è Scripturis petenda.*

ribus: Non autem id agit ſacer textus probabiliter tãtùm, vel ex indiciis aſtrorum, aut aliis naturalibus ſignis; ſed certiſſimè & infallibiliter. Quia autẽ nos omnes ab ipſo vitæ noſtræ exordio, amamus potiꝰ obſequi affectibus carnis noſtræ voluptuoſis, quàm legi Divinæ, carnales concupiſcentias exſecranti; ideò quoq; ex præteritis & præſentibus affectuũ noſtrorũ, nemini præter nobis ipſis cognitorum conditionibus, judicare ex vero poſſumus, de noſtræ vitæ futuro ſucceſſu, quoad morbos. Quod ſi verò in ætate ſeriori mutaverimus mores quoad externa, ſed non intus in animo deſideria; tum nihil nobis proderit mutatio illa, niſi quoad judicium humanum; Quod ſi verò omninò mortificaverimus hominem illum veterem in nobis; tum magna in nos quoquè redundabit inde utilitas, & morborum tum quoad ſpeciem, tum quoad gradus diminutio. Nam nec nos Medicos liberare poteſt ars à morbis, vel eos mitigare per expertiſſima etiam medicamẽta, ſi diſſolutè vixerimus; vel mores noſtros

*Vita diſſoluta morborum ferax.*

ſtros ſaltem ad normam legum ſcholaſticarum compoſuerimus, non autem ad normam legis Dei. Sunt autem uti hæreditarii morbi in membris ſenſibiles, ita & in animo multi; illi tamen ab his dependent; quod ſi mutaverimus affectus animi, neceſſario ſequitur mutatio quoquè in humoribus, & per conſequens in membris ipſis. Qui itaquè morbi nobis innati ſunt, quorum vehementiam experturi ſumus in ſenectute, illi ſe produnt in juventute noſtra voluptatum vehementia & varietate; Quiq; ſciverit frænare voluptuoſos affectus juventutis ſuæ, ille unâ operâ, præcavebit vehementiam morborum ſenectutis. Interdum nos ſenſim quaſi & ſerpentes invadunt morbi; ita ut eos creſcere quotidiè ſentiamus: interdum nos obruunt primæ invaſionis impetu. Tamen citius quàm ea patiamur quæ patimur, præmoniti fuimus de eorum inſtantia longè prius aliquoties, ſed per imagines ſaltem evaneſcentes concupiſcentiarum ſive vigilantibus nobis ſive dormientibus occurrentium. Hæmor-

*Morborum Senectutis indicia voluptates juventutis.*

rhagia autem venarum ani, non ita inter morbos, quam morborum indicia est recensenda; quamvis ipsa suis molestiis & periculis quoque non destituatur. Ignis pictus, vel in speculo apparens, ignis quidem est imago, sed ignis saltem culinaris; Hic autem ignis quoque dicitur, sed tantum est ejus imago, tamen vivacior quàm imagines ipsius; Ignis enim qui revera est id quod dicitur, apparere sensui non potest, aliter quam per imaginem. Talis est & seminariorum morbi cōstitutio. Sanguis ex hæmorrhoidibus erumpens etiam largius, non est comprimendus, externis stipticis, vel adstringentibus, nisi prius sectâ venâ ejus massa diminuta fuerit; *Sanguis non est supprimendus adstringentibus.* Nam si supprimeretur ejus eruptio, non sedatis intrinsecis vaporibus: tum vel inferiora vel superiora ab ea inquietabuntur, cum magno vel vitæ, vel valetudinis periculo; Mariscarum, Ficorum, Condylomatum, aliorumque symptomatum, hæmorrhagiam hanc comitantium emolliuntur & mitigantur vehementiæ, ut tolerabiles fiant, si affectæ partes

partes extrinsecùs fomententur, decoctis, unguentis, emplastris, ab arte confectis. Qualia sunt Radices Liliorum alborum decoctæ cum lacte, aut Aqua Flor. Sambuci, aut Sperniolæ, vel Unguentum album simplex; aut Camphoratum; vel decoctum & unguentum de Linaria; aut Testudines vel Lumbrici terrestres conquassati cum albumine ovi & aquis prædictis misti. Aut saccarum ♄· sed optimè edulcoratum ab acrimonia quam habet ex aceto, quo utitur ars in ejus exstructione; Aut caro vitulina recens mactati vituli. His & multis aliis, uti possunt ægri ad compescendum salis furorem in venis ani; sed non omnia omnibus vel singulis indifferenter proderunt; peculiare subjectum sibi conformè exigit remedium, & vice versâ. Hoc tamen in hoc affectu summè attendendum est, ut scilicet urina fluat; nam pauca & frequens; aut hydropis, aut calculi, aut alterius alicujus pejoris mali, suppressâ hæmorrhoide solet esse prænuntia. In unum talium patientum incidimus, qui per dies

*Remedia ad hæmorrhoidum fluxum mitigãdum.*

14. integros ne unicam guttam quidem urinæ excrevit; Derivata autem urina ad consuetos canales, quamvis fuerit septuagenarius, ex integro tamen convaluit.

---

## Caput XII.

### *De Hæmorrhagia Narium, ejusq; Cura.*

HÆmorrhagia Narium non videtur esse tanti momenti, ut in ea supprimenda artis requiratur auxilium; Communiter enim, uti spontè erumpit, ita & spontè subsidet: Quod si verò casu aliquo extrinseco violentiori, scilicet allisione, contusione, ictu, lapsu, aut errhinis ad eruptionem proriretur; tamen non diu durat fluxus ille: sed vel aliquo adstringente succo aut pulvere naribus infarcto, subsidet & supprimitur; Qui autem sponte effluit, præsertim in Febribus, ille omninò supprimendus non est. Facile est quidem & sanguinem ex narib⁹ prolicere, & fluentem

tem supprimere. Folia millefolii in nares injecta, sanguinem proliciunt, si saltem nares aliquandiu digito fricentur. Frigidâ quoque ablutus vultus, vel syncipùt eum cohibet. Atque talis hæmorrhagia à sensibilibus, vel manifestis orta causis, nullam exigit artis operam ad supprimendam fluxum ejus; nec etiam nos de tali hæmorrhagia hic sumus verba facturi. Sed saltem de ea, quæ vel ipsa morbus est, vel indubitatus morbi prodromus, nisi causa ejus maturè auferatur, aut mitigetur. Multos vidimus hydrope periisse, qui prius aliquandiu frequenti hæmorrhagiâ narium laborabant. Singulare autem Exemplum observavimus in Reverendo quodam Abbate Slovaniensis Monasterii Anno 1629. Pragæ. Hic enim per quatriduum continuam hæmorrhagiam narium passus, eamq; ita vehementer, ut hiante semper ore jacere oportuerit, ne verbulum quidem proloqui ausus: interea ita facies ejus intumuit, ut nullum omninò narium alicujus eminentiæ apparuit discrimen; Appli-

*Hæmorrhagia narium facilè supprimitur, non tamen omnis.*

*Historia de hæmorrhagia narium.*

catæ ei extrinſecus fuerunt ventoſæ, aliaque omnia, quæ præſens ei Medicus Regni Bohemiæ ordinarius D. Roy Italus præſcripſerat; Vena quoque in utroque brachio ſecta fuit; nihil tamen ea omnia profuerunt. Tandem & ego vocatus, Reverendus enim patiens aliquo affinitatis gradu mihi junctus fuit; Conſului, ut ei vena utraq; in pede ſecaretur; Conſenſit Medicus prædictus, per jocum potius, quam ut eam utilem futuram judicaſſet, itaq; ex utroq; pede unicum ſaltem cochlear ſanguinis detractum; Pedi autem utrique Rana fluvialis poſt ſubligata fuit; quo facto intra ſemihoræ ſpatium in ſomnum prolapſus æger, aliquandiu dormivit, poſt & loqui, & moveri, imò & nares mungere tutò potuit; ſubſequente die facies omninò detumuit; Ranam recentem quolibet die plantis pedum ſubligavimus, donec in lecto hæſit patiens; Tandem poſt triennium eum iterum viſitavi optimè valentem. Hæcque fuit prima occaſio meditationum mearum Phyſicarum in Tyrocinio pra-

xis

xis meæ Medicæ; & causa quare citius omnia examinare vellem, quæ docent Regulæ Scholasticæ, quam aliquibus inconsideratè obsequi. Putabam ego in principio praxis meæ, omnia tantum vera esse, quæ in Scholis didici, & necessariò sequi debere effectum methodum scholasticam; sed sæpiùs me deceptum esse deprehendi, igitur cautius mihi agere in posterum proposui, ne toties fallerer, & ipse & alios fallerem. Contuli tandem materiam hanc cum Medicis multis & Chyrurgis insignibus, quibus cum conversabar in Castris Exercitus Regio Suecici, & illustris Hassiaci; atque idem senserunt mecum, non omnes quidem, sed præstantiores & prudentiores. Et donec aliquis Rationes meas, quibus nititur mens mea, confutaverit validioribus; manebo in sententia aliisque idem agendi author ero; scilicet Practicis. Nam qui consenescunt in Scholasticis Regulis; illi nec ægris valdè prosunt, nec Artis Majestati. Probavimus jam, Sanguinem venarum inferiorum similem quidem esse, quoad

nomen & formam, ſanguini venarum ſuperiorum; attamen eos ab invicem quoque diſſidere aliis ſignaturis, nempe tum pōdere, tum diviſibilitate; Sanguis enim quo inferior, eo quoq; & craſſior & gravior; ſicuti aqua fluvialis & marina; quæ ſenſim in limum deſinit, donec eum omninò deponat, & relinquat quietum in fundo jacere. Ita ſanguis in extremitatibus pedum omninò gravis eſt, & quieſcens, ſenſim in ſubſtantiam unguium & callorum concreſcens in corpore humano; ſed in ungulas, in quadrupedibus. Si autem ſuperiora inquinari poſſunt ab inferioribus, adhuc mobilibus; tunc periculoſius afficiuntur ab omninò quieſcentibus; ut ſolidioribus, ideoque magis diviſibilibus & contagioſis. Nullâ itaque ſuperſtitione, vel fallaci experientiâ, aut præconcepta opinione, & temerariâ credulitate decepti, ſed validis rationibus ſuffulti, in omni ſymptomatica Narium hæmorrhagiâ ſupprimenda, ſectionem venæ in utroque pede ſimul fieri imperabimus: idq; agemus in prima ægri viſitatione; ſi nul-

si nullas scilicet inducias pati velit? Quod si verò aliquas? tum præmissa semel atquè iterum pedum in lixivio è cineribus quercinis lotione, tepenti saltem aut omninò frigenti; Eam ad ultimam Lunæ quadram differemus; Tunc enim cura nostra feliciorem habebit & successum,& eventum; diuturnioremque utilitatem. Non quod aliquam Astrali influentiæ, in inferiora, imputemus efficaciam; Sed quia scimus cœlestia astra, præsertim autem Solem & Lunam,in signa temporum à Creatore destinata esse, quæ nos moneant agendorum vel negligendorum. Motus enim generativi & corruptivi, alterativi,& locales augmentativi & diminutivi, fuerunt in rebus ante astra; Nam & res ipsæ fuerunt ante astra; Non possunt autem mortales judicare de internis, vel longè absentibus rebus, aut rerum motibus & quiete, è tenebris in lucem peregrinantibus, vel sub tenebris nocturnis quiescentibus, quàm citò sint erupturæ, vel in tenebras rediturae; nisi Divina providentia, astrorum cœlestium

*Astra signa motuum, nō causa.*

motus varietate ſenſibili, noſtræ conſuluiſſet ignorantiæ: Quò erudiremur omnia quidem in nobis continuò moveri, ſicuti externa in majori mundo; ſed alia aliis ocyus & tardius; alia ſæpius, alia rarius ſuos motus & quietes reciprocare, continuare, terminare, inchoare; ſive inferiora cum ſuperioribus conſpirare. Non autem fallacia aut mendacia ſunt ſigna externa, interiorum motuum; ſed ita vera uti motus ipſi vel quietes, vel harum & illarum ſunt mutationes variæ. Critica eruptio ſanguinis per nares, quamvis frequens vel nimia eſt omninò negligenda, ſive nec proritanda, nec ſupprimenda; Nam artifices etiam prudentiſſimi, erroribus tamen ſunt obnoxii; quia externi ſenſus trahunt ſæpè ad devia mentem ſcrutinio occupatam, ita ut aberret & tunc dum ſe minimè errare putat: Ita ut nemo ſit tutior ab errore, quàm qui conſcientiam ſuam magis conſiderat, quàm ſcientiam. Spiritus ſeminales entium hujus mundi, motuum ſenſibilium directòres errare quidem poſſunt, ſed neſciunt; nec

*Ars nulla immunis ab errore.*

nec aliquando errant, nisi à nobis per vim tracti, ad voluptatem potius quàm ad necessitatem. Diversa est autem causa sanguinis criticæ eruptionis, & symptomaticæ; quamvis utraque ab internis fiat causis; iisque naturali constitutioni onerosis; nam nisi onerosum esset id quod natura expellit per crisin, nequaquam id expellere conaretur, & nisi onerosum ei esset quod sanguis habet, nequaquam doleret, vel se gravari sentiret: vel à sanguine arterioso aut venoso; aut à vaporibus inde nascentibus, vel ex imaginatione scaturientibus. Officium & ars Medici requirit, ut ille suo ingenio salis illius naturæ onerosi pervestiget & scrutetur, donec reperiat, centrum vel ubi; atquè id in centro ejus liget, ut superiora ab eo infici non possint: vel si jam infecta sunt, vel aliqua eorum vel omnia; id iterum deorsum trahat, si trahi potest; vel discutiat omninò, si discuti id judicaverit esse utilius, vel ægro tolerabile. Erumpunt autem cum critica per nares hæmorrhagia sæpè exanthemata, multa & acria

*Exãthemata Hæmorrhagiam narium co-*

*mitantia aut sequentia.* cria, non saltem nares sed & labium superius exulcerantia. Ex quorum indiciis cognoscere possumus causam & criticæ, & symptomaticæ hæmorrhagiæ; Quod nempe sal sit, à sanguine facile vel difficile separabilis; uterque quidem causatur venarum continuitatis solutionem; sed hic diuturnam & periculosam; Ille autem, utpote à sanguine jam actu quasi secretus, brevem & utilem: nisi enim à sanguine secretus esset, in exulcerationem abire non posset, absq; sanguinis massæ contagione; Ubi autem pus, illic est sanguinis mutatio jam facta. Ideò hæmorrhagia, absque narium exulcerationibus, sanguinem salsum esse docet, sed à sale plenarum virium; nec tantùm venas in superficie arrodentem sed & intus contenta earum exagitantem, variisque casibus objicientem; non saltem molestum in præsenti, sed molestias & pericula futura præsentibus, majora minitantem: Ideò *Hydropis prognostica.* inter hydropis prognostica recensetur: aut Phthiseos; nam communissime horum affectuum alteruter hæmorrha-

rhagiam frequentem sive symptomaticam subsequi solet. Artificialis autem sanguinis effusio, est, aut esse debet affinissima criticæ; sive nihil detrahere alterius de massa ejus quàm id quod eam onerat in præsenti, aut mox noxium esse possit, nisi ab arte ejus consciâ, præventum fuisset. Critica hæmorrhagia ideò talis dicitur, scilicet quod fiat justo tempore, & debitâ quantitate, cum patientis commodo. Si autem artificialis sanguinis diminutio peccaverit aliquomodo, illa est symptomaticæ hæmorrhagiæ adnumeranda; nam non saltem pro præsenti est noxia, sed plura minatur in futuro præsentibus, & pejora. Hæmorrhagiam ab extrinsecis causatam, per ictum, vel narium ad solidiora allisionem; supprimunt vilia quæque, nec exigit phlebotomiam; sed ab internis principiis orta, sine phlebotomia, sed prudenter instituta, supprimi non potest. An autem venæ solæ in hæmorrhagia narium continuatis suæ læsionem passæ sint, vel an simul & arteriæ, de eo hic non disquiremus sed materiam

*Critica Hæmorrhagia quæ.*

*Nariū Hæmorrhagia ex venis & ex arteriis.*

teriam hanc differemus in Tractatum de Febribus. Id tamen certum est; quod omne id cui sunt subjectæ venæ, subjectæ quoquè sint & arteriæ; Nihil enim habent venæ, quod in eas ex arteriis derivatum non fuerit. Quod autem per narium concavitatem arteriarum quoquè propagines dispersæ sint, ab arteriis ortæ Carotidibus; id docent Anatomici. Symptomaticam itaquè hæmorrhagiam, diuturnam, & instantium morborum prognosticam, qualis fuerat illa Abbatis; non aliunde quàm ex diabrosi arteriarum oriri sentimus; Ideò quoquè uti mali est ominis, ita quoquè difficilis curationis: Communibus enim mediis supprimi non vult. Ideò in ea supprimenda varia adhibentur, sed pleraque superstitiosa, inter quæ etiam est vox illa Oipulù; de qua in lib. prim. egimus. hæc enim super chartam sanguine patientis picta, eo tamen ignaro, frontiq; ejus applicata, hæmorrhagiam narium supprimere creditur. Quid nos de ea sentiamus videat Lector in loco citato.

CAPUT

# CAPUT XIII.

## *De Cura hæmorrhagiæ Venarum Poplitis.*

UNa adhuc ſupereſt hæmorrhagiæ ſpecies, cujus ſuppreſſionis utilitatem aut damna demonſtrare noſtri eſt propoſiti; nempe ea quæ fit per internam & ſpontaneam Diabroſin venarum per poplitem & ſuram diſperſarum. Hæmorrhagia hæc, utrumque ſexum affligit; ſed fœmininum frequẽtius quàm maſculinum; Vetulasq; potius quàm puellas: ob certas cauſas. Nam quæ fœminæ aut menſtruatim non purgantur; aut non ſufficienter, & juſto tempore; aut quibus menſtrua, ob ætatem fluere deſierunt omninò; illæ ſunt in periculo ſi non hæmorrhagiæ hujus, tamen ſymptomatum, eam ſuppreſſam comitantium aut ſubſequentium. Ita & mares, quorum maſſa ſanguinis ſalſior eſt, niſi hæmorrhoidum fluxum patiantur, hæmorrhagiæ pedum fiũt obnoxii, aut tumores œdematoſos *Unde Scabies & ulcera pedum.*

tosos pedum patiuntur, aut ulceribus varii generis pedes eorum infestantur; scabie scilicet dura in inguinibus, ubi bubones erumpere solent; vel apostematis pedum fœtidis, salsuginosis & Phagædænicis; aut venæ in suis promittentes turgidæ sanguine & quasi conglomeratæ fiunt; quem affectum Cirsocelen nominarunt antiqui; Interdum Diabrosin patiuntur venarum in alterutro pede; Imò adeò acris est quandoq; sanguis ille, ut simul & venam, & cutem venam contingentem, arrodat atquè vehementius erumpat. Quæ ejus eruptio nequaquam ita noxia est patientibus, uti esse putatur; Nam si justo ocyus supprimatur, variorum ulcerum in pedibus, solet suppeditare materiam; ita & in partibus superioribus, si ad eas regurgitaverit, periculosa causari symptomata, Epileptica & Apoplectica, aut eis valdè affinia. Ideò qui eam passus fuerit, ab ejus præcoci suppressione cavebit; vel eam quoad vires ejus patiuntur, continuare sinet; nec etiam consolidationi vulneris studebit, ne aliquod sym-

*Hæmorrhagia in pedibus non est supprimenda.*

ſymptoma proritet ipsâ hæmorrhagiâ pejus & periculoſius. Non abs re eſſet, ſi demonſtraremus breviter, quare ſanguis ex venis poplitis vel ſuræ erumpat frequentius, quàm ex venis parvi pedis, vel per femora diſperſis, aut partium ſuperiorum; quamvis ubique venæ ſint conſpicuæ ſub cute, ac in poplitibus? Cauſa ipſiſſima, ſunt venarum illarum contenta, quæ acriora quidem vel ſalſiora ſunt à genu ad infimum pedem, quàm à genubus ad femora; quia ſanguis quo extremitatibus propior eo ſalſior eſt; In extremitatibus autem ita in ſe ipſum confluxit, ut pondus prævaleat ſapori; ſenſim enim illic in ungues & callos coaleſcit; ſed ſupra femora, quamvis quoquè ſalſa vel ponderoſa ſegreget, tamen ita ſalſus non eſt ut arrodere vaſa ſua poſſit; nec ita citò ſalſeſcere poteſt; quia ad proxima emunctoria ablegatur, ſi aliquomodo ſaltem à maſſa homogenea ſanguinis ſegregatus fuerit: ſub genubus autem nulla amplius ſunt emunctoria, ideò illic craſſeſcit ſenſim & in ungues vel callos deſi- *Venæ inferiores non habent emunctoria biantia.*

nit, aut ad ſuperiora regurgitat; aut in pedibus hærens diutiùs, ſalſeſcit, & venas arrodit donec ſibi ipſi exitum paret, quod fit vel per ulcera, aut per hæmorrhagiam; aut per pedum ſphacelationem. Qui itaquè damna hæmorrhagiam hanc ſubſequentia, ſi ſupprimatur, evitare voluerit, ille cavebit ſibi ab ea ſupprimenda; ſed ſponte ſuppreſſum, ſi quid adhuc ſanguinis hæſerit in venis, erupto ſimilis, admotâ phlebotomiâ plenariè evacuabit; quod ſi autem nec hoc modo à damno tutus eſſe poſſit, ſed ulcera hic vel illic in pedibus erumpant, vel pure, vel ſalſuginoſo humore manantia? Tum ſibi cavebit ab omni uſu Emplaſtrorum pinguium; pedes enim pinguia non patiuntur, quia ſalſum eſt quod in eis prædominatur; Sed pulveribus utetur exſiccantib⁹; Qualia ſunt Myrrha, Aloe, terra omnis in medendi uſum recepta, &c. Caro vitulina, bubula, vaccina, ſuilla, columbina aliorū deniq; animalium pecudum, volucrum, imò & piſcium & vermium, ſuas habet commoditates, in compeſcenda virulentia ſalis;

*Pedibus pinguia non ſunt admovenda.*

salis; si saltem prudens sit Medicus vel Chyrurgus, & sciat quæ caro cui sali domando applicari debeat; In omnibus pedum ulceribus consolidandis sine dolore, & inflammatione multum potest tela ex lineis filis texta, si aduratur, tamen non omnia absumatur ab igne; sive substantia illa, quæ vulgò Zunder Germanis; Bohemis Traud dicitur: Hæc enim cavitati vulneris infarcta, omnem sanguinis, & salsuginis fluxum, sine omni dolore & periculo supprimit, interiora ulceris exsiccat, & carnis generationi optimam objicit commoditatem. Citius tamen hac uti non debemus quàm omnis salsugo massam sanguinis inquinans plenariè ex venis evacuata fuerit; alias consolidato ulcere uno, plura alibi erumpent posteriora prioribus pejora. Caveat sibi quoquè patiens à purgantium usu, ab ulceribus pedum afflictus; Nam si pedes sufferre nequeunt salsedinis violentiam, multò minùs eam sufferre poterunt superiorum venarum emunctoria, si violentiori medicamento ex pedibus in altum

ascendere coacta fuerint. Sed de hac materia alibi philosophabimur; scilicet quæ excrementa sanguinis per sedes, per vomitum, per sudores, per urinas, per phlebotomiam expurgari postulent. Lector amice, hæc pauca de hæmorrhagia à nobis dicta, boni consule; & tua mecum pari animo communica: Si quæ displicebunt; despice; veriori-bus rationibus, mearum defectum compensa, ego pari promptitudine discere paratus sum, quâ doceo. In Dei gloriam; ægrorum, salutem; Medicinæ, honorem veritatis & sapientiæ amorem, mecum conspira; Deusq; de cœlo nostris adspirabit votis, & dextros tum successus tum eventus largietur moliminibus; Quod faxit, ex animo precor.



INDEX





# INDEX RERUM
# In Libris duobus hujus Tractatus contentarum.

## D.

I. In

*Men-*

*sis*

 nem

Errata benevolus Lector ipse corrigat.

*F I N I S.*





